ARMILLA AVREA,

ID EST,

THEOLOGIAE DESCRIPTIO

mirandam ſeriem cauſarum & ſalutis
& damnationis juxta verbum
Dei proponens: Eius Synopſin
continet annexa
Tabula.

Editio tertia recognita & aucta.

Acceßit practica Th. Bezæ pro
conſolandis afflictis conſcientiis.



CANTABRIGIÆ

Ex officina Johannis Legatt.

Extant Londini apud Abrahamum Kitſon, ad inſigne
Solis in Cæmiterio D. Pauli. 1592

STC 19656

UNIVERSITY
LIBRARY
CAMBRIDGE

ILLVSTRISSIMÆ
apud Cantabrigienſes Academiæ, bonarum omnium literarum & Chriſtianæ *pietatis nutrici, & alteri Anglicanæ Eccleſiæ* Seminario gratiam & pacem in Chriſto ſempiternam *precatur.*

ILluſtriſſima Mater Academia, exhibeo tibi Armillam auream. Si rem ſpectabis ipſam, ſacroſanctum Dei verbum eſt: ſi meam lucubrationem æſtimabis, perexilis ea quidem eſt, & ſcripta craſſiuſculè. Atque in ea concinnanda, id curaui tantùm, vt Theologorum lineamentis pigmenta quædam accederent mea.

Audax ſim fortè, quòd te, te inquam, & illuſtrem dignitate, & doctiſſimorum hominum flore præcellentem, ipſe interim Prophetarum filijs etiam infimus appellem. Verùm pro materna tua neceſſitudine huic meæ temeritati vt indulgeas, oro. Melius enim eſſe judico, me vt verberent homines audaciæ calumnia, quàm vt tu deſideres noſtrum aliquod officium & obſervantiæ teſtimonium: quùm præſertim omnia à te in me profecta ſint, quæ vel ad vitam degendam, vel etiam ad ſalutem pertinent. Nam iſtud ipſum, quod ſum, juxta Deum parentibus acceptum fero: hoc autem, quod vivens benè ſum, tibi. Ab ijs, id quod

erat

erat neceſſe, parvulus ſum procreatus: à te quibuſdam literis imbutus, &, quod eſt caput, Chriſtianus ſum natus. Hinc libenter agnoſco, obſervantiam meam non poſſe ullam tantam eſſe quæ tuæ benignitati ex æquo reſpondeat. Quocirca excludi me non patiar, quò minus aliqua teſtificatione & tibi & pijs omnibus oſtendam, quàm diligam, vel potius amem te, & quanta veneratione proſequar.

Munus, concedo, Mater, tenuiculum eſt: idq; in votis unum habeo, ut in eo voluntatem emetiri meam velis. Sin amplius dignata fueris noſtra hæc incœpta amico animo excipere, ad priorem tuam beneficentiam, ingentem hoc facto cumulum adjicies.

Vale, Mater lectiſſima: Deus Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti te in æternum conſervet: & alumnos tuos tum literis, tum pietate floreſcentes alat atq; tueatur: ut ipſa, non ſolùm Anglicanam Eccleſiam rivis tuis mollitam & oblimatam lætifices: ſed etiam invictos pugiles in promptu ſemper habeas, qui percellant & delumbent Antichriſtum. Iterum valeto. Anno ultimæ patientiæ ſanctorum. 1590. Ian. 20.

Tibi in Chriſto addictiſſimus
Gulielmus Perkinſus.

Corpus ſacræ Scripturæ diſtinguitur in ſcientias ſacras, quarum

- *Princeps vna,* Theologia *quæ eſt doctrina benè beatéq; viuendi in æternum.*
- *Aliæ miniſtræ.*
  - *I.* Ethice ſacra, *doctrina moratè, ſive honeſtè vivendi.*
  - *II.* Oeconomica, *doctrina benè adminiſtrandi familiam.*
  - *III.* Politica, *doctrina bene gubernandi rempub.*
  - *IIII.* Politia Eccleſiaſtica, *doctrina benè adminiſtrandi Eccleſiam.*
  - *V.* Politia Iudæorum, *quatenus differt ab Eccleſiaſtica.*
  - *VI.* Prophetica, *doctrina benè concionandi.*
  - *VII.* Academica, *doctrina rectè adminiſtrandi ſcholas; inprimis verò ſcholam ſacram, ſive Prophetarum.*

pag. 1.

CAMBRIDGE

erat neceſſ
dam literis
ſum natus.
am non poſ
æquo reſpon
quò minus
oſtendam
quanta ven
Munus
votis unum
am velis. S
ta amico a
tiam, ing
Vale, e
noſtri Ieſu
lumnos tua
atq; tueatu
ſiam rivis
etiam inv
percellant
leto. Ann
20.

CAP. I.

DE CORPORE SCRIPTURÆ, ET DE THEOLOGIA.

CORPUS Scripturæ eſt doctrina ad *benè* vivendum ſufficiens.

Continet multas ſcientias ſacras; quarum alia princeps eſt; alia miniſtra & ſubſerviens.

Scientia princeps eſt Theologia.

Theologia eſt ſcientia beatè vivendi in æternum. Beata vita exiſtit è cognitione Dei. Ioh. 17. 3. *Hæc eſt vita æterna, ut te ſolum agnoſcant verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.* Eſa. 53. 11. *In ſcientia ſui ſervus meus iuſtificabit multos.* Ideoque etiam è cognitione noſtri: quia Deum cognoſcimus intuendo noſmetipſos.

Theologiæ duæ partes: Prima de Deo; altera de operibus Dei.

[UNI]VERSITY LIBRARY CAMBRIDGE

CAP. 2.

De Deo, & natura Dei.

DEum eſſe, oſtendit ordo naturæ; natura mentis humanæ; diſcrimen honeſtorum & turpium; terrores conſcientiæ; ordo ſocietatis politicæ; Series cauſarum ad aliquod primum recurrentium; deſtinatio omnium rerum ad ſuos fines; Sanorum hominum conſenſus.

Deus eſt Iehova Elohim. Exod. 6.2. *Et loquutus* Elohim; *ad Moſem: & dixit ad eum, ego* Iehova: *& viſus ſum ad Abraham, & ad Iſchac, & ad Iahacob in* Elſhadai, *& nomine meo* Iehova *non ſum cognitus eis.* Exod. 3.13. *Et dicent mihi, quod nomen eius? quid dicam ad eos? Et dixit Deus ad Moſem:* Eheje. i. Ero *qui* Ero. *Et dixit, ſic dices filijs Iſrael,* Ero *miſit me ad vos. Et dixit adhuc Deus ad Moſem, ſic dices ad filios Iſrael;* Iehova Elohe, *&c. miſit me ad vos.*

Hic primum Dei Nomen, Naturam eius; alterum perſonas innuit.

Natura Dei eſt, eius eſſentia & plenè perfecta & viva.

Perfectio naturæ Dei eſt, eius abſoluta conſtitutio, qua tota intra ſe completa eſt. Exod. 3.13. Ero *qui* Ero. Act. 17.24. *Deus qui fecit mundum & omnia quæ in eo ſunt, cum ſit cæli & terræ Dominus in manufactis templis non habitat: neq; manibus hominum colitur* alicuius rei indigens, *cum ipſe det omnibus vitam & habitum & omnia.*

Perfectio naturæ eſt, vel Simplicitas vel Infinitas.

Simplicitas eſt, qua omnis Logicæ in argumentis relationis expers eſt. Non habet in ſe adiunctum & ſubiectum. Ioh.5.26. *Sicut Pater habet vitam in ſeipſo, ſic dedit filio* habere vitam *in* ſeipſo. *cum* Ioh.14.6. *Ego ſum via, veritas, &* vita. 1. *I*oh.1.7. *Quòd ſi incedimus in luce, ſicut ipſe* eſt in luce. *cum* verſ.5. *Deus eſt* lux, *& in eo tenebræ non ſunt ullæ.* Hinc apparet, habere vitam, eſſe vitam; in luce eſſe, lucem eſſe; in Deo non differre. Neque in Deum cadit genus, ſpecies, integrum, membra, materia, materiatum. Tum enim in Deo eſſet aliud & aliud: & aliud alio perfectius. Ergò quicquid eſt in Deo eſt eſſentia Dei, & per ſuam eſſentiam eſt quicquid eſt. Rectè *Auguſt.* de *Trinit.* lib.6. cap.4. *Deo idem eſt eſſe, & fortem & iuſtum eſſe: ſed animo humano non eſt hoc eſſe, quod fortem vel iuſtum eſſe: quia poteſt animus eſſe harum virtutum expers.*

Hinc elucet Dei naturam eſſe immutabilem & ſpiritualem.

Immutabilitas eſt, qua compoſitionis, diviſionis, & mutationis omnis expers eſt. Iacob.1.17. *Apud Deum non eſt tranſmutatio aut converſionis obumbratio.* Mal.3.6. *Ego Dominus & non mutor.*

Pœnitere autem dicitur Deus, quia mutat actionem more pœnitentium. Ergò pœnitentia non ſignificat mutationem in Deo, ſed in actionibus & rebus quæ fiunt & mutantur.

Spiritualis eſt, quia incorporea eſt: ideoque etiam

inviſibilis. Ioh.4. 24. *Deus eſt Spiritus.* 2.Cor.3.17. *Dominus verò Spiritus ille eſt.* 1.Tim.1.17. *Regi autem æterno* immortali, inviſibili, *Soli ſapienti Deo honor ſit & gloria in ſecula ſeculorum.* Coloſſ.1.15. *Qui eſt imago Dei* inconſpicui.

Infinitas Dei eſt duplex; Æternitas, & Immenſitas.

Æternitas eſt, qua & principii & finis expers eſt. Pſal.90.2. *Priùſquam montes naſcerentur, & formares terram & orbem, & ab æterno & vſq; in æternum tu es Deus.* Apoc.1.8. *Ego ſum* Alpha *&* Omega, *id eſt, principium & finis, dicit Dominus, Qui eſt, Qui erat, & Qui venturus eſt, ille omnipotens.*

Immenſitas eſt, qua natura Dei expers dimenſionis, in mundo & extra mundum vbique præſens eſt. Pſal.145.3. *Magnus Iehova & laudabilis valdè, & magnitudinis eius non eſt inveſtigatio.* 1.Reg.8.27. *Ergonè putandum eſt quòd Deus verè habitet ſuper terram? ecce cælum & cæli cælorum capere te non poſſunt; quanto minùs domus iſta, quam ædificare conſtitui.* Ierem.23.23. *Annòn cælum & terram* ego impleo *dicit Dominus.* Hinc liquet.

I. Deum vnum tantùm eſſe & individium, non plures. Epheſ.4.5. *Unus Dominus, vna fides, vnum baptiſma, vnus Deus & Pater omnium.* Deutr.4.35. *Tibi oſtenſum eſt, vt ſcires quod Dominus eſt Deus, nec eſt vllus præter eum.* 1.Cor.8.4. *Scimus Idolum nihil eſſe in mundo, & nullum eſſe Deum alium niſi* vnum. Et non poteſt eſſe in natura niſi vnum infinitum.

II. Deum eſſe καρδιογνώςην; nam ei naturæ nihil

eſt abſconditum, quæ eſt extra & intra omnia, nuſquam incluſa vel excluſa. 1.Reg. 28.9. *Quia omnia corda ſcrutatur Iehova, & omne figmentum cogitationum intelligit.* Pſal. 139.1,2. *Tu cognoviſti ſedere meum & reſurgere meum, intellexiſti cogitationem meam à longè.*

CAP. 3.

De vita Dei.

HActenus de perfectione naturæ Dei. Sequitur Vita Dei, qua natura divina actuoſa eſt, & vivit, ſeque movet. Pſal. 42. *Sitivit anima ad Deum, Deum* vivum, *quando veniam & videbo faciem Dei.*? Hebr. 3.12. *Videte ne quando ſit in vllo veſtrum, cor malum & infidele, deficiendo à Deo* vivo.

Natura divina actuoſa eſt tribus præcipuè attributis, quæ operationem Dei erga res creatas innuunt. Sunt autem, Sapientia Dei, Voluntas, & Omnipotentia.

Sapientia vel ſcientia Dei eſt, qua Deus & ſeipſum & alia, ſive fuerint, ſive non fuerint, etiam infinita, non per ſpecies à rebus abſtractas, ſed per eſſentiam ſuam; neque ſucceſſivè & ratiocinando, ſed vno æterno & immutabili actu intelligendi diſtinctè & perfectè cognoſcit. Matth. 11.27. *Nemo novit filium niſi Pater, nec Patrem quiſquam novit niſi Filius, & cuicunq́; voluerit Filius revelare.* Hebr. 4.13. Non eſt vlla res creata, *quæ non manifeſta ſit in conſpectu eius; imò omnia ſunt nuda &* patentia [τετραχηλισμένα] *ocu-*

lis eius quicum nobis eſt negotium. Pſal.147.5. *Intelligentiæ eius non eſt numerus.*

Eius partes ſunt; Præſcientia Dei & Conſilium.

Præſcientia Dei eſt, qua Deus omnia futura certiſſimè prævidet. Act. 2. 23. *Hunc definito conſilio & providentia Dei deditum cum accepiſſetis, manibus ſceleratis cruci affixum interemiſtis.* Rom. 8. 29. *Quos præſcivit, eoſdem prædeſtinavit vt ſint conformes imagini filij Dei.* Hæc de Deo non propriè dicitur, ſed gratia hominum, quibus res vel futuræ ſunt, vel præterierunt.

Conſilium Dei eſt, quo Deus optimam rationem rerum omnium quæ fiunt, rectiſſimè perſpicit. Prou. 8. 14. *Meum eſt conſilium & potentia.*

Voluntas Dei eſt, qua Deus omnia vno actu & liberrimè & rectiſſimè vult. Rom. 9. 18. *Cuius* vult, *miſeretur; quem* vult, indurat. Epheſ. 1. 5. *Qui prædeſtinavit nos, quos adoptaret in filios per Ieſum Chriſtum, in ſeſe pro benevolo affectu voluntatis ſuæ.* Iacob. 4. 15. *Pro eo quod dicere debuiſtis,* ſi Dominus voluerit, *& vivamus & faciemus hoc aut illud.*

Vult Deus quod bonum eſt, approbando; quod malum quatenus malum, improbando & deſerendo: & tamen mali ſpontaneam permiſſionem vult: quia bonum eſt, vt ſit malum. Act. 14. 16. *Quiq; præteritis ætatibus* ſivit *omnes gentes ſuis ipſarum viis incedere.* Pſal. 81. 12. Et dimiſi eos *ſecundum cogitationes cordis eorum, & ambulant in conſilijs ſuis.*

Voluntas Dei, pro varietate obiecti varia ſortitur nomina, & vel amor & vel odium, vel gratia & iuſti-

tia

tia dicitur.

Amor Dei eſt, quo Deus & ſeipſum, & creaturas ſuas omnes, *prout bona* ſunt, immeritò probat, & in iis acquieſcit. 1. Ioh. 4. 16. *Deus charitas eſt, & qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in ipſo.* Ioh. 3. 35. *Pater diligit Filium & omnia dedit in manum eius.* Ioh. 3. 16. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum dederit &c.* Rom. 5. 8. *Commendat autem ſuam erga nos charitatem Deus, quòd cùm adhuc eſſemus peccatores, Chriſtus pro nobis mortuus ſit.*

Odium Dei eſt, quo creaturam delinquentem ob culpam improbat & averſatur. 1. Cor. 10. 5. *Sed pleroſq́; ipſorum non approbavit Deus: proſtrati ſunt enim in deſerto.* Pſal. 5. 5. *Odiſti omnes operantes iniquitatem.* Pſal. 44. 8. *Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem.*

Gratia Dei eſt, qua creaturis favorem gratis oſtendit. Rom. 11. 6. *Quod ſi per gratiam, non iam ex operibus: alioquin gratia non eſt gratia: ſin ex operibus, iam non eſt gratia.* Tit. 2. 11. *Illuxit illa gratia Dei ſalutifera omnibus hominibus, erudiens nos vt abnegata impietate, &c.*

Gratia Dei eſt, vel Bonitas eius; vel Miſericordia.

Bonitas eſt, qua in ſe abſolutè bonus erga creaturas, beneficentiam gratis exercet. Mat. 19. 17. *Ipſe verò dixit ei, cur me dicis bonum; nullus eſt bonus niſi vnus, nempe Deus.* Mat. 5. 45. *Vt ſitis filij Patris veſtri qui eſt in cælis: facit enim vt ſol ſuus exoriatur ſuper*

bonos ac malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos.

Miſericordia eſt, qua omnium creaturarum miſeriis gratis opem præſtat. Eſa. 30.18. *Propterea expectat Dominus vt miſereatur noſtri.* Lamen. 3.22. *Miſericordia Domini eſt, quòd non ſumus conſumpti; quia non defecerant miſericordiæ eius.* Exod. 23. *Miſereor, cuius miſereor; & clemens ſum, in quem clemens ſum.*

Iuſtitia Dei eſt, qua in omnibus æquum vult. Pſal. 10. *Iuſtus Dominus iuſtitias dilexit.* Pſal. 5.4. *Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.*

Iuſtitia eſt, vel dicti vel facti.

Iuſtitia dicti eſt veritas, qua verè & conſtantèr vult quod dixit. Rom. 3.4. *Sit Deus verax, omnis homo mendax.* Matth. 24.35. *Cœlum & terra tranſibunt, verba mea non tranſibunt.* Hinc in promiſſis ſervandis iuſtitia Dei quædam eſt. 1. Ioh. 1.9. *Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt &* iuſtus vt remittat *nobis peccata.* 2. Tim. 4.8. *Quod ſupereſt, repoſita eſt mihi iuſtitiæ corona, quam reddet mihi Dominus in illo die, iuſtus ille iudex.*

Iuſtitia facti eſt, vel diſponens vel remunerans.

Iuſtitia diſponens eſt, qua, vt liberrimus Dominus, omnia ritè in actionibus ſuis diſponit. Pſal. 145.17. *Iuſtus eſt Iehova in omnibus viis ſuis.*

Iuſtitia remunerans eſt, qua creaturæ ſecundum opus ſuum reddit. 2. Theſſ. 1.6. *Siquidem iuſtum eſt apud Deum,* viciſſim reddere *iis qui affligunt vos, afflictionem: vobis verò qui affligimini relaxationem nobiſcum.* 1. Pet. 1.17. *Itaq; ſi patrem cognominatis, eum qui* citra perſonarum reſpectum *iudicat ex cuiuſq; opere,*

pere, cum timore verſemini, &c. Ierem. 51. 56.

Iuſtitia hæc eſt; vel Benignitas, vel Ira.

Benignitas eſt, qua iuſtitiæ creaturæ gratuitam mercedem præſtat. 2. Theſſ. 1. 5. *Quæ res manifeſto eſt indicio iuſti iudicij Dei: vt* digni *cenſeamini regno Dei, pro quo etiam patimini.* Matth. 10. 41, 42. *Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ*, mercedem *Prophetæ* accipiet: *& qui recipit iuſtum in nomine iuſti, mercedem iuſti accipiet: & quicunq; potum dederit vni ex his parvis, poculum frigidæ in nomine diſcipuli, amen dico vobis non perdiderit* mercedem ſuam.

Ira Dei eſt, qua vult delinquenti creaturæ pœnam præſtare. Rom. 1. 18. *Palã eſt ira dei de cœlo adverſum omnem impietatem & iniuſtitiam hominũ, vt qui veritatem iniuſtè detineant.* Ioh. 3. 36. *Qui non credit filio, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum.*

Hæc de voluntate Dei. *S*equitur Omnipotentia, qua ad omne opus faciendum potentiſſimus eſt. Matth. 19. 26. *Apud homines hoc impoſſibile eſt: apud Deum omnia* poſſibilia ſunt.

Excipienda tamen quædam ſunt. I. Quæ impotentiam arguunt; vt mentiri & negare verbum ſuum. Tit. 1. 2. *Quam promiſit Deus ille* mentiri *neſcius.* 2. Tim. 2. 13. *Si infidi ſimus, ille tamen fidus manet:* negare ſeipſum *non poteſt.* II. Quæ cum natura Dei pugnant; vt ſe diſtruere, & non gignere ab æterno filium. III. Quæ contradictionem implicant: non enim poteſt Deus efficere vt verum ſit falſum, & vt, quod eſt, quando eſt, non ſit.

Potentia Dei diſtingui poteſt in Abſolutam & Actualem.

Actualem.

Abſoluta potentia eſt, qua plura facere poteſt quàm vel facit vel vult. Matth.3.9.*Dico vobis Deum poſſe etiam ex lapidibus iſtis excitare liberos Abrahamo.* Phil.3.21. *Pro efficacitate qua* poteſt omnia *ſubijcere ſibi.*

Actualis eſt, qua Deus quæ liberè vult, efficit, vt exiſtant. Pſal.135.6. *Omnia* quæ vult *Deus, facit in cœlo & in terra, & in omnibus Abyſſis.*

CAP. 4.

De gloria Dei, & Beatitudine.

EX his omnibus attributis, quibus verus Iehova à Deo fictitio & idolis diſtinguitur, exoriuntur gloria Dei & Beatitudo.

Gloria Dei vel Maieſtas eſt, naturæ divinæ ſimpliciſſimæ & ſanctiſſimæ infinita excellentia. Hebr. 1.3. *Qui cum ſit* ſplendor gloriæ *& character perſonæ ipſius.* Dan.3. *Tu es Dominus Deus ſolus, & glorioſus ſuper orbe terrarum.*

Hinc perfectiſſimè Deum agnoſcere ſolius Dei eſt. Ioh.6.46. *Non quòd Patrem viderit quiſquam, niſi is qui eſt à Deo, hic vidit Patrem.* 1.Tim.6.16. *Qui ſolus habet immortalitatem,* lucem *habitans* inacceſſam, *quem vidit nemo hominum neq; videre poteſt.* Exod.33.18. Faciem *meam videre non poteris.*

Eſt tamen quædam patefactio gloriæ divinæ; partim obſcurior, partim clarior.

Obſcurior eſt, viſio maieſtatis Dei in hac vita mentis

tis oculis percepta, earum rerum miniſterio quę oculis vel auribus percipiuntur. Eſa.6.1. *Vidi Dominum inſidentem ſolio celſo & elato, cuius fimbriæ complebant templum ipſum.* Exod.33.22. *Erit autem cum tranſibit gloria mea, vt ponam te in cavitate ipſa rupis, & obtegam te manu mea donec tranſivero: ſed cum amovero manum meam videbis* poſteriora mea: *facies autem mea videri non poteſt.* 1.Cor.13.12. *Cernimus nunc per ſpeculum & ænigma.*

Clarior patefactio Dei eſt, eius viſio in cælo facie ad faciem. 1.Cor.13.12. *Tunc autem* facie ad faciem *cernemus.* Dan.7.9,10. Mat.19.10. *Dico vobis, Angelos eorum in cælis per omne tempus videre faciem Patris mei qui in cælis eſt.*

Beatitudo Dei eſt, qua Deus eſt à ſe, & intra ſe omniſufficiens. Gen.17.1. *Ego ſum* Deus *fortis* [*ſchadai*] omniſufficiens: *continenter ambula coram me, & eſto integer.* Coloſſ.2.9. *Nam in eo inhabitat omnis* plenitudo Deitatis *corporaliter.* 1.Tim.6.15.

CAP. 5.

De Perſonis Divinis.

PErſonæ ſunt, quæ in vna Deitate ſubſiſtentes incommunicabili proprietate diſtinguntur. 1. Iohan. 5.7. *Tres ſunt qui teſtificantur in cœlo,* Pater, Sermo, *&* Spiritus Sanctus: *& hi tres vnum ſunt.* Gene. 19. 24. Et Iehova *demiſit ſuper Sodamum & ſuper Hhamorum, pluviam ſulphuris & ignis* à Iehova in cœlis. Ioh. 1. 1. *In principio erat Sermo ille,*

&

& Sermo ille erat apud Deum, eratq; ille Sermo Deus.

Coequales ergò ſunt, ordinem admittentes non gradus.

Perſonæ conſtitutio eſt, quando ad Deitatem ſive vnam divinam naturam perſonalis proprietas, ſiue proprius ſubſiſtendi modus adjungitur.

Perſonarum diſtinctio eſt, qua, licet ſingulæ perſonæ ſunt vnus idemque perfectus Deus: tamen Pater non Filius eſt aut Spiritus Sanctus, ſed Pater duntaxat: & Filius non Pater eſt vel Spiritus ſanctus, ſed Filius duntaxat: & Spiritus ſanctus non Pater eſt, vel Filius, ſed Spiritus ſanctus; diviſionem non admittunt propter ſimpliciſſimæ eſſentiæ infinitam immenſitatem, quæ eadem numero & tota eſt in Patre, tota in Filio, tota in Spiritu Sancto. In his ergò eſt alius & alius, non aliud & aliud.

Communio Perſonarum, ſiue περιχώρησις eſt, qua propter vnitatem Deitatis ſingulæ ſunt in ſingulis, & apud ſingulas manent: ideoque ſingulæ & poſſident & amant, & glorificant ſingulas idemq; ſingulæ operantur. Ioh. 14. 10. *Non credis me in Patre, & Patrem in me eſſe? verba quæ ego loquor vobis, à meipſo non loquor: ſed Pater qui* in me manet *ipſe facit opera.* Prov. 8. 22. *Iehova* poſſidebat me *in principio viæ ſuæ; ante opera ſua, ante vllum tempus.* & verſ. 30. *Cum itaq; ſim apud eum educans, & ſim* deliciæ quotidianæ, *lætificans coram eo omni tempore.* Ioh. 1. 1. & 5. 19. *Reſpondit Ieſus & dixit iis, Amen, amen dico vobis, non poteſt Filius à ſeipſo operari, niſi viderit Patrem operantem: quæcunq; enim ille facit,* hæc etiam *Filius* pariter

riter facit.

Perſonæ ſunt tres, Pater, Filius, Spiritus Sanctus. Matth.3.16,17. *Et* baptizatus Ieſus *aſcendit ſtatim ex aqua: & ecce aperti ſunt ei cæli, & vidit* Spiritum Dei *deſcendentem tanquam columbam, & venientem ſuper eum: & ecce* vox è cælis *dicens, Hic eſt Filius ille meus dilectus in quo acquieſco.*

Pater eſt perſona ἄναρχος ab æterno gignens filium. Hebr.1.3. *Qui cum ſit ſplendor gloriæ, & character perſonæ illius.* Pſal.2.7. *Tu es filius meus, ego hodie* genui *te.* In generatione Filii quædam ſunt propria. I. Gignens & genitus ſimul ſunt tempore. II. Gignens communicat genito non partem eſſentiæ ſed totam. III. Genuit Pater Filium, non extra ſed intra ſe.

Patris proprietas incommunicabilis eſt ἀγεννησία, vel paternitas, vel gignere.

Hic principium eſt actionis cuiuſque: quia incipit quamque actionem à ſe per Filium & Spiritum Sanctum agendo. 1.Cor.8.6. *Nobis tamen vnus Deus Pater ille,* à quo *omnia & nos in ipſo.* Rom.11.36. *Nam* ex eo *& per eum & in ipſum ſunt omnia.*

Reliquæ duæ perſonæ Deitatem ſive divinam eſſentiam integram à Patre communicatam habent, vt Filius & Spiritus ſanctus.

Filius eſt ſecunda perſona à Patre ab æterno genita. Hebr.1.9. *Nam cui dixit vnquam angelorum, filius meus es tu, ego hodiè genui te.* Coloſſ.1.15. *Qui eſt* imago Dei *inconſpicui, primogenitus omnis creaturæ.* Ioh.1.14. *Et ſpectavimus gloriam eius gloriam* vnigeniti

geniti *à patre.* Rom.8.32. *Is quidem qui* proprio *filio non pepercit.*

Generatio filii non impedit quo minus ſit αὐτόθεος. Is enim ſpectandus eſt, vel quoad eſſentiam, vel quoad filiationem, eſſentiæ reſpectu αὐτόθεος eſt. Deitas enim, vtpote quæ trium perſonarum eſt communis non gignitur. Sed reſpectu perſonæ vel filiationis non à ſe eſt ſed ab alio: eſt enim filius patris: & rectè hoc modo dicitur, Deus de Deo.

Et hinc eſt quod dicitur mitti à Patre. Ioh.8 42. *Ego à Patre profectus ſum & veni: neque enim à meipſo veni, ſed ille miſit me.* Miſſio verò non tollit æqualitatem eſſentiæ & potentiæ, ſed oſtendit ordinem perſonarum. Ioh. 5.18. *Propterea ergo magis ſtudebant eum Iudæi trucidare, quia non ſolùm ſoluiſſet Sabbathum, ſed & Patrem ſuum dixiſſet Deum, parem ſe faciens Deo.* Philip.2.6. *Qui cum eſſet in* forma Dei, *non duxit rapinam parem eſſe cum Deo.*

Hinc etiam *Verbum* Patris eſt, non evaneſcens ſed *eſſentiale:* quia naſcitur à Patre vt verbum à mente; & quia profert Evangelium è ſinu Patris. *Nazian. Orat.* περὶ υἱοῦ. *Bazil. Exord. Iohan.*

Eius proprietas eſt γέννησις.

Modus agendi proprius eſt, quòd actionem adminiſtrat à Patre per Spiritum Sanctum. 1.Cor.8.6. *Et vnus Dominus Ieſus Chriſtus,* per quem *omnia & nos per ipſum.* Ioh. 5.18,19.

Spiritus ſanctus eſt tertia perſona emanans ſiue procedens à Patre & Filio. Iohan. 15.26. *Quùm autem venerit conſolator ille, quem* ego mittam *vobis à Patre*

Patre (Spiritus ille virtutis qui à patre e[illegible]imat) *ille teſtabitur de me.* Rom.8.9. *Vos autem non eſtis in carne ſed in Spiritu: ſiquidem* ſpiritus Dei *habitat in vobis, quod ſi quis* Spiritum Chriſti *non habet, is non eſt eius.* Ioh.16.13,14. *Quum autem venerit Spiritus ille veritatis, deducet vos in omnem veritatem: non enim loquetur à ſemetipſo, ſed quæcunque audierit, loquetur, & quæ ventura ſunt renunciabit vobis. Ille me glorificabit, quia* de meo accipiet *& renunciabit vobis.*

Et quamvis Pater & Filius duæ ſunt perſonæ, vnum tamen Spiritus ſancti ſunt principium.

Proceſſionis à generatione, formale diſcrimen, neq; verbum definivit, neq; cognovit Eccleſia.

Spiritus ſancti incommunicabilis proprietas eſt ἐκπόρευσις.

Modus agendi eſt, actionem abſolvere agendo à Patre & Filio.

CAP. 6.

De operibus & Decreto Dei.

HVcuſque fuit prima pars Theologiæ: Sequitur ſecunda de operibus Dei.

Opera Dei ſunt, quæcunq; Deus extra ſe, id eſt extra ſuam eſſentiam edit.

Hæc Trinitati communia ſunt, ſervato cuiq; perſonæ proprio agendi modo.

Horum omnium finis eſt gloriæ divinæ patefactio. Rom.11,36. *In ipſum ſunt omnia: ipſi ſit gloria in ſecula.*

Opus

Opus vel actio Dei eſt, vel Decretum, vel Exequutio Decreti.

Decretum Dei eſt, quo Deus in ſe ab æterno omnia neceſſariò & tamen liberè definivit. Epheſ.1.11. *In quo etiam electi ſumus, quùm eſſemus prædeſtinati ſecundum* propoſitum eius, qui omnia efficit ex conſilio voluntatis ſuæ. & verſ.4. *Sicut elegit nos in ipſo antequam &c.* Mat.10.29. *Nonne duo paſſerculi aſſario vaneunt, & vnus ex ijs non cadit humi ſine patre veſtro?* Rom.9.21. *Annon habet poteſtatem figulus in lutum, vt ex eadem maſſa faciat aliud quidem vas ad decus, aliud verò ad dedecus.*

Itaq; & res & actiones omnes, præteritas, præſentes, futuras, & earum omnes circumſtantias, locum, tempus, media, finem, prout voluit, certiſſimè decrevit.

Etiam mala malorum opera iuſtiſſimè decrevit. Nam ſi noluiſſet non eſſent omninò, & quamvis ſuapte natura mala ſunt & permanent; tamen Dei ordinantis reſpectu rationem boni habent: non enim eſt aliquod ſummum malum. 1.Pet.3.17. *Melius eſt vt benè agentes, ſi ita* velit Dei voluntas, *malis afficiamini, quàm male agentes.*

Malum in decreto Dei, habet rationem boni, quatenus eſt patefactionis gloriæ Dei in iuſtitia & miſericordia ſua, quædam occaſio & via.

Cum decreto Dei coniuncta eſt Præſcientia Dei; quo etiam prior eſt naturà, non quidem quoad Deum, ſed quoad nos, quia cognitio præcedit voluntatem & operis effectionem. Non efficimus niſi quæ volumus,

vide hinc nonam foliam, ubi appingitur hæc nota ⊤

volumus,& non volumus niſi cognita.

¶ Præſcientia per ſe cauſa rerum quæ exiſtunt non eſt; niſi quatenus coniuncta eſt cum decreto Dei: non enim ideò res futuræ ſunt quia præſcivit Deus; ſed quia decrevit & voluit ideò futuræ ſunt.

Exequutio decreti eſt, qua, ea quæ præſcita & decreta ſunt, omnia, ita in tempore actu fiunt ſicut præſcita & decreta ſunt.

Idem decretum Dei eſt, primum principium rerum omnium ἐνεργητικὸν, cauſas omnes & ordine & tempore antegrediens. Nam cum eo ſemper coniuncta eſt voluntas Dei, qua poteſt velle quod decrevit: quia ſignum eſſet impotentiæ, aliquid decernere quod non poſſet velle: & cum voluntate coniuncta eſt potentia efficax, per quam operari poteſt Deus quæcunque liberrimè decrevit.

Hoc primum principium vtcunque neceſſarium eſt in ſe, tamen voluntatis in eligendo libertatem, & cauſæ ſecundariæ naturam & proprietatem non tollit, ſed ordinat, id eſt, ad finem conſtitutum diſponit: vnde effectus & eventus vel contingentes ſunt vel neceſſarii, prout ſecundæ cauſæ natura fuerit. Chriſtus neceſſariò ex patris decreto eſt mortuus, Act. 17.3. Et tamen volens. Matt. 25.39. & ſi κρᾶσιν carnis Chriſti ſpectemus, diutius vitam protrahere potuiſſet: ideoque hoc reſpectu contingenter mori, dici poteſt.

Exequutionis duæ ſunt partes; Operatio, & Operans permiſſio.

Operatio eſt efficax productio bonorum, quę ſunt

UNIVERSITY LIBRARY CAMBRIDGE

& fiunt.

Operans permiſſio eſt, qua idem opus, quatenus malum eſt tantùm permittit ab aliis fieri: quatenus boni rationem habet, ἐνεργητικῶς efficit. Gen. 50. 20. *Vos quidem cogitaveratis contra me* malum, *ſed* Deus cogitavit illud in bonum, *vt faceret, ſicut eſt die hoc conſervando in vita populum ſuum.* & Gene. 45. 7. *Miſit me Deus ante vos, vt efficiat vos ſuperſtites in hac terra.* Eſa. 10. 5. *Væ Aſſyrio virgæ iræ meæ; quamvis baculus ſit in manu ipſorum indignationis meæ. Et in gentem hypocritam immittens ipſum, contra populum in quem excandui dem mandata ipſi: vt prædetur prædam, &c. Nam ipſe non ita ſibi proponit, & animus eius* non ita cogitat: *ſed perdere ex ſententia animi ſui, & exſcindere gentes non paucas.*

Permittit malum Deus, *ſpontanea quidem permiſſione,* cauſam ſecundam in actione deſerens. Deſerit autem creaturam ſuam vel detrahendo gratiam quam habet, vel non largiendo ſi nondum habet. Rom. 1. 26. *Propterea* tradidit *eos Deus fœdis affectibus.* 2. Tim. 2. 26. *Cum lenitate erudientem eos, qui contrario animo ſunt affecti: ecquando* det eis Deus *vt reſipiſcentes agnoſcant veritatem, & elapſi è diaboli laqueo, à quo captivi tenentur, mentis ſanitatem recipiant, &c.*

Neq; verò hoc putandum eſt iniuſtitiam eſſe apud Deum, qui nemini debitor eſt. Rom. 9. 15. *Miſerebor cuius miſertus fuero.* & ei liberum eſt gratiam dare & quantam & quibus velit. Mat. 20. 15. *Annón licet mihi* quod volo *facere in meis?*

Malum

Malum opus habet rationem boni apud Deum, q; atenus eſt *pœna peccati*. Pœna verò habet rationem boni moralis, quia iuſti iudicis eſt punire peccatum. II. quatenus *mera eſt actio* vel actus. III. quatenus *eſt caſtigatio, exercitium* fidei, *Martyrium, lutron peccati*, vt mors & paſſio Chriſti. Act. 2. 23. & 4. 28. Atque his ſervatis reſpectibus, in malo opere Deus agit, non nudè permittendo, ſed etiam efficientèr operando: ſic tamen vt ἀνομίαν actioni nec inſtillet nec ſuſtentet eam, vel intendat, ſed ſinat libertimè; & ad gloriam ſuam optimè diſponat. vt in ſimili; Incitetur equus: quòd in curſu moveat, ſeſſori tribuendum, quòd claudicet equo: & in radio tranſeunte per vitrum, lux à Sole; color non è ſolo, ſed è vitro.

CAP. 7.

De Prædeſtinatione & Creatione.

DEcretum Dei quatenus hominem reſpicit, appellatur prædeſtinatio, quæ decretum eſt, quo Deus ordinavit omnes homines ad certam conditionem æternam, hoc eſt, vel ad vitam, vel ad mortem propter gloriam ſuam. 1. Theſſ. 5. 9. *Nam non conſtituit nos Deus ad iram, ſed ad ſalutem obtinendam per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum*. Rom. 3. 13. *Sicut ſcriptum eſt*, Iacob *dilexi, Eſau verò odio habui*. & 22. *Si verò volens oſtendere iram & notam facere potentiã ſuam, pertulit multa lenitate vaſa iræ coagmentata ad interitum: & notas faceret di-*

uitias gloria ſuæ erga vaſa miſericordiæ quæ præparavit ad gloriam.

Prædeſtinationis implendæ medium eſt duplex; Creatio, Lapſus.

Creatio eſt, qua Deus res omnes valdè bonas formavit è nihilo, id eſt, nulla præexiſtente materia. Gen. cap. 1. totum.

Modus creandi, ſicut etiam gubernandi, talis eſt, vt dicendo. i. verbo produxerit res vniverſas ſine vllis inſtrumentis, ſiue mediis, abſque conatu vel motu vllo. Nam velle ipſius eſt poſſe & agere. Hebr. 11. 3. *Per fidem intelligimus conſtructum fuiſſe mundum* verbo Dei. Pſal. 148. 5. *Laudate eum omnes exercitus exercitus eius, &c. quia ipſe* præcepit *& creata ſunt.*

Bonitas creaturæ eſt eius quędam excellentia, qua expers eſt omnis defectus. i. & pænæ & culpæ.

Creatio eſt; vel Mundi, vel Incolarum.

Mundus eſt domicilium pulcherrimum ex informi materia factum & ad habitandum idoneum.

Mundi partes ſunt vel cælum vel terra. Cælum eſt triplex: primum aëreum; ſecundum æthereum; tertium, inviſibile & incorporeum, creatum tamen vt eſſet ſedes beatorum & hominum & angelorum: & paradiſus appellatur. 2. Cor. 12. 4.

Incolæ mundi ſunt, creaturæ rationales ad imaginem Dei factæ; vt Angeli & homines. Gen. 1. 26. *Poſteà dixit Deus, faciamus hominem in imagine noſtra, ſecundum* ſimilitudinem noſtram. Iob. 1. 6. *Cùm itaq; eſſent dies huiuſmodi advenientibus* filiis Dei *vt ſiſterent ſe coram Iehova: Similiter advenit etiam Satan*

inter

inter eos.

¶ Imago Dei eſt, creaturæ rationalis bonitas Deum ſanctitate referens. Epheſ.4.14. *Et induete novum illum hominem, qui ſecundum Deum conditus eſt ad iuſtitiam & ſanctimoniam veram.*

CAP. 8.

De Angelis.

ANgeli omnes in initio mundi ſimul creati, in integro ſtatu collocati ſunt; in quibus hæc conſideranda.

I Natura. Sunt eſſentiæ ſpirituales & incorporeæ. Hebr. 1. 17. *Non angelos aſſumpſit, ſed ſemen Abrahæ.*

II. Qualitates. 1. Sapientes. 2.Sam. 14. 17. *Nam* vt Angelus Dei *ita eſt dominus meus Rex cùm audit bonum aut malum.* 2. Magnæ potentiæ. 2. Theſſ 1.7. *Cùm patefiet Dominus de cœlo cum* Angelis potentiæ *ſuæ.* 2.Sam.24.17. 2.Reg.19.35. 3. Celeres & agiles. Eſa.6.6. *Sed* advolans *ad me vnus ex iſtis Seraphim.* Dan.9.21. *Vir ille Gabriel quem videram in illa viſione principiò; iuſſus* advolare contentiſſimè *tetigit me.* Inde eſt quòd in Tabernaculo alati ſunt picti.

III. Numerus immenſus eſt. Gen.32.1. *Iacob verò perrexit itinere ſuo, & obviam facta ſunt* ei bina caſtra. Dan. 7.10. *Cui millies mille miniſtrabant, & coram quo* myrias myriadum *ſtabat.* Matth.26.53. hebr.12.22.

 IV. Locus

IV. Locus eſt cœlum ſupremum, in quo Deo continentèr attendunt, cum eo communionem habentes. Matth. 18. 10. *Dico enim angelos eorum* in cœlis *per omne tempus* videre faciem *patris mei qui eſt in cœlis.* Pſal. 68. 18. *Curruum Dei duæ myriades, multa millia Angelorum, Dominus cum illis eſt.* Mar. cap. 12. verſ. 25. *Sed ſunt ſicut Angeli qui ſunt in cœlis.*

V. Gradus. Ordines Angelorum eſſe liquet. Coloſſ. 1. 16. *Per eum condita ſunt omnia quæ in cælis ſunt & quæ in terra; viſibilia ſive inviſibilia, ſive* throni, *ſive* dominia, *ſive* imperia, *ſive* poteſtates. Rom. cap. 8. verſ. 38. *Mihi perſuaſum eſt, neque poteſtatem.* 1. Theſſ. 4. 16. *Nam ipſe Dominus cum hortationis clamore &* voce Archangeli, *& Dei tuba, deſcendet è cœlo.* Sed quinam & quot illi ſunt ordines & quomodo diſtincti ſubſtantiàne an verò donis aut officiis, non inquirendum. Coloſſ. 2. 18. *Nullus voluntarius moderator de vobis ſtatuat ex ſubiectione & cultu Angelorum, ingerens ea in ſeſe* quæ non vidit.

VI. Officium. Miniſterium exercere partim celebrando Deum, partim mandata eius exequendo. Pſal. 103. 20. *Benedicito Iehovæ Angeli eius, valentiſſimi robore efficientes verbum eius, auſcultantes voci verbi eius.* verſ. 21. *Benedicite Iehovæ omnes exercitus eius, miniſtri eius facientes placitum eius.*

VII. Angelorum quorundam confirmatio in eo ſtatu in quo ſunt poſiti.

CAP.

CAP. 9.

De Homine, & de ſtatu Innocentiæ.

HOmo creatus à Deo, poſitus eſt in excellenti ſtatu innocentiæ; in quo præcipuè ſunt ſpectanda ſeptem.

I. Locus; Hortus Hedenis amœniſſimus. Gen. 2.15. *Accipiens itaq; Iehova Deus hominem illum, collocavit illum in* Horto Hedenis.

II. Puritas totius naturæ humanæ. Eph. 4.24.

Eius partes duæ. Prima eſt ſapientia Dei, id eſt, notitia vera & integra de Deo, de voluntate Dei quatenus ab homine præſtanda eſt, de conſilio Dei in eius creaturis omnibus. Coloſſ. cap. 3. verſ. 10. *Et indueritis novum hominem qui renovatur in agnitionem congruentem imagini eius, qui ipſum condidit.* Gene. 2. 19. *Nam cùm formaſſet Iehova Deus è terra omnes beſtias agri, & omnia volatilia cœli, & adduxiſſet ad Adamum* vt videret quod nomen cuique inderet: *quodcunque enim nomen indidit Adam cuiq; animanti, id nomen eius.*

Pars altera eſt iuſtitia, id eſt, conformitas voluntatis, affectionum, & virium corporis ad eandem Dei voluntatem præſtandam.

III. Dignitas hominis, cujus partes quatuor. Prima eſt communio cum Deo, qua Deus lætabatur in imagine ſua, homo viciſſim Dei amore flagrabat: quod apparet ex familiari Dei colloquio cum Adamo. Gene. 1.29. *Prætereà dixit Deus, ecce dedi vobis omnes herbas ſementantes. &c. vobis ea ſunt*

ad comedendum. & 3.9. *Inclamavit autem Iehova Deus Adamum, dixitq́; ei,* vbi es?

Secunda eſt Dominium ſuper omnes creaturas terræ. Gene. 2.19. Pſal. 8.6. *Dominum eum præfeciſti operibus manuum tuarum: omnia poſuiſti ſub pedibus eius.*

Tertia, Honor & decor corporis etiam nudi, in quo vt nihil apparuit pudendũ, ita etiam imperatoria quędam maieſtas fuit. Pſal. 8.5. *Nam feciſti eum paulo minorem angelis: & gloria ac decore coronaſti eum.* Gen. 2.25. *Erant autem ambo illi nudi, Adam & vxor eius* neque erubeſcebant. 1. Cor. 12. 23. *Et quæ putamus membra corporis maximè eſſe inhoneſta, ijs honorem ampliorem circundamus: & quæ ſunt in nobis indecora, copioſiorem decorem habent.*

Quarta, Labor corporis ſine vlla moleſtia vel dolore. Gen. 3.17. *Quia auſcultaſti voci vxoris tuæ, &c. maledicta terra propter te:* cum moleſtia *comedito ex ea omnibus diebus vitæ tuæ.*

IIII. Subiectio erga Deum, qua aſtrictus homo fuit ad obedientiam Dei mandato præſtandam. Mandatum erat duplex; De duabus arboribus, & de Sabbatho.

Mandatum de arboribus eſt inſtitutum, vt eſſet examen & probatio obedientiæ: & habet duas partes.

Prima eſt conceſſio arboris vitæ, vt eſſet Symbolum vitam æternam obſignans in horto Hedenis, ſi in obedientia perſtiterit. Apoc. 2.7. *Qui habet aurem audiat quid dicat Spiritus Eccleſiis, victori dabo edere*

ex

ex arbore vitæ *quæ eſt in medio paradiſi Dei.* Prov. 3. 18. Arbor vitæ *eſt prehendentibus eam: deniq; tenentium eam beatur quiſque.*

Altera eſt prohibitio arboris ſcientiæ boni & mali, cum comminatione mortis & temporariæ & æternæ, ſi violetur. Gen. 2. 16. 17. *Hæc fuit Symbolum mortis*; & ſic dicta eſt ab eventu: quia obſervationem ejus ſequetur perpetua fruitio boni; & violationem experientia mali. i. Miſeriæ omnis tum in pæna tum in culpa.

Mandatum de Sabbatho eſt, quo inſtituitur à Deo ſanctificatio Sabbathi. Gen. 2. 2.

Vocatio eſt, cultus Dei in mandatis ſervandis, & cuſtodia horti Hedenis. Prou. 16. 4. *Omnia operatus eſt Iehova propter ſe.* Gen. 25. 15. *Collocavit eum in horto Hedenis ad colendum eum*, & cuſtodiendum *eum.*

VI. Victus, herbæ terræ & fructus omnium arborum, excepto fructu arboris ſcientiæ boni & mali. Gen. 1. 29. *Prætereà dixit Deus iis, ecce dedi vobis omnes herbas ſeminantes ſemen quæ ſunt in ſuperficie terræ, omneſq; arbores in quibus eſt fructus arboris ſeminantis ſemen: vobis ea ſunt ad comedendum.*

VII. Libertas agendi, qua poterat velle & præſtare hoc mandatum de duabus arboribus, & etiam nolle ac violare. Vndè primi parentes integri ſunt facti ſed tamen mutabiles. Sic enim voluit Deus ad ſuum decretum exequendum, viam ſternere.

CAP.

CAP. 10.

De Peccato, & de lapſu Angelorum.

LApſus eſt defectio creaturæ rationalis ad peccatum.

Peccatum eſt corruptio ſive privatio rectitudinis primæ, ſive averſio à Deo, ex ordine iuſtitiæ divinæ ad pænam obligans.

Α᾽πορία. Eſtnè peccatum aliquid exiſtens? Λύσις. Rerum quæ ſunt; aliæ ſunt Poſitivæ, aliæ Privativæ.

Poſitivæ ſunt ſubſtantiæ, harum proprietates, vires, inclinationes, appetitiones à Deo conditæ & naturæ inſitæ.

Res privativa eſt, quæ ponit abſentiam rei alicujus debitæ ineſſe. Tale eſt peccatum, quod propriè & per ſe non eſt quid creatum & exiſtens, ſed boni quod adeſſe debuit abſentia: & quamvis inhæreat rebus poſitivis, vt privatio; tamen ab iis ſemper diſtinguendum eſt.

Peccati partes ſunt Defectus ſive Α᾽δυναμία, & Α᾽ταξία.

Α᾽δυναμία eſt ipſa carentia, ſive amiſſio boni à Deo inſiti.

Α᾽ταξία eſt, confuſio ſive conturbatio omnium virium & actionum.

Modus & ratio lapſus ita fuit. Primùm Deus creavit eas bonas quidem, ſed tamen mutabiles: vt dictum eſt. Nam immutabilitèr bonum eſſe Dei proprium eſt. Secundò, exploravit per obiecta. Deut. 13.3.

13.3. N*e auſcultato verbis Prophetæ iſtius, aut iſti ſomnianti ſomnium, quia* tentat vos Iehova Deus *veſter ad cognoſcendum an ſitis amantes Dei veſtri ex toto corde veſtro.* Tertiò, eaſdem in ipſa exploratione non confirmat nova gratia, ſed iuſtis de cauſis deſerit. Vltimò, deſertæ & ſibi relictæ à Deo penitùs avertuntur; vt, ſi quis virgam in pavimento ſuſtineat, erecta ſtabit: ſi manum ſenſim nulla vi adhibita ſubducat, labitur.

Lapſus eſt; vel Angelorum, vel Hominis.

Lapſus Angelorum eſt, quo, intellectu obiectū. i. ſublimiorem ſtatum monſtrante, & ſine vlla coactione aut vi approbante, & voluntate eundem vt gratum eligente: ea interim ſua natura idonea manente ad oppoſitum vel diverſum eligendum: ipſi ſibi authores exiſtunt defectionis à Deo. 2.Pet.2.4. *Nam ſi Angelis qui* peccaverunt *non pepercit, &c.* Iud.6. *Et Angelos, qui non ſervata ſua origine reliquerunt ſuum domicilium, &c.* Ioh.8.44. *Ille fuit homicida ab initio, & in* veritate non perſtitit: *non eſt enim veritas in eo.*

In ſtatu lapſorum angelorum conſideranda.

I. Corruptio è lapſu orta, eſt naturæ illorum depravatio: eſtq; vel horribilis malitia & odium quo ruunt in Deum, vel inexplebile ſtudium deſtruendi genus humanum: tum viribus potentèr adhibitis tum fraudibus. 1.Ioh. 3.8. *Qui peccatum committit ex diabolo eſt, quoniam à principio diabolus peccat: ad hoc patefactus eſt Filius* Dei *vt diſſolvat opera diaboli.* 1.Pet.5.8. *Adverſarius veſter diabolus oberrat tanquam leo rugiens, quærens quem devoret,* Epheſ 6.12.

Quoniam

Quoniam non eſt nobis lucta adverſus ſanguinem & carnem, ſed adverſus imperia, adverſus poteſtates, adverſus mundi dominos, rectores tenebrarum ſæculi huius, adverſus ſpirituales quæ ſunt in ſupercæleſtibus locis, vel potiùs rebus.

II. Ordo ſive diſtinctio. Ex iſtis Angelis vnus ſuperior eſt, reliqui miniſtrant. Superior ille eſt diabolus & reliquorum & mundi princeps, malitia omnibus antecellens. Mat. 25. 44. *Abite à me in ignem æternum, qui paratus eſt* diabolo & angelis eius. 2. Cor. 4. 4. *In quibus* deus huius ſæculi *excæcavit mentes.* Apoc. 12. 7. *Et factum eſt prælium in cælo: Michael & angeli eius præliabantur cum dracone,* & draco *pugnabat* & angeli eius.

Miniſtrantes angeli ſunt, qui diabolo in malo perpetrando ſubſerviunt.

III. Pæna. Lapſos hos reliquit Deus æternis pænis, ſine ſpe veniæ. Iud. 6. 2. Pet. 2. 4. I. Vt admoneret homines quantam miſeriam eſſent meriti. II. Graviora peccata grauius plectenda. Lapſus iſtorum gravior eſt, quia angelica natura robuſtior fuit ad reſiſtendum, & diabolus primus author peccati fuit.

Pæna eſt vel mitior vel horrenda.

Mitior eſt duplex. Prima eſt ejectio è cœlo. 2. Pet. 2. 4. *Nam ſi angelis qui peccarunt non pepercit, ſed in Tartarum detruſos, catenis caliginis tradidit* damnationi ſervatos. Altera eſt limitatio quædam, & circumſcriptio poteſtatis. Iob. 1. 12. *Itaq; dixit Iehova ad Satanam, ecce quæcunq; ſunt ei, in manu tua ſunto, tantummodo in ipſum ne mittito manum tuam: & exivit Satan*

tan à conſpectu Iehovæ.

Pœna horrenda eſt cruciatus in Abyſſo, immenſus & ſpatio temporis & gradu Luc. 8. 31. *Et rogabant eum, ne imperaret ijs vt* irent in Abyſſum.

CAP. II.

De lapſu hominis, & de ſtatu ἀπειθείας.

LApſus Adami fuit eius ſpontanea defectio ad inobedientiam ex eſu pomi prohibiti. In eo ſpectanda, modus, magnitudo, fructus.

Modus & ratio lapſus Adami ſic fuit. I. Diabolus paulò antè lapſus, primis parentibus & incertam eſſe pænam violatæ legis de fructu prohibito: & Deum erga eos non fidelem denunciat. II. Hac impoſtura mentes eorum excæcat. III. Mente excæcati de amore Dei infideles dubitant. IV. Dubitantes moventur vt aſpiciant fructum prohibitum. V. Pulchrum videntes deſiderant. VI. Vt deſiderio ſatisfaciant, fructum manibus decerptũ comedunt: vndè penitùs erga Deum inobedientes fiunt. Gen. 3. 1, 2, 3 4, 5 6, 7, 8.

Et ita à nemine coacti, ſua ſponte labuntur; Deo iuſtis de cauſis illos deſerente. eorumq; lapſum liberè permittente. Nam lapſus iſte, neque fortuitò, neq; inſciente Deo, neque connivente, neque nuda permiſſione, neque repugnante Deo contigit: ſed mirabili quadam ratione non ſine voluntate Dei, neque tamen approbante Deo evenit.

II. Mag-

II. Magnitudo lapſus non ex obiectoexterno, ſeu ex vilitate pomi, ſed ex offenſione Dei æſtimanda eſt. Offenſio Dei ex variis in eo delictis cogitanda eſt. Delictum eſt multiplex. Primum eſt dubitatio de verbo Dei: ſecundum defectus fidei: non enim credunt Deo minitanti pœnas, ſed faſcinati promiſſione diaboli (*eritis ſicut dij*) deſinunt metuere pœnam, & ardent cupiditate majoris gloriæ. Tertium eſt, curioſitas diſcedens à verbo Dei, & quærens aliam ſapientiam. Quartam, ſuperbia, qua volunt ſe extollere & Deo pares eſſe. Quintum, contemptus Dei, cùm violant mandatum contra conſcientiam. Sextum, quòd anteferunt diabolum Deo. Septimum, ingratitudo, quòd quantum in ipſis eſt, expellunt Spiritum Dei in ipſis habitantem, & illam æternam coniunctionem aſpernantur. Octavum, homicidium ſui, & totius poſteritatis,

III. Fructus ſive effectum. Ex hoc ſtatu primorum parentum ortus eſt ſtatus ἀπειθείας, quo Deus concluſit totum genus humanum ſub contumacia, vt in certis ſalvandis miſericordiam, in aliis damnandis iuſtitiam oſtenderet. Rom. 11:32. *Concluſit Deus omnes in contumacia, vt omnium miſereretur.* Gal. 3:22. *Sed concluſit Scriptura omnia ſub peccatum, vt promiſſio ex fide daretur credentibus.*

In hoc ſtatu conſiderandum eſt peccatum, & pœna peccati. Peccatum eſt triplex.

Primum eſt participatio tranſgreſſionis, & reatus Adami, qua, illo peccante omnes poſteri illius peccarunt. Rom. 5.12. *Propterea ſicut per vnum hominem*

peccatum

peccatum in mundum introijt, ac per peccatum mors : & ita in omnes homines mors tranſiit, in quo omnes *peccarunt.*

Ratio in promptu eſt. Adamus non erat privatus homo, ſed repreſentativè perſonam gerebat totius generis humani : & eam ob cauſam, quicquid vel boni à Deo vel aliundè mali recepit, id ſibi & aliis recepit. 1. Cor. 15. 22. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes vivificabuntur.*

Præterea quando Adamus peccavit, illius poſteri tum fuerunt in eius lumbis, & ab eo deinceps vi naturæ propagandi : ideoque ab eo reatum accipiunt. Hebr. 7. 9. *Et (vt ita loquar) in Abraham decimatus eſt etiam ipſe Levi, qui decimas ſolet accipere. Nam is adhuc* in lumbis patris *erat, cùm occurreret Abrahæ Melchiſadec.*

CAP. 12.

De peccato originali.

EX hoc primo ortum eſt ſecundum, id eſt, Originale peccatum; quod eſt innata in prima generatione pravitas, omnes & animi & corporis facultates ad malũ diſponens. Pſal. 51. 5. *En in* iniquitate formatus *ſum, & in* peccato fovit *me mater mea.* Gen. 6. 5. Tit. 3 3. *Nam eramus quondã & nos amẽtes, rebelles, errãtes, ſervientes cupiditatibus ac voluptatibus variis, in malitia & invidia degentes, odioſi, alij alios odio perſequentes.* heb. 12 1. *Abiecto*

Abiecto omni pondere & peccato ad nos circumcingendos *proclivi &c.*)

Peccatum ergò non eſt ſubſtantiæ hominis corruptio, ſed virium tantum. Nam ita mortales animæ fuerint, & Chriſtus non potuiſſet naturam hominis aſſumere.

Huius ſunt omnes Adami poſteri æqualitèr participes. Nam quòd nativam hanc contagionem omnes in actum æquè non adducunt; cauſa eſt quòd alii Spiritum renovantem habent, alii non renovantem ſed reprimentem, alii neutrum.

Propagatur peccatum à parentibus in filios, vel quòd anima corporis contagione, vt vnguentum impuro vaſe afficitur; vel quia Deus animam, eodem momento, quo eſt creata & infuſa, deſerit. Nam *Adamus*, imaginem Dei vt ſibi & aliis accepit, ita ſibi & aliis amiſit.

Verùm quia propagatio peccati eſt velut commune incendium, non tam quærendum vnde injectus ignis, quàm de reſtinguendi ratione cogitandum.

Ad cognoſcendum originale peccatum in ſingulis humanæ naturæ viribus, tria ſunt proponenda; Retentum de imagine Dei; Receptum peccatum ab Adamo; & idem auctum.

Retentum mentis; Notitiæ quædam de bono & malo, quales ſunt; eſſe Deum; Deum eſſe vindicem ſcelerum; eſſe vitam æternam, maiores eſſe colendos, proximum non lædendum. Verùm hæ notitiæ & generales tantùm & corruptæ ſunt & tantùm excuſationi

oni tollendæ inſerviunt. Rom. 1. 19,20. *Quoniam quod de Deo cognoſci poteſt, manifeſtum eſt in ipſis: Deus enim manifeſtum fecit. Ipſius enim inviſibilia dum ex rebus conditis intelliguntur, ex creatione mundi perſpiciuntur æterna eius tum potentia tum divinitas, ad hoc vt ſint ipſi inexcuſabiles.*

Receptum mentis. I. Ignorantia quæ eſt defectus aut vacuitas cognitionis in rebus Dei, quæ nimirum pertinent vel ad eius purum cultum, vel ad vitam æternam. 1. Cor. 2. 14. *Animalis homo non eſt capax eorum quæ ſunt Spiritus Dei. Sunt enim ei ſtultitia*, neque poteſt ea cognoſcere, *quia ſpiritualiter dijudicantur.* Rom. 8. 7. *Propterea quòd intelligentia carnis* inimicitia *adverſus Deum. Legi enim dei non ſubijcitur: nam* ne poteſt *quidem.* II. Αδυναμία, qua mens non poteſt per ſe percipere res ſpirituales quando docentur. Luc. 24. 45. *Tum* aperuit *eorum mentes vt intelligerent ſcripturas.* 2. Cor. 3. 5. *Non quòd idonei ſimus ex nobiſipſis ad cogitandum quicquam, velut ex nobiſipſis: ſed quòd idonei ſimus, id ex Deo eſt.* III. Vanitas, qua judicat verum eſſe falſum & contrà. Epheſ. 4. 17. *Ne verſemini, ſicut reliquæ Gentes verſantur, in* vanitate *mentis veſtræ.* 1. Cor. 1. 21. *Placuit Deo per* ſtultam *prædicationem ſervare credentes.* & 23. *Nos prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem offendiculum, Græcis verò* ſtultitiam. Prov. 14. 12. *Eſt via quæ recta videtur in conſpectu virorum, cuius finis eſt via ad mortem.* IV. Aptitudo ad concipiendum & cogitandum malum tantùm. Gen. 6. 5. *Sed cùm videret Iehova augeri malitiam hominis in terra, & omne* fig-

mentum cogitationum cordis *eius tantummodò malum eſſe omni tempore.* Iere. 4. 22. *Sapientes erunt ad malefaciendum, & benefaciendi ignorantes.*

Hinc apparet hæreſium omnium principium, & materiem quandam in homine innatam eſſe. Hoc cogitent omnes Theologiæ ſtudioſi.

Auctum mentis: reprobus ſenſus Deo detrahente lucem naturæ. Ioh. 12. 40. Excæcavit *oculos eorum, & obduravit corda eorum: ne videant oculis, & intelligant corde & convertantur, & ego ſanem eos.* Rom. 1. 28. *Et ſicut non viſum eſt ijs Deum in notitia retinere: ita tradidit eos Deus in* mentem omnis judicii expertem, *vt facerent quæ minimè conveniebat.* Et ſpiritus ſaporis. Rom. 11. 8. *Dedit ijs Deus* Spiritum ſaporis, *&c.* Et ſpiritualis ebrietas. Eſa. 29. 9. Et efficacia illuſionis. 2. Theſſ. 2. 11. *Propterea mittet illis Deus* efficaciam illuſionis *vt credant mendacio.*

Retentum conſcientiæ. Eſt aliqua συντήρησις, & aliqua συνείδησις in homine relicta ad coarguendam & aliquatenus etiam impediendam affectuum ἀταξίαν. Rom. 2. 15. *Vt qui oſtendat opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, vnà teſtimoniam reddente ipſorum conſcientia, & cogitationibus ſeſe mutuò* accuſantibus *aut etiam* excuſantibus.

Receptum conſcientiæ. Eius impuritas. Tit. 1. 15. *Pollutis autem & infidelibus nihil eſt purum, ſed* polluta *eſt eorum mens &* conſcientia. Huius impuritatis triplex eſt effectum. Primum eſt excuſare peccatum: vt exempli gratia, Si quis externum Deo cultum

cultum præſtiterit, excuſabit internam impietatem. Mar. 10. 19, 20. *Noſti mandata &c. ille verò reſpondens, dixit ei, magiſter, hæc* omnia obſervavi *à iuventute mea.* Excuſabit etiam intentiones quæ ſunt præter verbum Dei. 1. Chro. 13.9. *Sed cum veniſſet vſq; ad aram Cidonis, extendit Huzza manum ſuam adprehendendum arcam, quia dimoverant eam boves.* Secundum eſt, accuſare & terrere ob bonum. Vt apparet in ſuperſtitioſis, qui ideo animis anguntur, quòd fictitios cultus ſuos, & idolomanias omiſerunt. Coloſſ. 2. 21. *Ne attigeris, ne guſtaris, neq; contrectaris.* 22. *Quæ omnia ipſo vſu pereunt, præſcripta ex mandatis & doctrinis hominum.* Eſa. 29. 13. *Eſtq;* reverentia *eorum erga me, quam* præcepto hominum *edocti ſunt.* Tertium eſt, accuſare & terrere ob peccatum. Gen. 50. 15. *Videntes autem fratres Ioſephi mortuum eſſe patrem ſuum, dicebant,* fortaſſis *inteſtino odio proſequitur nos Ioſeph, & omnino rependet nobis totum illud malũ quod intulimus ei.* Ioh. 8. 9. *Auditis autem his, arguente ipſos conſcientia, ſingulatim alius poſt alium exibat.* 1. Ioh. 3. 20. Hoc autem verè fit ſed non ſanctè, quia non fuit hoc effectum conſcientiæ in Adamo adhuc integro.

Auctum conſcientiæ. I. Torpor & ſtupor talis, vix vnquam vt accuſet ob peccatum. Epheſ. 4. 18. *Qui poſtquam* dedoluerunt, *ſeipſos dediderunt proterviæ, ad certatim patrandam impuritatem omnem.* 1. Tim. 4. 2. *Quorum conſcientia* cauterio reſecta eſt. Oritur hic torpor è conſuetudine peccandi. 1. Sam. 25. 37. *Sed fuit mane cùm abiiſſet crapula à Nabale,*

& indicaret ei vxor res iſtas: vt obſtupuerit animus eius in eo, & ipſe fuerit veluti lapis. II. Inſignis horror & terror conſcientiæ. Gen. 4.14. *En expellis me hodiè à ſuperficie terræ, & à facie tua abſcondar.* & verſ. 13. *Maior eſt pœna mea, quàm vt ſuſtinere poſſim.* Ejus Symptomata ſunt, blaſphemiæ, tremor corporis, horrenda inſomnia. Act. 24.24. *Diſſerente autem ipſo de iuſtitia & continentia, & iudicio futuro,* expavefactus *Felix &c.* Dan. 5.6. *Eadem hora egreſſi digiti manus humanæ è regione lychnuci, &c. tum toto regis ſplendore immutato & cogitationibus eius conturbantibus ipſum: cum cingula lumborum eius diſſoluta eſſent, genuaq; eius colliderent alterum alteri &c.*

Retentum voluntatis. Libertas eligendi; Primò, in actione quavis naturali, quæ convenit omni animanti, vt nutrire, generare, movere, ſentire. Secundò, in quavis actione humana. i. quæ convenit omni homini: ideoque in actionibus externis ſive moralibus, ſive œconomicis, ſive politicis libera eſt voluntas, vtcunque in iis eligendis, vel etiam fugiendis imbecilla eſt. Rom. 2.14. *Nam quum Gentes, quæ legem non habent, naturâ quæ legis ſunt, faciant, &c.*

Receptum voluntatis. I. Impotentia, qua non poteſt velle, vel minimum appetere quod verè bonum, id eſt, quod Deo placeat, eique gratum ſit. 1. Cor. 2.14. Rom. 5.6. *Chriſtus enim cum adhuc* nullis viribus *eſſemus, ſuo tempore pro impijs mortuus eſt.* 2. Tim. 2.26. Philip. 2.13. *Deus enim is eſt, qui efficit in vobis, & vt velitis, & vt efficiatis pro gratuita ſua benevolentia.* II. Rebellio contra bonum, qua penitùs

nitùs abhorret à bono, & malum tantùm appetit atq; vult.

Hinc apparet voluntatem habere ſe merè paſſivè in primo actu converſionis ad Deum: neque per ſe omninò poſſe incoare eam, vel etiam interiorem aliquam obedientiam legi debitam.

Receptum affectionum: Ἀταξία, qua non rectè moventur, quia bonum declinant, & malum tantùm amplectuntur. Gal. 5. 24. *Qui Chriſti ſunt, carnem crucifixerunt cum affectibus & concupiſcentiis.* Rom. 1. 26. *Propterea tradidit eos Deus* fœdis affectibus. 1. Reg. 22. 8. *Dixit Rex Iſraelis ad Iehoſaphatum, amplius vir quidam eſt, ex quo conſulis Iehovam: ſed* ego odi eum, *&c.* & 21. 4. *Quamobrem venit Achab domum ſuam* faſtidioſus & indignabundus *propter verbum quo alloquutus erat ipſum Nabath Iſreelita, &c. Et iacens in lecto ſuo avertebat faciem ſuam ne comederet cibum.*

Receptum corporis. I. Aptitudo incipiendi peccatum: quod facit corpus, transferendo obiecta & occaſiones ad animum. Gene. 3. *Cùm ergò* videret mulier *bonum eſſe arboris illius fructum in cibum, & gratiſſimam eſſe illam oculis & c. accepit tandem de fructu eius & comedit.* II. Aptitudo perficiendi peccatum, vbi ab animo eſt cæptum. Rom. 6. *Neque ſiſtite membra veſtra* arma iniuſtitiæ *peccato.* verſ. 19. *Itaq; ſicut ſtitiſtis membra veſtra ſerva impuritati ad patrandam iniquitatem, &c.*

CAP. 13.

De peccato Actuali.

EX originali peccato in Adami poſteris, ſequetur Actuale peccatum. Eſtque vel internum vel externum. Internum mentis, voluntatis affectionum.

Mentis actuale peccatum eſt, prava cogitatio contra legem Dei; cujus exempla quædam Deus καρδιογνώστης in verbo expreſſit. I. Non eſſe Deum. Pſal. 10.4. *Improbus iſte pro elatione vultus ſui non inquirit*: non eſſe Deum *ſunt omnes cogitationes eius.* & 14.1. *Dicit ſtultus cum animo ſuo* non eſt Deus. II. Non eſſe Dei providentiam vel præſentiam. Pſal. 10.11. *Dicens cum animo ſuo oblitus eſt Deus fortis: abſcondit faciem ſuam,* non reſpicit *vnquam.* verſ. 13. *Quamobrem irritans impius Deum diceret cum animo ſuo te* non inquiſiturum. III. Se eſſe tutum ab omnibus periculis. Pſal. 10.6. *Dicit cum animo ſuo,* non dimovebor. Apoc. 18.7. *Quæ in corde ſuo dicit, ſedeo regina, nec ſum vidua,* nec luctum videbo. IV. Se præ aliis excellentiſſimum eſſe. Apoc. 18.7. *Sedeo regina.* Luc. 18.11. *Phariſæus ſtans hæc apud ſe precabatur, Deus gratias ago tibi, quod* non ſum *vt reliqui homines, rapaces, iniuſti, mœchi: vel etiam vt iſte Publicanus.* verſ. 12. *Ieiuno bis in hebdomade, decimo quæcunque poſſideo.* V. Evangelium regni Dei eſſe ſtultitiam. 1. Corinth. 2.14. VI. Malè & perversè cogitare de iis qui Deum verè colunt. Matth. 12. 24. *Phariſæi, cùm hæc audiſſent, dicebant,*

dicebant, ille non eijcit dæmonia niſi per Beelzebub principem dæmoniorum. Pſal. 74. 8. *Dixerunt in corde ſuo vim inferamus ijs pariter.* VII. Nondum adſtare mortem. Eſa. 28. 15. *Quoniam pepigimus* fœdus cum morte; *& cum ſepulchro egimus* cauſum: *flagellum inundantis cum tranſibit non obveniet nobis, &c.* VIII. Vitari poſſe pœnas inferni. *Ibid.* IX. Deum differre adventum ſuum ad judicium, vel particulare vel vltimum. Luc. 12. 19, 45.

Voluntatis & affectionum actuale peccatum eſt quælibet prava motio, inclinatio & appetitio. Gal. 5. 17. *Nam caro* concupiſcit *adverſus Spiritum.*

Peccatũ actuale exernum eſt, ad quod perpetrandum præter animi facultates, corporis etiam membra concurrunt. Horum numerus maximus eſt. Pſal. 40. 13.

Peccatum actuale eſt, vel omiſſum vel commiſſum: vtrumque etiam vel in verbis vel in factis.

In peccato commiſſo duo ſpectanda: gradus commiſſionis, commiſſi differentiæ.

Gradus quatuor ſunt. Iac. 1. 14. *Sed vnus quiſq;* tentatur, *dum à propria cupiditate* abſtrahitur *&* ineſcatur; *deinde cupiditas poſtquàm* concepit, parit *peccatum: peccatum verò* peractum *gignit mortem.*

Primus eſt tentatio, qua ſollicitatur homo ad peccandum. Hoc fit, malum ſuggerente Satana. Ioh. 13. 3. *Et cœna facta (cùm diabolus iam* immiſiſſet *in cor Iudæ, filij Simonis Iſcariotæ vt proderet eum.)* Act. 5. 3. *Dixit autem Petrus, Ananias cur* im-

plevit Satan *cor tuum vt mentireris &c.* 1.Chron.21. 1. *Inſtans autem Satanas contra Iſraelem* incitavit Davidem *ad numerandum Iſraelem.* Fit etiam ex occaſione externi obiecti ſenſibus percepti. Iob. 31.1. Fœdus *pepigeram* cum oculis *meis: & quid adverterem animum ad virginem?*

Tentationis duæ partes: Abſtractio, Ineſcatio.

Abſtractio eſt, prima cogitatio de malo admittendo, qua mens abducitur à Deo cui tota ſemper obedire debuit. Luc. cap.10. verſ.27. D*iliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota* cogitatione *tua.*

Ineſcatio eſt, qua cogitatio ſemel admiſſa & aliquandiu retenta titillando, voluntatem & affectiones ad peccandum excitat.

Secundus gradus eſt Conceptio, quæ eſt conſenſus quidam & reſolutio de peccato admittendo. Pſal. 7.15.

Tertius gradus eſt Partus, qui eſt perpetratio peccati, adhibitis facultatibus animi & corporis viribus.

Quartus eſt Perfectio, qua peccatum ex frequenti illius iteratione jam conſummatum & quaſi maturum, peccatoris mortem, id eſt, damnationem gignit, id eſt, & meretur & adducit. Pharaonis exemplum.

Peccati iam admiſſi differentiæ, ſunt quinque.

Prima: non agere ſed cum peccante conſentire. Epheſ. 5. 11. *Et ne commercium habete cum operibus illis infrugiferis tenebrarum: ſed potiùs ea arguite.* Hoc fit tripliciter. I. Ratione aliquatenus peccatum

tum approbante. Num. 20. 6. *Veniens Moſes & Aa-ron procidérunt in faciem ſuam.* verſ. 10. *Dixitq́ue iis, audite nunc rebelles, an ex petra hac proferemus vobis aquam?* verſ. 12. *Quamobrem dixit Iehova ad Moſem & Aaronem, quia non credidiſtis mihi, vt ſanctificaretis me ante oculos filiorum Iſraelis, idcirco non introducetis congregationem iſtam in terram quam ego dabo vobis.* II. Voluntatis affectu & conſenſu, Huc pertinet reticentia & conniventia miniſtri & magiſtratus. 1. Sam. 2. 23. 27. III. Opere, quod fit dando conſilium, præſentia, irritatione. Rom. 1. 32. *Non ſolum ea faciunt, ſed etiam facientibus patrocinantur.* Act. 22. 20. *Et cum funderetur ſanguis Stephani Martyris tui, ego quoque* adſtabam & aſſentiebar *cædi illius, & cuſtodiebam pallia illorum qui interficiebant illum.*

Secunda, peccare ſed ex ignorantia: quod eſt quando quis, quod facit non novit expreſſè & diſtinctè eſſe peccatum: vel ſi novit, non agnovit & perſpexit. 1. Timoth. 1. 13. *Qui prius eram blaſphemus, & perſequutor & iniurioſus; ſed mei miſertus eſt: nam* ignorans *id faciebam fidei expers.* Num. 35. 22, 23, 27. 1. Cor. 4. 4. *Nullius enim rei mihi ſum conſcius: ſed per hoc non ſum iuſtificatus.* Pſal. 19. 13. *Ab* ocultis *libera me.*

Tertia, ſcienter peccare ſed ex infirmitate; vt cum quis bonum alioquin agnitum, *metu* cuiuſdam periculi & mortis *horrore* territus contra dictamen conſcientiæ negat. In hoc genere eſt Petri lapſus, qui fuit è præcipitatione mentis & ex timore. Hoc modo

modo peccatur etiam, quùm carnis & *cupiditatum affectus*, voluntati & conatui prædominantes, hominem ad agendum inſtigant, quod ex animo oderit. Rom. 7. 19.

Quarta, Scientèr peccare cum quadam pertinacia. Pſal. 19. 4. T*um à* contumaciis *ſubtrahe ſervum tuum ne dominentur in me.* Huius loci eſt, peccatum omne quod fit *elata manu*, id eſt, cum aliquo Dei contemptu. Num. 15. 30, 31. Præſumptio etiam de miſericordia Dei in malo perpetrando. Eccleſ. cap. 8. verſ. 10. *Quia nullum efficitur decretum pro compenſatione iſtius mali citò: idcircò probevit animus hominum eò audaciæ illos, vt faciant malum.* Rom. 2. 4, 5.

Quinta, Scientèr peccare, ſed ex deſtinata malitia in Deum. Huc pertinet peccatum in Spiritum Sanctum.

CAP. 14.

De communi pœna peccati.

HVcuſque de peccato quo totum genus humanum polluitur: ſequitur pœna peccati, quæ triplex eſt.

Prima eſt, In hac vita; quæ etiam multiplex eſt. *I.* In corpore, laboris in victu quærendo moleſtia. Gene. 3. 17. Proclivitas ad morbos. Matth. 9. 2. Ioh. 5. 14. *Poſteà invenit eum Ieſus in templo & dixit ei, ecce, ſanus factus es:* ne pecca *amplius, v*... ne quid *deterius tibi contingat.* Deut. 28. 24. *Faciet Iehova vt ad-*

adhæreſcat tibi peſtis, *donec conſumpſerit te ex terra ſſla, quo venturus es ad hæreditariò poſſidendum eam.* verſ.22. *Percutiet te Iehova tabe, calidaq; & æſtuante ac* adurente febre. Pudor ob nuditatem. *Gene.* 3.7. Pariendi difficultates in fœmina. Gene. 3. 16. *Ad mulierem dixit, multiplicando multiplicabo dolorem tuum, id eſt, dolorem conceptus tui, in dolore paries liberos.* *II. In* anima; Pavores conſcientiæ, curæ & ſollicitudines, duricies cordis, amentia. Deut. 28. 28. *Percutiet te Iehova* amentiâ *&* cæcitate, *ac* ſtupore cordis. *III. In* toto homine, horrenda ſervitus ſub dominio Satanæ. Coloſſ. 1. 13. *Qui liberavit nos à poteſtate tenebrarum, ac tranſtulit in regnum filij ſibi dilecti.* Hebr. 2. 14. *Ipſe quoq; conſimiliter particeps factus eſt eorundem, vt per mortem aboleret eum qui* mortis imperium habet, *hoc eſt, Diabolum.* Alienatio à communione Dei, & ad illius præſentiam horror. Eph. 4. 18. *Cogitationem habentes obſcuratam & abalienatam à vita Dei.* Gen. 3. 10. *Qui dixit, vocem tuam audivi in horto* & timui : *eo quod nudus : ideo abſcondi me.* *IV. In* bonis calamitates & detrimenta varia. Deu. 28. 29. &c. Hîc locum habet diſtinctio Dominiorum : ex qua etiam & ſtudium acquirendi dominii & contractus atque ſervitutes exiſtunt. V. Amiſſio dominii quod habuit homo in creaturas, & illarum vanitas, qua virium in iis excellentia & remiſſa eſt & corrupta. Rom. 8. 20. *Nam* vanitati *res creatæ ſubiectæ ſunt non ſua ſponte, ſed propter eum qui ſubiecit eas iſti vanitati.* V *I. In* nomine; infamia & ignominia etiam poſt hanc vitam.

Secunda

Secunda eſt in vltimo termino huius vitæ, Mors vel immutatio quædam mortis inſtar. Rom. 6. 23. *Nam ſtipendium peccati* mors.

Tertia poſt hanc vitam, exitium æternum à præſentia Dei & potente ipſius gloria. 2. Theſſ. 1. 9. *Qui pœnam pendent æterni exitij à præſentia Dei & gloria præſentiæ ipſius.*

CAP. 15.

DE DECRETO ELE-
ctionis, & de eius fundamento Ieſu Chriſto.

PRædeſtinatio eſt, vel decretum Electionis, vel decretum Reprobationis. 1. Theſ. 5. 9.

Electionis decretum eſt, quo Deus ex benevolo affectu voluntatis ſuæ, certos homines ad ſalutem deſtinavit, ad laudem glorioſæ gratiæ. Epheſ. 1. 4. *Sicut* elegit *nos in ipſo antequam iacerentur fundamenta mundi, vt ſimus ſancti & inculpati coram eo per charitatem.* verſ. 5. *Qui prædeſtinavit nos quos adoptaret in filios per Ieſum Chriſtum* in ſeſe, pro benevolo affectu voluntatis ſuæ. verſ. 6. Ad laudem *glorioſæ ſuæ gratiæ, &c.*

Hoc decretum eſt liber vitæ, in quo nomina electorum ſcripta ſunt. Apoc. 20. 12. *Et vidi mortuos magnos & puſillos ſtantes in conſpectu Dei, & libri aperti ſunt: & alius liber apertus eſt, qui eſt* liber vitæ: *iudicatiq́; ſunt mortui ex ijs quæ ſcripta erant in libris*

ſecundum

ſecundum opera ipſorum. 2.Tim.2.19. *Solidum tamen fundamentum Dei ſtat, habens ſigillum hoc* : Novit Dominus qui ſunt ſui.

Exequutio iſtius decreti eſt, qua Deus modo apud ſe conſtituto, efficaciter operatur ea, quæ decrevit ad Electorum ſalutem. Nam Electi ad finem, id eſt, ad vitam æternam, ſunt etiam electi ad ea ſubordinata media, quibus ad finem gradatim perduci & ſine quibus finem conſequi non poſſunt. Rom.8.29. *Nam quos præſcivit, eoſdem & prædeſtinavit, vt conformes fiant imagini filij Dei: vt is ſit primogenitus inter multos fratres.* verſ. 30. *Quos verò prædeſtinavit, eos etiam vocavit : & quos vocavit, etiam iuſtificavit : quos autem iuſtificavit, eos etiam glorificavit.*

Ad eius exequutionem tria pertinent, Fundamentum, Media, Gradus.

Fundamentum eſt Chriſtus Ieſus: qui ab æterno vocatus eſt à Patre ad officium Mediationis præſtandum, vt in eo eligerentur omnes qui eſſent ſaluandi. Hebr.5.5. *Ita & Chriſtus non ſibi hunc honorem tribuit vt fieret Pontifex, ſed is qui dicebat ei, Filius meus es tu ego hodiè genui te, &c.* Eſa. 41.1. *Auſcultate inſulæ mihi, & attendite nationes è longinquo. Iehova* inde ab vtero vocaverat *me : è viſceribus matris meæ memoriam conſtituerat mei nominis, &c.* Epheſ.1.4. *Sicut elegit nos* in ipſo, *id eſt, Chriſto.*

Ἀπορία. Quomodo poteſt Chriſtus, qui omnia ſimul cum Patre decrevit, ſubordinari divinæ electioni. Λύσις. Chriſtus quatenus Mediator, non quidem ipſi decreto Electionis, ſed eius tantum exequutioni

ſub-

modo peccatur etiam, quùm carnis & *cupiditatum affectus*, voluntati & conatui prædominantes, hominem ad agendum inſtigant, quod ex animo oderit. Rom. 7. 19.

Quarta, Scientèr peccare cum quadam pertinacia. Pſal. 19. 4. T*um à* contumaciis *ſubtrahe ſervum tuum ne dominentur in me.* Huius loci eſt, peccatum omne quod fit *elata manu*, id eſt, cum aliquo Dei contemptu. Num. 15. 30, 31. Præſumptio etiam de miſericordia Dei in malo perpetrando. Eccleſ. cap. 8. verſ. 10. *Quia nullum efficitur decretum pro compenſatione iſtius mali citò: idcircò probevit animus hominum eò audaciæ illos, vt faciant malum.* Rom. 2. 4, 5.

Quinta, Scientèr peccare, ſed ex deſtinata malitia in Deum. Huc pertinet peccatum in Spiritum Sanctum.

CAP. 14.

De communi pœna peccati.

HVcuſque de peccato quo totum genus humanum polluitur: ſequitur pœna peccati, quæ triplex eſt.

Prima eſt, In hac vita; quæ etiam multiplex eſt. *I.* In corpore, laboris in victu quærendo moleſtia. Gene. 3. 17. Proclivitas ad morbos. Matth. 9. 2. Ioh. 5. 14. *Poſteà invenit eum Ieſus in templo & dixit ei, ecce, ſanus factus es:* ne pecca *amplius, ne quid deterius tibi contingat.* Deut. 28. 24. *Faciet Iehova vt ad-*

adhæreſcat tibi peſtis, *donec conſumpſerit te ex terra illi, quo venturus es ad hæreditariò poſſidendum eam.* verſ.22. *Percutiet te Iehova tabe, calidaq́ & æſtuante ac* adurente febre. Pudor ob nuditatem. Gene. 3.7. Pariendi difficultates in fœmina. Gene. 3.16. *Ad mulierem dixit, multiplicando multiplicabo dolorem tuum, id eſt, dolorem conceptus tui, in dolore paries liberos.* *II.* *I*n anima; Pavores conſcientiæ, curæ & ſollicitudines, duricies cordis, amentia. Deut. 28. 28. *Percutiet te Iehova* amentiâ & cæcitate, *ac* ſtupore cordis. *III.* *I*n toto homine, horrenda ſervitus ſub dominio Satanæ. Coloſſ. 1.13. *Qui liberavit nos à poteſtate tenebrarum, ac tranſtulit in regnum filij ſibi dilecti.* Hebr. 2.14. *Ipſe quoq́ conſimiliter particeps factus eſt eorundem, vt per mortem aboleret eum qui* mortis imperium habet, *hoc eſt, Diabolum.* Alienatio à communione Dei, & ad illius præſentiam horror. Eph. 4.18. *Cogitationem habentes obſcuratam & abalienatam à vita Dei.* Gen. 3.10. *Qui dixit, vocem tuam audivi in horto* & timui*: eo quod nudus: ideo abſcondi me.* *I*V. *I*n bonis calamitates & detrimenta varia. Deu. 28.29. &c. Hic locum habet diſtinctio Dominiorum: ex qua etiam & ſtudium acquirendi dominii & contractus atque ſervitutes exiſtunt. V. Amiſſio dominii quod habuit homo in creaturas, & illarum vanitas, qua virium in iis excellentia & remiſſa eſt & corrupta. Rom. 8.20. *Nam* vanitati *res creatæ ſubiectæ ſunt non ſua ſponte, ſed propter eum qui ſubiecit eas iſti vanitati.* V*I.* *I*n nomine; infamia & ignominia etiam poſt hanc vitam.

Secunda

Secunda eſt in vltimo termino huius vitæ, Mors vel immutatio quædam mortis inſtar. Rom. 6. 23. *Nam ſtipendium peccati* mors.

Tertia poſt hanc vitam, exitium æternum à præſentia Dei & potente ipſius gloria. 2. Theſſ. 1. 9. *Qui pœnam pendent æterni exitij à præſentia Dei & gloria præſentiæ ipſius.*

CAP. 15.

DE DECRETO ELE- *ctionis, & de eius fundamento Ieſu Chriſto.*

PRædeſtinatio eſt, vel decretum Electionis, vel decretum Reprobationis. 1. Theſ. 5. 9.

Electionis decretum eſt, quo Deus ex benevolo affectu voluntatis ſuæ, certos homines ad ſalutem deſtinavit, ad laudem glorioſæ gratiæ. Epheſ. 1. 4. *Sicut* elegit *nos in ipſo antequam iacerentur fundamenta mundi, vt ſimus ſancti & inculpati coram eo per charitatem.* verſ. 5. *Qui prædeſtinavit nos quos adoptaret in filios per Ieſum Chriſtum* in ſeſe, pro benevolo affectu voluntatis ſuæ. verſ. 6. Ad laudem *glorioſæ ſuæ gratiæ, &c.*

Hoc decretum eſt liber vitæ, in quo nomina electorum ſcripta ſunt. Apoc. 20. 12. *Et vidi mortuos magnos & puſillos ſtantes in conſpectu Dei, & libri aperti ſunt: & alius liber apertus eſt, qui eſt* liber vitæ: *iudicatiq́ ſunt mortui ex ijs quæ ſcripta erant in libris*

ſecundum

ſecundum opera ipſorum. 2.Tim.2.19. *Solidum tamen fundamentum Dei ſtat, habens ſigillum hoc* : Novit Dominus qui ſunt ſui.

Exequutio iſtius decreti eſt, qua Deus modo apud ſe conſtituto, efficaciter operatur ea, quæ decrevit ad Electorum ſalutem. Nam Electi ad finem, id eſt, ad vitam æternam, ſunt etiam electi ad ea ſubordinata media, quibus ad finem gradatim perduci & ſine quibus finem conſequi non poſſunt. Rom.8.29. *Nam quos præſcivit, eoſdem & prædeſtinavit, vt conformes fiant imagini filij Dei: vt is ſit primogenitus inter multos fratres.* verſ. 30. *Quos verò prædeſtinavit, eos etiam vocavit : & quos vocavit, etiam iuſtificavit: quos autem iuſtificavit, eos etiam glorificavit.*

Ad eius exequutionem tria pertinent, Fundamentum, Media, Gradus.

Fundamentum eſt Chriſtus Ieſus: qui ab æterno vocatus eſt à Patre ad officium Mediationis præſtandum, vt in eo eligerentur omnes qui eſſent ſaluandi. Hebr.5.5. *Ita & Chriſtus non ſibi hunc honorem tribuit vt fieret Pontifex, ſed is qui dicebat ei, Filius meus es tu ego hodiè genui te, &c.* Eſa.41.1. *Auſcultate inſulæ mihi, & attendite nationes è longinquo. Iehova* inde ab vtero vocaverat *me: è viſceribus matris meæ memoriam conſtituerat mei nominis, &c.* Epheſ.1.4. *Sicut elegit nos* in ipſo, *id eſt, Chriſto.*

Α'πορία. Quomodo poteſt Chriſtus, qui omnia ſimul cum Patre decrevit, ſubordinari divinæ electioni. Λύσις. Chriſtus quatenus Mediator, non quidem ipſi decreto Electionis, ſed eius tantum exequutioni ſub-

ſubordinatur: 1. Pet. 1. 20. *Pretioſo ſanguine Chriſti praordinati* [προεγνωσμένου] *ante iacta mundi fundamenta.* Auguſt. lib. de Prædeſt. Sanct. cap. 15. *Chriſtus prædeſtinatus vt caput noſtrum eſſet.*

*I*n Chriſto duo præcipuè conſideranda; Incarnatio, & Munus. Ad Chriſti incarnationem perficiendam, tria inſerviunt; Naturæ duæ, Vnio naturarum, Earumq; diſtinctio.

E naturis duabus, prima eſt *Deitas*, quatenus eſt Filii, qua Chriſtus eſt Deus. Phil. 2. 6. *Qui cum eſſet* in forma Dei *non duxit rapinam parem eſſe Deo.* *I*oh. 1. 1. *In principio erat Sermo ille, & Sermo ille erat apud Deum, eratq; ille Sermo Deus.*

Oportuit Mediatorem eſſe Deum. Primò, vt poſſet ferre magnitudinem illius mali, quo premebatur humanum genus. In hoc malo concurrunt hæc maxima: Gravitas peccati, quo infinitè offenſa eſt Dei majeſtas. *I*ra Dei infinita in idem peccatum: horrenda potentia mortis, & tyrannis diaboli qui princeps eſt mundi. Secundò, vt alteri naturæ, id eſt, humanæ, *valorem pleni & ſufficientis meriti, & efficaciam* operandi tribueret. Tertiò, vt vitam æternam & ſanctitatem omnibus electis infunderet. Eſa. 43. 12. *Ego, ego I*ehova, *& nullus præter me* Servator: *ego iudico, & ſervo, & prænuncio, non autem vllus in vobis alienus Deus: & vos teſtes mei eſtis, dictum* Iehova, *me Deum fortem eſſe.*

Addo Deitatem quatenus eſt Filii, non quatenus Patris vel Spiritus Sancti eſſe divinam naturam. Quia Filii eſt exequi & adminiſtrare quamlibet actionem exter-

externam à Patre per Spiritum Sanctum. 1. Cor. *6.8.* Et ipſe cùm ſit naturà Filius Dei patris, privilegium hoc credentibus concepit vt adoptentur in filios Dei. Ioh. 1.12. *Quotquot autem eum acceperunt, dedit ijs hanc dignitatem vt filij Dei fierent.* Si vel Pater vel Spiritus Sanctus carnem aſſumpſiſſet; Filii nomen ad alterum tranſiret, qui non eſſet æterna generatione Filius, & ita plures eſſent Filii.

Altera natura eſt Humanitas Chriſti, qua Mediator eſt verus homo. 1. Timoth. 2.5. *Unus enim Deus, vnus etiam Mediator Dei & hominum* homo *Ieſus Chriſtus.*

Hominem eſſe oportuit: primò, vt in ea natura placaretur Deus, in qua fuit offenſus. Secundò, vt poſſet ſubire pœnam peccato debitam. Deitas enim eſt impatibilis.

Prætereà Chriſtus homo eſt ſimilis nobis per omnia excepto peccato. Heb. 2.17. *Vnde debuit* per omnia *fratribus* ſimilis *fieri, vt miſericors eſſet, &c.*

Eſt ergo verus & integer homo, habens plenam & perfectam eſſentiam veri animi & veri corporis, & facultates eſſentiæ, & eſſentiales proprietates; vt in animo, intelligentiam, memoriam, voluntatem, &c. In corpore longum, latum, altum eſſe, circumſcriptum, viſibile, palpabile, & omnia, quæ vel adornandam eſſentiam hominis, vel ad conſtituendam ex ordine creationis pertinent.

Eſt etiam infirmus homo: iiſdem quibus nos infirmitatibus obnoxius. Ex his præcipuæ ſunt;

Tentari.

Tentari. Matth. 4. 1. *Tum Ieſus ſubductus fuit in deſertum à Spiritu, vt tentaretur à diabolo.* Timere. Heb. 5. 7. *Qui in diebus carnis ſuæ quùm deprecationes & ſupplicationes apud eum qui poterat ipſum ſervare à morte, cum* clamore valido & lachrimis *obtuliſſet, & exauditus eſt* ex metu. Iraſci. Mar. 3. 5. *Et cùm circũſpexiſſet eos* cum ira, condoleſcens *quòd occalluiſſet cor eorum; dicit homini, extende manum tuam.* Non meminiſſe impoſitum munus ob agonem concutientem ſenſus. Matth. 26. 39. *Et progreſſus paululùm, procidit in faciem ſuam, precans & dicens, Pater mi, ſi poſſibile eſt,* abeat *à me poculum iſtud;* veruntamen non *vt ego volo, ſed vt tu.* De infirmitatibus Chriſti hæc tenenda. I. Qualitates ſunt naturam hominis afficientes tantùm, non conſtituentes: ideoque potuerunt à Chriſto deponi. II. Sunt vniverſæ naturæ humanæ communes; vt ſitire, defatigari, mori poſſe; non perſonales; vt febris, lepra, pthiſis, cæcitas. III. Suſcepit eas non condicionis ſuæ neceſſitate, ſed miſerationis voluntate. Ergò in eo non ſunt pœna peccati proprii, vt in nobis; ſed pars humiliationis quam volens pro nobis ſubiit.

CAP. 16.

De vnione naturarum in Chriſto.

SEquitur Vnio naturarum, quæ etiam ad mediationem maximè conducit: per hanc enim ſtat, quòd humana Chriſti natura mortem crucis patiendo, ab eadem non eſt victa & in æternum abſorpta.

ſorpta. Ad vnionem tria pertinent.

Primum eſt Conceptio, qua maſſa illa ſeu humana natura mirabili virtute ſeu operatione Dei è ſubſtantia Mariæ virginis immediatè, id eſt, abſque interventu viri, & miraculoſè formatur. Luc. cap. 1. verſ. 35. *Et reſpondens Angelus, dixit ei, Spiritus ſanctus ſuperveniet in te, & virtus altiſſimi* inumbrabit *te.*

Spiritus Sanctus Chriſti pater dici non poteſt, quia materiam non miniſtravit, ſed è ſubſtantia virginis naturam humanam Chriſti formavit tantùm.

Secundum eſt Sanctificatio, qua, eadem maſſa humanæ naturæ purificata, id eſt, ab omni prorſus peccati labe virtute Spiritus Sancti ſegregata eſt, vt Chriſti humanitas verè ſancta eſſet: ipſeq; poſſet pro aliis mori. Luc. 1. 35. *Propterea id etiam quod naſcetur ex te* ſanctum *vocabitur Filius Dei.* 1. Pet. 3. 18. *Nam Chriſtus ſemel pro peccatis paſſus eſt,* iuſtus *pro iniuſtis.* 1. Pet. 2. 22. *Qui peccatum non fecerat,* nec inventus eſt dolus *in ipſius ore.*

Tertium eſt Aſſumptio, qua verbum, id eſt, ſecunda perſona Trinitatis ſibi conjungit carnem & ſemen Abrahæ, id eſt, illam maſſam ſiue humanam naturam: vt in ea perſona verbi, propria perſonalitate caro deſtituta, ſubſiſtentiam habeat & quaſi geſtetur in æternum. Ioh. 1. 14. *Et ſermo ille* caro factus *eſt.* Heb. 2. 10. *Non enim videlicet Angelos* aſſumpſit, *ſed* ſemen Abrahæ.

In hac aſſumptione tria veniunt conſideranda.

I. Differentia naturarum. Divina enim ad perſonam

ſonam filii determinata perfecta eſt,& actu in ſe ſubſiſtens. Humana, tota quidem & anima & corpore conſtans,nec per ſe nec in ſe ſubſiſtens.

II. Modus vnionis. Hypoſtaſis filii naturam humanam aſſumendo creavit, & creando aſſumit, ſuam ipſius ſubſiſtentiam ei communicans. Simile vnitionis exemplum nuſquam occurrit.

III. Terminus vnionis.Chriſtus θεάνθρωπος non è naturis duabus, velut partibus componentibus nova perſona factus, ſed eadem manens. Quòd autem Patres orthodoxi Chriſtum compoſitam perſonam dicunt, id intelligendum non propriè, ſed analogῶς; vt enim partes vniuntur in toto, ſic hæ duæ naturæ in vno ſuppoſito quod eſt Filius Dei concurrunt.

Hinc apparet Chriſtum vnum tantùm eſſe Dei Filium non duos: duplici tamen reſpectu : vt Verbũ, naturâ Patris Filius eſt;vt homo,idem etiam filius,ſed gratia vnionis hypoſtaticæ. Luc. 1.35. Mat. 3.17. *Hic eſt* filius *meus dilectus,&c.*

Phraſis in Scripturis huic vnioni analoga. Nimirum κοινωνία ἰδιωμάτων, quæ eſt prædicatio vera & realis : ſicut ex vera & reali perſonarum vnitione naſcitur: de qua duæ regulæ tenendæ ſunt.

I. Ex iis quæ dicuntur de Chriſto, quædam intelligenda ſunt ſecundum eius naturam divinam. Ioh. cap. 8. verſ. 58. *Amen,amen dico vobis,priuſquam Abraham fieret*, ego ſum. Coloſſ. 1. 15. *Qui eſt* imago Dei *inconſpicui, primogenitus omnis rei creatæ*. Quædam ſecundum humanam tantùm : vt, quod Chriſtus dicitur natus, paſſus, mortuus, &c. Luc. cap.

2. verſ. 52. *Ieſus autem* proficiebat ſapientia, *& ſtatura, & gratia apud Deum & homines.* Quædam ſecundum integram perſonam tantum. Math. cap. 17. verſ. 5. *Hic eſt Filius ille meus dilectus in quo acquieſco.* Epheſ. cap. 1. verſ. 22. *Et omnia ſubiecit eius pedibus, eumq́ conſtituit* caput *ſuper omnia ipſi Eccleſiæ.*

II. Quædam dicuntur de Chriſto Deo, quæ ſecundum humanam naturam intelligenda ſunt. Act. 20. 28. *Ad paſcendam Eccleſiam* Dei *quam proprio illo* ſuo ſanguine *acquiſivit.* 1. Cor. 2. 8. *Nam ſi cognoviſſent, nequaquam* Dominum gloriæ *crucifixiſſent.* Et contrà quædam de Chriſto homine dicuntur, quæ ſecundum divinam naturam intelligenda ſunt. Ioh. 3. 13. *Nullus enim aſcendit in cœlum niſi qui deſcendit e cœlo, nempe* filius hominis qui eſt in cœlo. Ioh 6. 62. *Quid ſi igitur conſpiceretis* filium hominis aſcendentem *eò vbi erat* priùs?

Poſtremò ex iſta vnione eſt, quòd Chriſtus, quatenus homo exaltatur ſupra omne nomen, adoratur: dona quoque ampliora iam habet quàm omnes ſancti & omnes angeli. Epheſ. 1. 21. *Et collocavit ad dextram ſuam in cœlis, longe* ſupra *omne imperium ac poteſtatem, & potentiam, & dominium, & omne nomen quod nominatur, non ſolùm in hoc ſæculo verùm etiam in futuro.* Heb. 1. 6. *Rurſum autem, cùm introducit primogenitum ſuum in orbem terrarum dicit, & adorant eum omnes angeli eius.* Coloſſ. 2. 3. *In quo ſunt omnes* theſauri ſapientiæ & cognitionis *reconditi.* Philip. 2. 9. *Quapropter etiam Deus ipſum in ſummam*

extulit ſublimitatem, ac donavit ei nomen quod eſt ſupra omne nomen. verſ. 10. *Vt ad nomen Ieſu omne genu ſe flectat, cæleſtium ac terreſtrium ac ſubterraneorum.*

CAP. 17.

De Diſtinctione Naturarum.

DIſtinctio naturarum eſt, qua & illæ & illarum proprietates & operationes ſine vlla concretione, miſtione, converſione diſtinctæ manent. Ioh. 10.17. *Propterea Pater diligit me, quia ego pono animam meam, vt eam rurſus aſſumam.* verſ. 18. *Nemo tollit eam à me, ſed* ego pono eam à meipſo: *poteſtatem habeo ponendi eam, & poteſtatem habeo rurſus ſumendi eam.* Ioh 13.31. *Quum autem exiviſſet, dixit Ieſus, nunc glorificatus eſt filius hominis, & Deus glorificatus eſt in eo.* verſ. 32. *Si Deus glorificatus eſt in eo, Deum quoque glorificabit in ſeſe.* Hinc Deitatis in Chriſto vnam eſſe voluntatem, & humanitatis aliam, apparet. Mat. 26.39.

Hinc apparet etiam ſententiam Symboli Chalcedon. orthodoxam eſſe. Confitemur vnum & eundem Ieſum Chriſtum, filium, dominum, vnigenitum in duabus naturis ἀσυγχύτως, ἀτρέπτως, ἀδιαιρέτως, ἀχωρίστως, id eſt, abſq; confuſione, mutatione, diſtractione, ſeparatione cognitum & prædicatum.

Poſtremò conſtat, Chriſtum id quod non erat aſſumendo, id quod erat permanſiſſe.

CAP.

CAP. 18.

De Nativitate Christi.

ATque ita eſt Incarnatio: Eius aperta declaratio fit Nativitate.

Nativitas Chriſti eſt, qua ſecundum naturæ ordinem & mulierum conſuetudinem, Chriſtum verbum illud Patris, & Filium Davidis virgo eſt enixa. Vnde qui Chriſtum clauſo vtero miraculoſè in lucem ingreſſum volunt, falluntur. Luc. 2. 23. *Omnis maſculus primò aperiens vterum, ſanctus erit Domino.* Hic locus ad Mariam & Chriſtum accommodatur. Hinc Maria dicta eſt θεοτόκος: licet Deitatis mater non ſit. Chriſtus enim vt Deus ſine matre, vt homo ſine Patre eſt.

Mariam poſt Chriſti partum virginem ad obitum permanſiſſe, piè credendum eſt; quamvis in hac ſententia nullum locamus fidei myſterium. I. Chriſtus jam moriens, matrem Iohanni diſcipulo tuendam commiſit, quando parentum cura filiis, ſi modò ſint vlli, demandanda ſit. *I*oh. 1 *6.26.* II. Veriſimile eſt, eam, quæ facta eſt gravida à Spiritu Sancto, noluiſſe virum poſteà cognoſcere. *III.* Perpetuus eccleſiæ conſenſus.

Chriſtus jam natus die octavo circumciſus, vt omnem legis juſtitiam impleret: Anno triceſimo baptizatus, vt in officium Mediatoris publicè & ſolemniter inauguratus, noſtrum reatum in ſe reciperet.

Circumciſus ſimul & baptizatus, vt diſceremus;

I. omnem vim Sacramenti ab eo pendere. II. Eum eſſe Mediatorem hominum, & ante legem & ſub lege, & ſub gratia. III. Ipſum eſſe nexum & vinculum vtriuſque fœderis.

CAP. 19.

De Munere Christi.

HActenus de Incarnatione Chriſti. Sequitur Munus eius, ad quod perfectè præſtandum, Chriſtus à Patre vnctus, id eſt, & donis & authoritate ſufficienti inſtructus eſt. Hebr. 1. 9. *Propterea vnxit te Deus tuus* oleo lætitiæ vltra omnes conſortes *tuos*. Eſa. 61. 1. *Spiritus Dei ſuper me; ideo vnxit me, &c.* Ioh. 3. 34. *Non enim huic* admetitur *Deus Spiritum.*

Si quis vrgeat, Chriſtum non poſſe munus Mediatoris exercere, quia non eſt medius inter Deum & homines, ſed pars offenſa, & alterum extremum. Sciendum eſt dupliciter, medium eſſe. I. Inter Deum & omnes homines; quia eſt & Deus & homo; ac proinde cum duobus extremis participat. II. Inter Deum & fideles: primò ſecundum naturam humanam, qua Spiritum ſine menſura accepit. Deinde ſecundum naturam diuinam, id eſt, quatenus verbum eſt. Verbum autem eſt medium inter Patrem & fideles, I. ordinis gratia; quia genitum eſt à Patre, & acceſſum habemus ad Patrem per eum. Hæc ſubordinatio, quæ eſt Filii erga Patrem, non eſt, in diuina eſſentia ſeorſim & diſtinctè conſiderata, ſed

in

in relatione ſive modo habendi illam eſſentiam: & hoc modo ſubordinata non poſſunt inæqualia eſſe, ſi eandem & individuam eſſentiam habeant. II. Officii ratione, quod impoſitum à Patre in ſe ſponte ſuſcepit.

Munus hoc exercet Chriſtus & ſecundum totam perſonam, & ſecundum vtramq; naturam diſtinctè. Nam in conciliatione cum Deo, quædam gerit caro diſtinctè, quædam verbum diſtinctè: quædam neque ſolum verbum neque ſola caro, ſed vtrunque ſimul.

Hoc munus intelligendum eſt ſic Chriſto eſſe proproprium, vt neque ex integro, neque parte aliqua ſua ad alium transferri poſſit. Hebr.7.24. *At iſte quòd in æternum manet habet ſacerdotium* [ἀπαράβατον,] *id eſt, quod non poteſt ab eo præterire ad alium.*

Ergo Chriſtus quatenus *Deus eſt*, Imperatores, reges, principes vicarios habet; eamque ob cauſam Elohim, Dii fortes dicuntur. Pſal.82.1. Quatenus verò *Mediator*, id eſt, Sacerdos, Propheta, Rex Eccleſiæ Dei, Vicarium habet nullum qui vice eius fungatur in officio Regio, Pontificio, Prophetico, vel in horum duobus, vel ſaltem vnico.

Munus Chriſti triplex eſt. Sacerdotale, Propheticum, Regium. Pſal.110.1,2,4. Iſa.42.1.

Sacerdotium eſt, quo Chriſtus apud Deum ea peregit quibus perfectè obtineatur ſalus. Hebr. cap. 5. verſ.1. *Nam omnis Pontifex ex hominibus aſſumitur, & pro hominibus conſtituitur in iis, quæ* apud Deum agenda ſunt. & 7. 24, 25. *Vnde & ſervare*

protſus *poteſt eos qui per ipſum accedunt ad Deum ſemper vivens vt interpellet pro ijs.*

Sacerdotii partes duæ ſunt: Satisfactio, & Interceſſio.

Satisfactio eſt, qua Chriſtus apud Patrem, pro electis plena propitiatio eſt. Iob. 33. 23. *Si adſit ei nuncius, interpres vnus ex mille qui indicet homini iuſtitiam illius: tum miſerebitur eius, & dixerit ei, redime eum, ne deſcendat in foveam; nam* inveni propitiationem. Rom. 3. 24. *Iuſtificamur autem gratis, id eſt, eius gratia per redemptionem factam in Ieſu Chriſto: quem propoſuit Deus vt* eſſet placamentum *per fidem in ſanguine ipſius.* 1. *I*oh. 2. 2. *Et ipſe eſt* propitiatio *pro peccatis noſtris.*

Satisfecit Chriſtus Deo offenſo pro parte offendente, id eſt, pro genere humano: ſecundùm humanitatem, perfectam voluntati divinæ obedientiam præſtando: Secundùm Deitatem, eidem plenæ obedientiæ dignitatem ſummam, nimirum, meritum coram Deo & efficaciam tribuendo. Iohan. cap. 17. verſ. 19. *Et ego pro ijs ſanctifico meipſum vt ſint & ipſi ſanctificati per veritatem.* Act. cap. 20. verſ. 28. *Ad paſcendam Eccleſiam* Dei *quam proprio illo ſuo ſanguine acquiſivit.* 2. Cor. 5. 19. *Nempe quia* Deus erat in Chriſto, *mundum* reconcilians *ſibi, non imputando ijs peccata ipſorum.*

Satisfactio eſt; vel Paſſio, vel Impletio legis.

Paſſio eſt, qua perſolutis peccatorum pœnis ſatisfecit juſtitiæ Dei, iramque eius placuit ob peccata credentium. Hæc ita fuit.

a Paulo

a Paulo ante mortem Chriſti, ex impendentis iræ divinæ ſenſu partim metus, partim graviſſimus dolor eum vndique occupans, ſpiritum eius ſic turbavit *b* vt intrinſecus & mirum ſtuporem & oblivionem impoſiti muneris ad tempus incuteret: & extrinſecus *c* precationem ad patrem de transferendo horrore (ſi voluerit) cum valido clamore & lachrymis, & *d* ſudore quaſi grumis ſanguinis in terram diffluentibus, exprimeret: verùm ſtatim ſui recordatus *e* ſponte ſe exhibuit Patri ſuo ad peccati omnem pœnam in cruce luendam. Vbi hæc fiunt *f* prodente Iuda capitur Chriſtus, *g* adducitur ad Annam, deinde ad Caipham, & Petro eum abnegante, à Caipha *h* ad Pilatum vinctus ducitur. Pilatus *i* ad Herodem mittit: *k* quo illum remittente, *l* Pilatus & innocentem teſtatur & *noxium* damnat. Tum *m* flagellatur Chriſtus, ſpinis coronatur, illuditur, conſpuitur, cruci adjudicatur, *n* crucifigitur. Vbi hæc fiunt *o* execravit eum Deus Pater, id eſt, horribilem iram eius peccatis omnium parem in eum inculpatum effudit. Maledictioni jam ſubjectus, præ ſenſu horroris immenſi, ad Patrem *p* queſtus eſt ſe derelinqui, & tamen cum Satana & angelis eius *q* colluctatus, eos ſubegit. His peractis, & *r* mortuus eſt, & animus *ſ* traditus ab eo in manus Patris, tranſlatus eſt in Paradiſum: *t* corpus autem *u* effuſo ſanguine ob cor transfixum lancea, oſſibus illæſis ſepultum fuit, & ſub dominio *x* mortis ignominioſo tres dies noctesque retentum.

a Mar.4.34. Matth.29.38. *b* Ioh.12.27. Matth.26.37,42. *c* Mar.14.35. Ioh.12.29. Hebr.5.7. *d* Luc. 22.44.

22.44. *e* Hebr.9.5,14. 1.Cor.5.5,7. Iſa. 53.10,11. *f* Matt.26.47. *g* Ioh.18.13,14. *h* Ioh.18.29. *i* Luc. 23.7,8. *k* Luc.23.15. *l* Mat.27.24,26. *m* Ibid. *n* Ioh. 19.18. *o* Gal.3.13. *p* Mat.27.35,46. *q* Col.2.14,15. *r* Hebr.9.15,16. *ſ* Luc.23.43,46. *t* Ioh. 19.34,42. *u* Ioh.19.34. *x* Act.1.13.

In hac deſcriptione quinque inprimis notanda ſunt. *I.* Agonia Chriſti, quæ fuit vehemens angor ex conflictu duplicis deſiderii: primum erat de obedientia Patri præſtanda: alterum de horrore mortis fugiendo. Luc. 22.44. *Et ipſe conſtitutus* in angore, *intentius orabat. Erat autem ſudor eius quaſi* grumi ſanguinis *in terram deſcendentes.* Heb.5.7.

II. Sacrificium, quod eſt actio Chriſti ſe offerentis Deo Patri ad perſolvendum pœnas peccatis electorum debitas. Hebr. 9. 26. *Sed nunc ſemel in conſummatione ſæculorum, ad abolendum peccatum per immolationem ſui ipſius patefactus eſt,*

In hoc ſacrificio, victima fuit Chriſtus quatenus homo. Hebr.10.10. *Qua voluntate ſanctificati ſumus per* oblationem corporis *Ieſu Chriſti ſemel factam.*

Altare Chriſtus quatenus Deus eſt. Hebr. 13.10. *Habemus altare ex quo non habent ius edendi qui Tabernaculo deſerviunt.* Hebr. 9.14. *Quantò magis ſanguis Chriſti, qui per* Spiritum æternum *ſeipſum obtulit inculpatum Deo, purgabit conſcientiam veſtram à mortuis operibus ad ſerviendum Deo vivo.* Hinc eſt quod Chriſtus dicitur ſanctificare ſeipſum, quatenus homo eſt. Ioh.17.19. *Sicut altare domum ſanctificat.* Matth.23.17.

Sacerdos

Sacerdos eſt Chriſtus & Deus & homo. Hebr. 5. 5, 6. & 1. Tim. 2. 6.

IIII. Acceptatio Patris acquieſcentis in eo ſacrificio. Niſi enim approbaſſet Pater, inane fuiſſet, Matth. 3. 7. *Hic eſt filius ille meus in quo* εὐδόκησα, id eſt, valdè placatus ſum & acquieſco. Epheſ. 5. 1. *Sicut & Chriſtus dilexit nos & tradidit ſeipſum pro nobis oblationem ac victimam Deo* in odorem bonæ fragrantiæ.

*IIII. I*mputatio peccati, qua Chriſtus æſtimatus eſt à Patre, velut tranſgreſſor, peccatis omnium in eum tranſlatis. Eſa. 53. 4. *Veruntamen morbos noſtros ipſe pertulit & dolores ipſos noſtros baiulavit.* 12. *Profudit in mortem ſeipſum & cum* defectoribus annumeratus eſt. 2. Cor. 5. 21. *Fecit eum qui non novit peccatum, pro nobis* peccatum eſſe, *vt nos efficeremur iuſtitia Dei in eo.*

V. *I*nſignis humiliatio, cuius duæ partes. Exinanitio ſecundum Divinam naturam. Philip. 2. 7. *Sed ipſe ſe exinanivit, forma ſervi accepta, ſimilis hominibus factus.* verſ. 8. *Et habitu compertus vt homo ipſe ſe demiſit, factus obediens vſq; ad mortem, mortem autem crucis.*

Chriſtus ſe exinanivit, non quòd natura eius divina fuit imminuta aut facta infirma, ſed quod non exeruit vires & potentiam divinam ad certum tempus: &, vt *Irenæus* loquitur, *quievit verbum* vt humana natura crucifigi & mori poſſet.

Execratio eſt, qua iuxta legem maledictus eſt. Gal. 3. 10. Execrabilis quiſquis non manſerit in omnibus,

bus, quæ ſcripta ſunt in libro legis vt faciat ea.

Execratio eſt; vel Interna, vel Externa.

Interna eſt, ſenſus horrendæ iræ Dei in cruce. Apoc. 19. 15. *Ipſe eſt qui* calcat lacum *vini furoris, & ira Dei.* Eſa. 53. 5. *Nam ipſe dolore afficitur ex defectionibus noſtris, atteritur ex iniquitatibus noſtris: caſtigatio pacis noſtra imponitur ei, & livore eius fit curatio nobis.* Idem indicant grumi ſanguinis, clamores in cruce ad Patrem, Angeli ad conſolandum miſſio. Hinc eſt, quòd mortem tantoperè horreret, quam Martyres plurimi exoptarunt.

Externæ execrationis tres partes vel gradus ſunt.

Primus eſt mors in eadem cruce: quam veram fuiſſe ex eo conſtat, quia fuit conjuncta cum effuſione ſanguinis etiam è corde. Nam inde veriſimile eſt, transfixum fuiſſe *pericardium*: quia fluebat aqua cum ſanguine, (vt eruditè Columbus annotavit.) Ioh. 19. 34.

Hanc oportuit eſſe; vt teſtamentum, hoc eſt, fœdus gratuitæ promiſſionis quoad nos, ratum faceret. Hebr. 9. 15, 16. *Nam vbi teſtamentum eſt, mors intercedat neceſſe eſt teſtatoris. Teſtamentum enim in mortuis ratum eſt, quandoquidem nondum valet quum vivit teſtator.*

Secundus eſt, ſepultura mortui, vt ratam faceret mortem Chriſti.

Tertius eſt, Deſcenſus ad inferos, id eſt, dominium mortis ignominioſum in eum iam ſepultum. Act. 2. 24. *Quem Deus excitavit* ſolutis doloribus mortis, *eò quod erat impoſſibile ipſum ab ea retineri.* Epheſ. 4. 9.

Cæterùm

Ceterùm illud, aſcendit, *quid eſt niſi quòd etiam* deſcenderat *prius in infimas partes terræ.* Oportet autem Chriſtum captivum teneri à morte, vt eius ſtimulum, id eſt, potentiam aboleret. 1. Cor. 15. 55.

Atque ita eſt miranda Paſſio, qua mortem vtramque peccatis noſtris debitam, nempe & priorem, & poſteriorem abolevit. Sciendum deinceps eam eſſe *ἀντίλυτρον* pro peccatis electorum omnium, 1. Tim. 2. 6. *Qui ſeipſum dedit* redemptionis pretium *pro quibuſvis &c.* Quòd enim Deus & vnicus Dei filius ad breve tempus maledictionem legis pertulit, plus eſt, quàm ſi omnes homines in æternum eſſent paſſi.

Præterea notandum eſt, tum demùm ritè ſciri paſſionem Chriſti, vbi cor tuum deſinit peccare, dolórque amarus te compungit ob peccata tua, quibus innocentem Dei filium transfixiſti. 1. Iohan. cap. 3. verſ. 6. *Quicquis peccat non vidit eum, neq;* novit eum. Zach. 12. 10. *Et* reſpicient ad me *quem transfixerunt: clangentq; ſuper hoc, tanquam planctu de vnigenito:* amarè plangent *de eo, vt quis amarè plangit de primogenito.*

Dictum eſt de paſſione, ſequitur impletio legis, qua ſatisfecit juſtitiæ Dei, totum ius legis præſtando. Rom. cap. 8. verſ. 4. *Quum enim legis impotentia nihil poſſet in carne, Deus ſuo ipſius filio miſſo, conformato carni peccato obnoxiæ, idq; pro peccato condemnavit peccatum in carne, vt illud* ius legis *compleatur in nobis, &c.*

Implevit legem, partim ſanctitate humanæ natu-

ræ, partim obedientia in operibus juxta legem. *I*oh. 17.19. Rom.8.2. *Nam lex ſpiritus vitæ in Chriſto Ieſu liberavit me à lege peccati & mortis.* Matth.3.15. *Reſpondens autem Ieſus dixit ei, omitte nunc: ita enim decet nos implere omnem iuſtitiam.*

Sacerdotii pars altera eſt *I*nterceſſio Chriſti, qua Advocatus eſt & deprecator apud Deum pro fidelibus.Rom.8.34.

*I*nterceſſio Chriſti immediatè ad Patrem refertur. 1. *I*ohan. 2. *Si quis peccavit, Advocatum apud Patrem habemus Ieſum Chriſtum iuſtum.* Et quidem Pater, vt ordinis reſpectu primus eſt: ita etiam placato Patre, ſimul & Filius, & *S*piritus *S*anctus placantur: quia omnium perſonarum vna eſt conſentiens voluntas.

*I*ntercedit Chriſtus ſecundum vtramque naturam: Primò, ſecundum humanitatem partim apparendo in cœlo coram Patre, partim cupiendo ſalutem electorum. Hebr.9.24. *Non enim in manufactum ſacrarium ingreſſus eſt Chriſtus, quod ſit exemplar verò ſacrario reſpondens: ſed in ipſum cœlum, vt* appareat *nunc in conſpectu Dei pro nobis.* & 7.25. Deinde ſecundum deitatem partim applicando meritum mortis ſuæ, partim interpellando per *S*piritum ſuum in cordibus electorum gemitibus inenarrabilibus. 1. Pet.1.2. *Dilectis ex prænotione Dei Patris ad Sanctificationem Spiritus per obedientiam &* aſperſionem ſanguinis *Ieſu Chriſti, &c.* Rom.8.26. *Itidem & ſpiritus vna ſublevat infirmitates noſtras. quid enim precemur vt oportet non novimus, ſed ipſe Spiritus* interpellat *pro nobis*

nobis gemitibus inenarrabilibus.

Non eſt ergò exiſtimandum devolvi Chriſtum ante Patrem flexis genibus: neque eſt neceſſe; cum hæc apparitio vim habeat vivæ orationis.

Intercedit verò Chriſtus eum in finem, vt qui illius ſatisfactione iuſti ſunt, in gratia conſerventur. Conſervat autem eos, tegendo eorum lapſus quotidianos & infirmitates, & imperfectiones operum ſpeciali & quotidiana applicatione meritorum: vt hac ratione ipſa perſona hominis iuſta maneat, & opera perſonæ Deo accepta ſint. 1. *Ioh.* 2. 1, 2. 1. Pet. 2. 5. *Sacerdotium ſanctum ad afferendum ſpirituales hoſtias*, acceptas Deo per Ieſum Chriſtum. Apoc. 8. 3, 4. T*um alius Angelus venit, & ſtetit ante aram, habens thuribulum aureum: & dati ſunt ei ſuffitus multi, vt offerret cum precibus ſanctorum omnium, ſuper altare aureum, quod eſt ante thronum: aſcendit autem* fumus ſuffituum cum precibus ſanctorum, id eſt, *manu Angeli ad conſpectum Dei.*

Hucuſque de ſacerdotio. *S*equitur Propheticum munus, & Regium.

Propheticum munus eſt, quo Chriſtus immediatè à Patre verbum eius, & in verbo etiam omnia quibus obtinetur ſalus, revelat. *I*oh. 1. 18. *Filius qui eſt in ſinu Patris, ipſe vobis enarravit.* Ioh. 8. 26. *Ego quæ audivi à Patre hæc loquor mundo.* Deut. 18. 18.

Revelatio verbi primò facta eſt partim adhibitis viſionibus, inſomniis, colloquiis; partim inſtinctu & motu ſpiritus. Hebr. 1. 1. *Deus multis vicibus, multiſq; modis olim loquutus patribus per Prophetas,*

tas, vltimis diebus hiſce nobis loquutus eſt per filium. 2.Pet.1.21. *Non enim libidine hominis allata eſt olim Prophetia, ſed* acti à Spiritu Sancto *loquuti ſunt ſancti Dei homines.*

Eadem ordinariè fit per Miniſterium verbi, intus lucem accendente Spiritu Sancto. Luc.24.45. *Tum aperuit eorum mentem, vt intelligerent Scripturas.* Act. 16.14. *Cuius* Dominus adaperuit *cor, vt attenderet ea quæ dicebantur à Paulo.* Luc.21.15. *Ego dabo vobis os & ſapientiam, cui non poterunt contradicere neq; reſiſtere omnes adverſantes vobis.*

Hinc Chriſtus appellatur, Doctor Eccleſiæ & Legiſlator. Mat.23.10. *Ne vocemini doctores, Unus enim veſter eſt doctor, Chriſtus.* Iacob.4.12. *Vnus eſt Legiſlator, qui poteſt ſervare & perdere.* Et Conſiliarius. Eſa.9.6. Et Apoſtolus profeſſionis noſtræ. Hebr.3.1. Et Angelus fœderis. Malac. 3.1. Et novi fœderis Mediator. Hebr. 9.15. Ergò etiam *Supremum ius* interpretandi Scripturas penes eum eſt: & Eccleſiæ Dei, miniſterium tantùm judicandi & interpretandi commiſſum eſt.

Regium munus eſt, quo diſtribuit ſalutarem gratiam, & omnia diſponit ad electorum ſalutem. Pſal. 2. & 110.

Exequutio regii muneris habet exaltationem Chriſti.

Exaltatio eſt, qua poſt extremam humiliationem in gloriam paulatim evectus eſt. Eſtq; ſuo modo ſecundum vtramq; naturam.

Exaltatio divinæ naturæ eſt, ſine vlla omnino mutatione

tatione, divinorum eius idiomatum in humana natura illuſtris manifeſtatio. Rom. 1.4. Declarato filio Dei potentèr *ſecundum ſpiritum ſanctificationis* per reſurrectionem *à mortuis, nempe Ieſu Chriſto Domino noſtro.* Act.2.36.

Exaltatio humanitatis eſt, vel depoſitio ſervilis conditionis & infirmitatum omnium; vel ſuſceptio Donorum habitualium: quæ quidem dona, licet creata ſint & finita, tamen tanta eſt & talis eorum perfectio, quanta in creaturam cadere poteſt. Animi dona ſunt, ſapientia, cognitio, lætitia, virtutes ineffabiles; corporis autem immortalitas, robur, agilitas, fulgor. Philip.3.21. *Qui transformabit corpus noſtrum vile, vt conforme fiat* corpori ſuo glorioſo. Matth.17.2. *Transformatusq́; eſt coram ijs &* ſplenduit facies *vt ſol: veſtimenta autem eius facta ſunt alba vt nix.* Eph. 1.20,22. Heb.1.9.

Corpus Chriſti vtcunque hoc modo glorificatum, tamen ſolidum, circumſcriptum, viſibile, palpabile, alicubi ſitum perpetuò manebit. Luc.24.39. *Videte manus meas & pedes meos: nam ego ipſe ſum, contrectate me & videte: nam ſpiritus carnem & oſſa non habet, prout conſpicitis me habere.*

Exaltationis Chriſti triplex eſt gradus.

Primus eſt Reſurrectio, in qua divina potentia ſubegit mortem, & ſeipſum ad vitam æternam ſuſcitavit. 2.Cor.13.4. *Nametſi crucifixus fuit ex infirmitate: vivit tamen ex potentia Dei.* Matth.28.6.

Finis reſurrectionis Chriſti eſt, vt ſatisfactionem eius in paſſione & morte plenam & ratam eſſe de-

monſtraret. Nam vel vnum peccatum Mediatorem in morte detinuiſſet, etiam cæteris expiatis omnibus. 1.Cor.15.17. *Quòd ſi Chriſtus non eſt excitatus, inanis eſt fides veſtra:* adhuc eſtis in peccatis *veſtris.* Rom. 4.25. *Traditus eſt in mortem propter offenſas & excitatus* propter iuſtificationem *noſtri.*

Secundus gradus eſt Aſcenſio in cœlum, quæ eſt vera localis, viſibilis humanæ naturæ Chriſti è terris ſupra omnes cœlos viſibiles in cœlum beatorum Deitatis virtute facta tranſlatio. Act. 1.9. *Et quum hæc dixiſſet, aſpicientibus ipſis elevatus eſt, & nubes ſuſceptum eum abſtulit ab oculis eorum.* 11. *Qui & dixerunt, viri Galilæi quid ſtatis intuentes in cœlum? Hic Ieſus qui ſurſum receptus eſt à vobis in cœlum, ita veniet quemadmodum conſpexiſtis eum proficiſcentem in cœlum.* Epheſ.4.10,11.

Aſcendit Chriſtus hunc in finem, vt pararet locum fidelibus, Spiritum Sanctum daret, & ibidem æterna gloria frueretur. Ioh. 14.2. *In domo Patris mei multa ſunt manſiones: alioqui dixiſſem,* proficiſcor paratu-rus *vobis locum.* Ioh.16.7. *Niſi ego abiero, conſolator ille non veniet ad vos: ſin autem profectus fuero,* mittam eum ad vos.

Tertius gradus eſt ſeſſio ad dextram Patris, quæ per Metaphoram ſignificat Chriſtum in cœlis altiſſimis iam actu donatum eſſe & plenitudine gloriæ & plenitudine poteſtatis ac imperii. Hebr.1.3. *Purgatione peccatorum noſtrorum per ſeipſum facta, ſedet ad dextrā maieſtatis in excelſis.* Pſal.110.1. *Dixit Iehova Domino meo,* ſede ad dextram *meam, donec poſuero*

inimicos

inimicos tuos in ſcabellum pedum tuorum. cum 1. Cor. 15.25. *Nam oportet* eum regnare *vſq; quò omnes inimicos ſubiecerit pedibus ſuis.* Act.7.55. *Quùm autem plenus Spiritu Sancto, intentis in cœlum oculis vidit gloriam Dei, & filium hominis adſtantem ad dextram Dei.* Matth.20.22.

Regii muneris partes duæ ſunt. Prima eſt, gubernatio regni cœlorum; cuius pars in cœlo eſt, pars in terra, nimirum Eccleſia fidelium.

In eccleſia gubernanda duo exercet regalia. Primò, condit leges. Iacob 4.12. Secundò, conſtituit ſibi adminiſtros ſuos. Epheſ.4.11. *Dedit igitur ipſe, alios quidem Apoſtolos: alios verò Prophetas: alios autem Evangeliſtas: alios autem paſtores & doctores, ad coagmentationem ſanctorum, &c.* 1.Cor.12.18. *Et alios quidem poſuit Deus in Eccleſia, primum Apoſtolos, deinde Prophetas, tertiò doctores: deinde poteſtates, deinde dona ſanationum, opitulationes, gubernationes, interpretationes linguarum.*

Gubernatio Eccleſiæ eſt, vel eius è mundo collectio, vel collectæ conſervatio. Epheſ.4.12. Pſal. 110.

Secunda pars regii muneris eſt, Abolitio regni tenebrarum. Coloſſ.1.13. Pſal.2.9. Luc.19.27. *Quin etiam meos illos inimicos qui noluerunt me regnare ſupra ſe adducite huc & iugulate coram me.*

Regnum tenebrarum eſt cætus hoſtium Chriſti.

Princeps regni iſtius & omnium membrorum caput eſt Satanas. Epheſ.2.1,2. 2.Cor.4.4. 2.Cor. 6.5. *Et quæ concordia* Chriſto *cum* Belial? *aut quæ*

pars fideli cum infideli?

Membra ſunt, Angeli Satanæ, & infideles homines.

Inter hos excellunt: Athei, qui ex corde Deum apertè negant. Pſal. 14.1. Magi, qui pactum cum Diabolo faciunt, vt res optatas conſequantur. 1. Sam. 28.6. Pſal. 58.6. Idololatræ, qui vel falſos deos vel verum Deum in idolo colunt. 1. Cor. 10.7,20. Huc referendi Turcæ, Iudæi, Hæretici qui in fundamento religionis errant. 2. Tim. 2.18. Apoſtatæ, qui à fide in Chriſtum deficiunt. Hebr. 6.6. Pſeudochriſti, qui ſe paſſim pro Chriſto venditant. Matt. 24.46. Hi frequentes erant circa primum adventum Chriſti. Ioſeph. Antiquit. Lib. 20. cap. 11.12,14. Poſtremò ὁ ἀντίχριστος, quem iam apertè conſtat eſſe Papam Romanum. 2. Theſſ. 2.3. *Ne quis vos ſeducat vllo modo: non enim adveniet dies Chriſti, quin venerit defectio prius, & retectus fuerit homo ille ſceleratus, filius ille perditionis*, ſeſe opponens & efferens adverſus quicquid dicitur Deus aut numen: *adeo vt in* templo Dei *tanquam Deus* ſedeat, præ ſe ferens *ſe eſſe deum*. Apoc. 13.11. *Deinde vidi aliam beſtiam aſcendentem è terra, habentem duo* cornua ſimilia agni, *ſed* loquebatur vt Draco. *Ea verò poteſtatem omnem prioris beſtiæ exercet in conſpectu eius: & facit vt terra & eius incolæ adorent beſtiam illam primam, cuius curata fuerat plaga lethalis.*

Erant Romæ Antichriſti primùm, cùm Epiſcopi dici voluerunt Oecumenici: ſed perfecti erant, cùm nactieſſent civilem gladium.

Sub-

Subjugatis hoſtibus Chriſti ad finem mundi, in eo ſequentur duo. I. Traditio regni Deo Patri, quoad modum regnandi: tum enim ceſſabit, & regimen civile, & ſpiritualis illa politia quæ eſt in Verbo ſimul & in Spiritu. II. Subiectio Chriſti, tantùm quoad naturam humanam, quæ eſt, quando Filius Dei maieſtatem ſuam diu velo carnis occultatam pleniſſimè exeret, vt ita eadem caro & glorioſa & vnita manens Filio Dei, infinitis gradibus inferior eſſe conſpiciatur.

Ergo ſubiectio Chriſti fiet non minuendo humanitatis gloriam, ſed ampliſſimè manifeſtando majeſtatem τȣ̃ λόγȣ.

CAP. 19.

De externis medijs exequendi Decretum Electionis: & de Decalogo.

HActenus de fundamento Electionis. Sequitur vt de mediis externis eiuſdem dicamus.

Media ſunt fœdus Dei, & ſigillum fœderis.

Fœdus Dei eſt, eius pactum cum homine de vita æterna, certa condicione, obtinenda.

Fœderis partes duæ ſunt: *S*ponſio Dei, & hominis Reſtipulatio.

Sponſio Dei eſt, qua ſe promittit fore homini in Deum, ſi datam conditionem impleverit.

Reſtipulatio eſt, qua, homo ſpondet ſe Domino ſervum fore ad conditionem datam implendam.

Fœdus rurſus duplex eſt: Fœdus operum, & fœdus gratiæ. Ier. 32. 31. *Ecce dies venturi ſunt, dictum Iehovæ, quibus pangam fœdus novum cum domo Iſraelis & cum domo Iehudæ. 32. non ſecundum illud fœdus quod pepigeram cum maioribus eorum, quo die prehendi manum eorum, vt educerem eos è terra Ægypti: nam ipſi irritum fecerunt fœdus meum, & eo coniugio iunctus manſiſſem eis. 33. Nam hoc illud eſt fœdus, quod pangam cum domo Iſraelis poſt dies hos, dictum Iehovæ; indam legem meam menti eorum, & cordi eorum inſcribam eam, & ero iis Deus, & ipſi erunt mihi populus.* Gal. 4. 24.

Fœdus operum eſt, fœdus Dei cum conditione perfectæ obedientiæ: & exprimitur lege Morali.

Lex moralis eſt pars verbi dei, perfectam in nominibus & naturæ & actionum iuſtitiam præcipiens, contrariumque prohibens. Rom. 10. 5. *Moſes enim deſcribit iuſtitiam quæ eſt ex lege, quòd qui præſtiterit illa, vivet per illa.* 1. Tim. 1. 5. *Porrò finis mandati eſt, charitas ex puro corde, & conſcientia bona, & fide non ſimulata.* Luc. 10. 27. *Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis, & ex tota cogitatione tua.* Rom. 7. 17. *Scimus enim legem eſſe ſpiritualem.*

Legis cuiuſque partes ſunt: Edictum, quod præcipit obedientiam; & Conditio, quæ ad obedientiam obligat: eſtq; vita æterna, ſi lex impletur; ſin minus, maledictio eſt.

Legis

Legis totius & fœderis operum Epitome eſt, Decalogus. Exod. 34. 27. *Tum edixit Iehova Moſi, ſcribe tibi verba hæc: quia ex præſtituto horum verborum pango tecum fœdus & cum Iſraele. Itaq; fuit ibi cum Iehova quadraginta dies, & quadraginta noctes, cibum non comedit, & aquam non bibit, dum inſcripſit Tabulis verba fœderis huius, decem illa verba.* 1. Reg. 8. 9. *Nihil erat in arca præter duas tabulas lapideas, quas collocaverat ibi Moſes in Horebo: quando pepegit fœdus Iehova cum filijs Iſraelis egredientibus ex Ægypto.* Matth. 22. 40. *Ab iſtis duobus mandatis tota lex & Prophetæ pendent.*

Decalogi vera interpretatio his conſtat regulis. I. In negativo affirmativum intelligendum & contra. II. Negativum ligat ſemper & ad ſemper, affirmativum ſemper quidem ſed non ad ſemper, id eſt, *omni quidem tempore, ſed non temporis omni momento:* ideoque in præceptis negativis maior ineſt emphaſis. *III.* Sub vitio nominatim prohibito, omnia vitia eiuſdem generis, omnes illorum cauſæ, occaſiones, incitamenta prohibentur. 1. Iohan. cap. 3. verſ. 15. Matth. cap. 5. verſ. 21. ad finem. IV. Peccata quævis nomen gerunt eius peccati, quod nominatim prohibetur in eo mandato ad quod ea pertinent. Ibidem. *Odium eſt homicidium, & aſpicere fœminam vt eam concupiſcas, adulterium eſt.* V. Mandatum legis quodque intelligendum eſt cum hac condicione: *Niſi Deus aliud iubeat.* Deus autem

cùm abſolutus ſit Dominus, & ſupra legem aliud mandare poteſt: vt quùm iuſſit Iſaacum immolari, ſpoliari Aegyptios, æneum ſerpentem, qui figura Chriſti fuit, erigi, &c.

Decalogus eſt deſcriptus duabus tabulis.

Primæ tabulæ ſumma eſt, dilectionem Deo & cogitatione, & memoria, & affectionibus, & totis viribus præſtare. Matth. 23.37. *Eſt hoc mandatum & primum, (ſcilicet natura & ordine) & magnum mandatum, nimirum excellentia & dignitate.*

CAP. 20.

De Primo Mandato.

IN prima tabula quatuor ſunt mandata.

Primum eſt de habendo & eligendo Deo. Cuius hæc verba ſunt.

Ego Jehova Deus tuus, qui eduxi te è terra Ægypti, è domo ſervorum: ne eſto tibi vllus alienorum deorum ante faciem meam.

Analyſis.

Ego] Si quis exiſtimat hæc verba eſſe præfationem Decalogi, non impedio: interim veriſimile eſt, hîc præpoſitis rationibus ſanciri mandatum primum & ſtabiliri: præſertim cùm id fecerit Deus in tribus proximis, iiſq; minoribus mandatis.

Iehova] Tria ſignificat. I. Quod à ſe & in ſe ab

ab æterno exiſtat. Apoc.1.8. *Qui eſt, Qui erat, Qui venturus eſt.* II. Qui rebus omnibus dat eſſe quandō non erant, partim creando eas, partim gubernando. Act.17. III. Qui potentèr efficit vt ea quæ promiſit & fiant & ſint. Exod.6.2. Rom.4.17. Hîc primi mandati ratio ab attributo nominis.

Qui eſt Iehova, is tantùm pro Deo eſt habendus.
Ego ſum Iehova.
Ergo tantùm Ego pro Deo ſum habendus.

Propoſitio deeſt: aſſumptio eſt in his verbis; concluſio eſt ipſum mandatum.

D*eus tuus*] Hæc ſunt verba gratuiti fœderis, Ierem.32.33. quo Deus ſtipulatur cum populo ſuo de remiſſione peccatorum & vita æterna. In his verbis altera eſt mandati ratio à relatis paribus.

Si ego ſum Deus tuus, tu viciſſim meus populus eſſe debes, & me aſſumere in Deum tuum.
Verum primum eſt,
Ergò & ſecundum.

Eduxi] Illuſtratur aſſumptio ſecundæ rationis ab effecto Dei liberantis populum ex Aegypto, tanquam è ſervitute duriſſimi domini. Hæc liberatio non modò ad Iſraelitas, ſed etiam ſuo modo ad Eccleſiam omnium temporum pertinet; eſt enim typus liberationis multò melioris ex horrenda poteſtate tenebrarum. 1.Cor.10.1. *Nolim autem vos ignorare fratres, patres noſtros omnes ſub illa nube fuiſſe & omnes per mare tranſiiſſe.* verſ. 2. *Et omnes in Moſen baptizatos eſſe nube & mari.* & Coloſſ.cap.1.verſ.13. *Qui liberavit nos à poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in*

regnum

regnum filij ſibi dilecti.

Alienorum] Alieni dii dicuntur, non quòd naturâ tales eſſe poſſint, ſed quia ſic revera eſſe æſtimantur à corde prauiſſimo & pluſquam diabolico animalis cuiuſque hominis. vt Philip. 3. 19. *Quorum deus eſt venter.* 1.Cor.4.4. *In quibus deus huius ſæculi excæcavit mentes.*

Ante faciem] Id eſt, metaphoricè, in conſpectu & præſentia mea; cui occulta cordis ſunt conſpicua. Hîc tertia ratio eſt; *Si me coram reijcis, nefandum erit facinus: ergo vide ne quando facias.* Similis ratio. Gen.17.1.

Pars affirmativa.

Iehovam Deum habeto.

Officia quæ hic iubentur, hæc ſunt.

I. Agnitio Dei, qua cognoſcimus & confitemur Deum talem eſſe, qualem ſe in verbo ſuo & creaturis reuelauit. Coloſſ. 1. 10. *Creſcentes in agnitionem Dei.* Ierem. 24. 7. *Nam inditurus ſum illis cor ad cognoſcendum me, me eſſe Iehovam, eruntq́ mihi populus, & ego ero illis Deus. In hac Dei agnitione gloriandum.* Ierem. cap. 9. verſ. 24. *Sed in hoc glorietur, qui gloriatur, ſe intelligere & cognoſcere me, me eſſe Iehovam exercentem benignitatem, ius & iuſtitiam in terra.*

II. Vnitio cum deo, qua deo quis corde adhæreſcit. Ioſh. 23.8. *Sed Iehovæ deo veſtro adhæreſcite, quemadmodum feciſtis in hunc vſq́ diem.* Act. 11.23.

Hortatus

Hortatus eſt omnes, vt propoſito cordis permanerent in Domino. Adhæremus deo triplici inprimis affectu: fiducia, amore dei, & timore.

Fiducia eſt, qua quis agnoſcens potentiam & miſericordiam Dei, in eo firmiter acquieſcit contra omne periculum. 2. Chron. 20. 20. *Credite in Iehovam deum veſtrum, & eritis ſecuri: credite Prophetis eius, & proſpere cedet vobis.* Pſal. 27. 1. *Iehoua lux mea & ſalus mea eſt, à quo timerem? Iehova robur vitæ meæ eſt, à quo expaueſcerem?* v. 3. *Si metarentur contra me caſtra, non timeret cor meum. Si inſurgeret contra me bellum, in his ego ſecurus eſſem.*

Hinc oritur Patientia & alacritas in pręſentibus periculis. Pſal. 39. 10. *Obmuteſco, non aperio os meum, quia tu feciſti.* 2. Sam. 16. 10. *Dixit Rex, quid mihi vobiſcum filij Zeruiæ? ſi maledixit, quia Iehova edixit ei, maledic David: ecquis dicat, quare ſic facis?* Gen. 45. 5. *Sed nunc ne vos dolore cruciėtis, neq; diſpliceat in oculis veſtris quod vendidiſtis me huc: nam victus cauſa miſit me Deus ante vos.* v. 8. *Nunc itaque nequaquam vos eſtis, qui miſiſtis me huc, ſed deus ipſe.* 2. Reg. 6. 16. *Cui dixit, ne metuito. nam plures ſunt qui vobiſcum, quàm qui cum illis ſunt.*

Ex fiducia quoq́ue exiſtit ſpes, quæ eſt placida expectatio præſentiæ & auxilii diuini in omnibus futuris. Pſal. 37. 5. *Devolve ſuper Iehovam viam tuam, & confide in eo: nam ipſe efficiet.* v. 7. *Acquieſce Iehovæ & continenter expecta eum.* Prov. 16. 4. *Devolve in Iehovam facta tua, cogitationeſq; tuas, & comparabuntur.*

Amor

Amor Dei eſt, quo quis agnoſcens bonitatem & dilectionem Dei erga ſe, Deum viciſſim ſuper omnia diligit. Deut. 6. 5. *Diliges Dominum Deum tuum toto corde tuo, & tota anima tua, & totis viribus tuis.*

Dilectionis quæ eſt erga Deum notæ ſunt; libenter audire verbum Dei, libenter de ipſo loqui, ſæpè de illo cogitare, ſine tœdio obſequium ei præſtare, corpus & omnia pro illo exponere, appetere illius præſentiam ſuper omnia, de illa gaudere, dolere de abſentia, amare omnia quæ ad eum pertinent, diligere & odiſſe hoc idem quod ille, conari in omnibus ei placere, trahere alios ad eius dilectionem, dona & gratias ab eo datas magni æſtimare, conſiliis in verbo revelatis acquieſcere, denique invocare nomen eius cum fiducia.

Timor Dei eſt, quo quiſpiam agnoſcens Dei & miſericordiam & iuſtitiam, offenſionem Dei veretur vt ſummum malum. Pſal. 130. 3. *Sed apud te eſt condonatio, vt timearis.* Habac. 3. 16. *Audivi, & contremuit venter meus, ad vocem tremuerunt labia mea, putredo ingreſſa eſt in oſſa mea, & apud me contremui, in die afflictionis quieſcam, cùm aſcendet contra populum, vt abſcindat eum.* Pſal. 4. 4. *Commovemini & ne peccetis.*

Hinc oritur ſtudium probandi ſe Deo in omnibus. Gen. 5. 22. *Ambulavit autem Henoc continenter cum Deo, poſtquam genuit, &c.* & 17. 1. *Dixitq́; ad eum, Ego Deus, qui ſum ſufficiens, continenter ambula coram me, & eſto integer.*

Ex

Ex his tribus affectibus exiſtit humilitas, qua quiſpiam agnoſcens Dei gratuitam bonitatem & coram eo abiectus, omnem ei laudem & gloriam tribuit. 1. Cor. 1.30. *Qui gloriatur, in domino glorietur.* 1. Pet. 5. 5. *Modeſtia eſtote intus ornati.* Nam *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. Submittite igitur voſipſos potenti manui Dei, vt nos in tempore extollat.* 1. Chron. 29.10. *Et dixit David, Benedictus es Iehova Deus patris noſtri à ſeculo vſq; in ſeculum.* 11. *Tua eſt ô Iehova, magnitudo & potentia, & gloria, & æternitas, ac maieſtas: imo omnia & in cœlo & in terra: tuum eſt Iehova regnum, vt qui te extollis ſupra omnia in caput.* 13. *Itaq; nunc Deus noſter, celebramus te, & laudamus nomen tuum glorioſum.* 14. *Etenim quis ſum ego, aut quis populus meus, vt obtineamus vim ſponte offerendi huiuſmodi? nam ex te ſunt omnia, & à manu tua acceptum reddimus tibi.*

Pars negativa.

Quod non eſt naturâ Deus, ne Deum habeto.

Hîc peccata prohibentur.

I. Ignorantia veri Dei & voluntatis divinæ, quæ eſt non ſolùm neſcire, ſed etiam dubitare de iis quæ Deus revelavit. Ierem. 4.22. *Quoad ſtultus erit populus meus: me non agnoverunt, filij ſtolidi ſunt neque intelligentes: ſapientes ſunt ad malefaciendum, ad benefaciendum ignorantes.* & 9.3. *De malo in malum procedunt, neq; agnoſcunt me, dictum Iehova.*

II. Atheiſmus, quo corde negatur Deus, & eius attributum; vt iuſtitia, ſapientia, providentia, præſentia. Pſal. 14. 1. *Dixit ſtultus in corde ſuo non eſt Deus.* Epheſ. 4. 12. *Vos, &c. ſpem non habentes & Dei expertes in mundo.* Mal. 1. 2. *Diligo vos, ait Iehova; & dicitis, in quo diligis nos?* & 3. 13. *Invaluerunt contra me verba veſtra, ait Iehova, ſed dicitis, quid obloquuti ſumus contra te?* 14. *Dixiſtis, vanum eſt colere Deum: & quod lucrum erit, cùm obſervaverimus obſervationem eius, & cum ambulaverimus atrate metu Iehova exercituum?*

III. Errores, de Deo & deitatis perſonis vel attributis. Hic taxandus Helleniſmus, quo immenſa multitudo deorum & habetur & colitur. Auguſt. de civit. Dei. lib. *6.* c. *6.* & 7. cap. variis. *I*udaiſmus, quo Deus vnus colitur, ſed extra Chriſtum. Hæreſis Manichæi & Marcionis, qui negant Deum eſſe mundi creatorem: Sabellii, qui negat tres divinas hypoſtaſes: Arii, qui negat Chriſtum filium Dei verum eſſe Deum.

IIII. Removere vel avertere affectus cordis à Deo ad aliud Eſa. 29. 13. *Dixit enim dominus, propterea quòd appropinquans populus iſte ore ſuo, & labijs ſuis honoravit me: cor autem ſuum amovet à me, &c.* Iere. 12. 2. *Quoniam in ore propinquus es, ſed longinquus à renibus ipſorum.* Removetur cor à Deo multis modis.

I. Diffidentia erga Deum. Heb. 10. 38. *Iuſtus autem ex fide vivet: at ſi quis ſe ſubduxerit, non probat eum animus meus.* Huius effecta ſunt. I. Vacuitas patientiæ in cruce. Ier. 20. 14. *Maledictus dies quo genitus fui, dies, quo peperit me mater mea, ne ſit benedictus.* 15. *Ma-*

Maledictus ille vir qui annunciavit patri meo, dicendo, natus eſt tibi filius mas,&c. 18. *Ecquare eo vtero egreſſus ſum, vt viderẽ moleſtiã,& mœrorẽ, & conſumerentur pudore dies mei?* II. Tentatio dei, qua diffidentes deo, vel etiã contẽnentes eum, quærunt experimentũ capere divinæ veritatis aut potentiæ. Matt.4.7. *Non tentabis dominũ deum tuũ.* 1. Cor.10.9. *Neq; tentemus Chriſtũ, ſicut quidã eorũ tentarunt, & à ſerpẽtib. perierũt.* 10. *Neq; murmurate, ſicut quidã eorũ murmurarũt & perierũt ab exterminatore.* III. Deſperatio. Gẽ.4.13. *Maior eſt iniquitas mea quã vt remittatur.* 1. Theſ.4.13. *Ne doleatis ſicut cæteri, qui ſpem non habent.* IIII. Dubitatio de veritate divina, vel de beneficiis Dei præſentibus aut futuris. Pſal. 116. 11. *Ego dixeram accelerando, omnis homo mendax.*

II. Fiducia creaturæ; vt, virium. Ier.17.5. *Maledictus vir ille qui fiduciam habet in homine,& ſtatuit carnem brachiũ ſuum: à Iehova autẽ recedit cor eius.* Divitiarũ. Mat.6. *Non poteſtis deo ſervire & mamonæ.* Eph. 5.5. *Nullus avarus, qui eſt idololatra, habet hæreditatẽ in regno Chriſti & dei.* Munitionis loci. Ierem.44.16. *Horror tuus decipit te, ſuperbia animi tui, ô qui habitas in fiſſuris Petræ, qui prahendis altitudinem collis: quamvis exaltares vt aquila nidum tuum, inde deijcerem te, dictum Iehovæ.* Volupratis & deliciarũ. *Hinc quibuſdã venter deus eſt.* Phil.3.14. Medicorum. 2.Chr.16.12. *Ægrotavit autem Aſa anno trigeſimo nono regni ſui, ex pedibus ſuis, vſq; eò vt morbus eius ſumme invaleſceret: tamen ne in morbo quidem ſuo requiſivit Iehovam; ſed hæſit medicis.* Hic excellit fides verè diabolica, qua Magi omnes & magos conſulentes, fiduciam ponũt

in diabolo & eius operibus. Levit. 20. 6. *Anima quæ reſpexerit ad Pythones & Arialos ad fornicandum poſt ipſos, ponam faciem meam contra animam eam, & exterminabo eam è medio populi mei.*

III. Amor creaturæ, qui eſt ſupra dilectionem veri Dei. Matth. 10. 37. *Qui amat Patrem aut matrem ſupra me, non eſt me dignus, & qui amat filium, aut filiam ſupra me, non eſt me dignus.* Ioh. 12. 43. *Dilexerunt gloriam hominum potius quàm gloriam Dei.* Huc pertinet φιλαυτία. 2. Tim. 3. 2.

IV. Odium & contemptus Dei, qui eſt propter averſionem naturæ à Deo, eum fugere, & ei peccatum punienti iraſci. Rom. 8. 7. *Intelligentia carnis inimicitia eſt adverſus Deum.* Rom. 1. 30. *Suſurrones, obtrectatores, oſores* Dei.

V. Vacuitas timoris Dei. Pſal. 36. *Loquitur prevaricatio ad impium in medio cordis mei: non eſt timor Dei ante oculos eius.*

VI. Timor creaturæ magis quàm Dei. Apoc. 21. 8. *Timidis autem & incredulis &c. pars aſſignata eſt in ſtagno ardenti igne & ſulphure.* Matth. 10. 28. *Et ne timete vobis ab iis qui trucidant corpus, animam autem non poſſunt trucidare: ſed timete potiùs eum qui poteſt perdere & animam & corpus in gehenna.* Ierem. 10. 2.

VII. Durities cordis ſive carnalis ſecuritas, qua, quis non agnoſcens Dei judicia & proprium peccatum, immunitatem ſibi pollicetur ab ira Dei & à periculis, quæ proveniunt à peccato. Rom. 2. 5. *Sed pro duritia tua, & corde quod reſipiſcere neſcit, theſaurizas*

ſaurizas tibi ipſi iram in diem iræ. Luc.21.34. *Cavete autem vobis ne quando graventur corda veſtra crapula, & ebrietate, & curis huius vitæ: & repentè vobis ſuperveniat dies illa.*

VIII. Ex his omnibus exoritur ſuperbia, qua, quis bona ſua non Deo, ſed propriæ dignitati & facultati aſcribit, & ea tantùm ad ſuam gloriam refert & exponit. 1.Cor.4.6. *Vt in nobis diſcatis ſupra id quod ſcriptum eſt non ſapere: vt ne alius pro alio infleminì adverſus alium.* 7. *Quis enim te diſcernit? quid autem habes quod non acceperis? quod ſi etiam accepiſti, quid gloriaris, vt qui non acceperis?* Gene. 3.5. *Sed novit Deus quo die comederitis ex eo, aperturos ſe oculos veſtros, & vos fore ſicut dij, ſcientes boni & mali.* Superbiæ ſummus gradus eſt horrenda illa præſumptio, qua, multi ingreſſerunt ſeipſos in locum Dei. Act. 12.22. *Populus verò acclamabat, vox Dei & non hominis.* 23. *Illicò verò percuſſit eum Angelus domini, eò quòd non tribuiſſet gloriam Deo.* 2. Theſſ. 2.4. *Seſe opponens & efferens adverſus quicquid dicitur deus aut numen, adeò vt in templo Dei tanquam deus ſedeat, præ ſe ferens ſe eſſe Deum.*

CAP. 21.

De ſecundo Mandato.

HActenus fuit primum mandatum de habendo & eligendo Deo: reliqua tria ſunt de Sanctâ profeſſione, quæ fit erga eundem Deum. Nam primùm oportet Deum eligere, tum electum

profiteri.

In hac Dei profeſſione conſideranda partes ejus, & tempus profeſſioni deſtinatum.

Partes duæ; Solennis Dei cultus, & Glorificatio Dei.

Secundum ergò mandatum eſt, de ratione præſtandi Deo ſanctum & ſolennem Dei cultum. Verba mandati ſunt:

Ne facito tibi ſculptile, aut vllam imaginem eorum quæ ſunt in cœlis ſuprà, aut quæ in terris, aut in aquis infra terram. Ne incurvato ijs, neq; colito ea. Nam ego Jehova Deus tuus fortis, zelotypus ſum, viſitans iniquitatem patrum in filios, in nepotes & abnepotes, in eos qui odio perſequuntur me: exercens verò benignitatē in milleſimos à patribus, qui diligūt me & obſervant mandata mea.

Ant.

Analyſis.

Ne facito] Prima pars mandati, quæ prohibet facere idolum. Eſt autem idolum non ſolùm ficti Dei, ſed etiam Iehovæ repreſentatio quædam & imago. Id verò certis rationibus contra Papiſtas apparebit. I. Deut. cap. 4. verſ. 15. *Quare cavete animis veſtris valde (nam non vidiſtis vllam ſimilitudinem, quo die alloquutus eſt Iehova vos in Horebo, è medio illius ignis)* verſ. 16. *Vt non corrumpatis quicquam, & vobis ſculptile faciatis ſimilitudinem vllius ſimulachri, formam maris aut fœminæ.* Dianoia verborum Moſis ita eſt.

Si nullam vidiſtis imaginem, ſcilicet Iehovæ; tum nullam facite.

At nullam vidiſtis: tantùm vocem audiſtis.

Ergò nullam Iehovæ imaginem facite.

II. Quæ fuit Iſraelitarum idololatria, eadem hoc mandato prohibetur; at Iſraelitarum idololatria fuit cultus Iehovæ in idolo. Hoſ. 2. 16. *Eritq; die illo, dicit Iehova, vt voces me, mi vir, ac non voces me amplius, mi Bahal.* Vitulus aureus imago Dei fuit: nam eo facto, Aaron proclamavit, Feſtum Iehovæ cras eſto. Exod. cap. 32. verſ. 5. Idemque vitulus idolum dicitur. Act. 7. 41. Iſa. 40. 25, 28.

Sculptile] Synechdoche ſpeciei; Sculptile ponitur pro omnibus fictis mediis cultus divini. Hic illuſtratur prima pars mandati duplici diſtributione. Prima eſt è cauſis: *Non facies idolum; ſive ſculpatur in ligno aut lapide, ſive pingatur in tabula.* Altera eſt

è ſubiectis: *non facies idolum vel rerum in cœlo, vt aſtrorum & avium; vel rerum in terra, vt viri, fœminæ, beſtiæ; vel rerum ſub terra, vt piſcium.* Sic Moſes hunc locum exponit. Deut. 4. 14. ad 20.

Ne incurvato] Secunda pars mandati, qua, prohibetur, ne quis incurvet ſe coram idolo. Et in verbo, *incurvare*, eſt Synnechd. Ponitur enim pro quovis ficto Dei cultu.

Nam ego] Proponitur ſanctio mandati, in qua ſuadetur eius obſervatio rationibus quatuor.

Fortis] Prima ratio mandati; Deus fortis eſt in vindicanda idololatria. Hebr. 10. 3.

Zelotypus] Metaphora à conjugio. Deus enim vocatur maritus Eccleſiæ ſuæ. Iſa. 54. 5. Epheſ. 5. 26, 27. Et ſpiritualis cultus eſt animorum Deo deditorum quoddam velut coniugium. Ierem. 2. 2. *Recordor tibi benignitatis adoleſcentiæ tuæ, amoris ſponſalium tuorum: te perſecutam me per deſertum*, per terram non ſatam. Vnde etiam idola Dei corrivales jure apellentur. Hic altera eſt ratio à ſimili: *Deum ſolum colendum eſſe à populo ſuo, quòd eum ſibi vt ſponſam adiunxit, quæ vni viro tantùm adhæret: & ſi quando addixerit ſe idolis, Iehovam ſtatim daturum libellos divortij populo ſuo.*

Viſitans] Viſitare non tantùm eſt punire filios ob peccata parentum, ſed relictos filios in peccatis parentum *inquirere & deprehendere in iiſdem vt puniat*. Tertia eſt ratio ab effectis iræ Dei.

Odio] Fortè eſt ſubiectio Prolepſis: occupatio occultatur, & ita eſſe poteſt. *At idolis nos vtimur vt*

excitetur

excitetur & amor & recordatio tui. Subiectio eſt his verbis per negationem à contrariis. *Odio me habent qui idolis vtuntur.*

Exercens] Quarta ratio ab effectis miſericordiæ in eos qui obſeruant hoc mandatum. Notandum, primò Deum propenſiorem ad miſericordiam eſſe quàm ad iram. Pſal. 103. 8, 9, 17. Deinde hanc illuſtrem promiſſionem non eſſe intelligendam de ſingulis filiis piorum parentum. Nam pius Iſaac habuit Eſau reprobum filium; & Saul impius pium Ionathanem.

Pars negativa.

Ne colito vel falſos deos, vel Deum verum ficto cultu.

Hîc prohibentur plurima.

I. Repreſentatio Iehovæ per imaginem, quia Mendacium eſt. Habak. 2. 18. *Quid profuerit ſculptile, quòd ſculpſerit illud formator illius, fuſile aut doctor falſi.* Zach. 1. 2. *Nam imagines loquuntur vanitatem.* Ierem. 10. 8. *Eruditio vanitatum, lignum.* Concilium Eliberinum. Cap. 36. *Placuit picturas in Eccleſia eſſe non debere: ne quod colitur aut adoratur in parietibus depingatur.* Clemens Papiſtarum. lib. 5. ad Iacob. Domi. *Per alios ſerpens ille proferre verba huiuſmodi ſolet: nos ad honorem inviſibilis Dei, imagines viſibiles adoramus, quod certiſſimè falſum eſt.* Auguſt. ſuper Pſal. 113.

Crucis etiam & crucifixi Chriſti, & Sanctorum imagines in templis abolendæ ſunt; exemplo ænei ſerpentis. 2. Reg. 18. 4. Laudatur Ezechias, quòd defregit æneum ſerpentem eò quòd Iſraelitæ adolerent ei: qui tamen primùm à Deo fuit inſtitutus. Num. 21. 8. atque etiam Chriſti typum gerebat. Origen. libr. contra Celſum. 7. *Non patimur Ieſum apud aras, & ſimulacra colere, quia ſcriptum eſt, non ſint tibi dij alieni.* Epiphanius, epiſt. ad Ioh. Hieroſolymitan. contra morem Eccleſiæ eſſe dicit, *videri in eccleſia pendentem ſive Chriſti, ſive cuiuſpiam ſancti imaginem*; ideoque velum, in quo illa imago depicta pendebat, manibus ſuis conſcidit.

Signum autem illud, quod apparuit Conſtantino, in quo vincere debuit, non fuit ſignum Crucis (vt Papiſtæ nugantur) ſed nominis Chriſti. Fiebat enim ex duabus literis χ ρ invicem coniunctis. Euſeb. de vita Conſtant. lib. 1. cap. 22. 25.

Cherubimi in Salomonis templo poſiti, nihil pro ſimulacris faciunt, quia fuerunt in ſancto ſanctorum extra conſpectum populi: typi etiam fuerunt Majeſtatis ipſius Meſſiæ ipſis Angelis dominantis: eorumq; nunc veritatem habemus.

Si dicat quis, non ſtatuas, ſed Deum per eas coli: ſciendum eſt non poſſe creaturam imaginem creatoris conſtituere: & ſi poſſet, nolle tamen Deum in ea coli, quia res mortua eſt, & *opus manuum* non Dei ſed *hominis*: ideòque vilior eſt quàm vel minutum animalculum, de quo prædicari poſſit, quod *ſit opus Dei*: idcirco etiam nulla ſpecies cultus Domini ad

eam

eam pertinet, vel abſolutè, vel etiam relativè, quicquid gatriant Sophiſtæ.

Si quis verò fuerit imaginum paulò cupidior, in promptu ſemper habeat, prædicationem Evangelii, quæ viva eſt imago Chriſti crucifixi. Gal. 1, 3. *Amentes Galetæ quis vos faſcinavit, ne obſequeremini veritati: quibus ob oculos Ieſus Chriſtus prius fuerat depictus inter vos crucifixus.* Idem dicendum de vtroque Sacramento. Rectè etiam Clemens recognit. lib. 5. *Si verè velitis Dei imaginem colere, homini benefacientes, veram in eo Dei imaginem coleretis. In omni enim homine eſt imago Dei.*

II. Idololatriæ tenuiſſima quævis approbatio. Oſe. 13. 2. *De quibus iſti dicunt; homines qui ſacrificant, vitulos oſculantur.* Eſt autem oſculum externum ſignum cuiuſdam approbationis. Gen. 48. 10.

Ergo illicita in Miſſa & idolorum omnium ſacris, præſentia. 1. Cor. 6. 20. *Empti eſtis pretio, glorificate igitur Deum in* corpore *veſtro & in* ſpiritu *veſtro, quæ ſunt Dei.* Rom. 11. 4. *Feci vt remanſerint mihi ſeptem millia virorum, qui non flexerunt genu imagini Baal.* Euſeb. lib. 8. cap. 3, 3. *Exclamabant Martyres ad templa idolorum adducti, ac iam in tormentis ingenti voce teſtabantur, ſe non ſacrificaſſe, ſed eſſe Chriſtianos, tali ſe gaudentes confeſſione decorari.*

Quòd autem Naaman Syrus in templo Rimmonis adoravit, in eo nulla erat idololatriæ ſimulatio, ſed civile obſequium, quod regi exhibere conſueverat. 2. Reg. 5: 7, 18.

Preterea hoc nomine prohibentur tripudiatio,

proceſſiones, ſpectacula, confratriæ, in honorem idolorum facta. Exod.32.6. 1.Cor.10.7. *Neque igitur idololatræ eſtote, ſicut quidam eorum: vt ſcriptum eſt, ſedit populus ad edendum ac bibendum & ſurrexerunt ad ludendum.* Et Paulus graviter Corinthios, ne in idoleio accumberent hortatur; etiamſi ſcirent idolum in ſe nihil eſſe. 1.Cor.8.4. ad finem. Hiſtor. Tripart. lib.6.cap.30. *E militibus Iuliani quidam vexillum imperatorium in quo picta erant Iovis, Mercurij, & Martis imagines adorare, vt moris erat, renuerunt; alij donativa, quæ oblato prius thure in ara in conſpectu imperatoris accipiebant, reſtituunt; clamantes ſe eſſe Chriſtianos, & in ea profeſſione permanere: per ignorantiam autem, quod fecerant, feciſſe, adeoq; manum ſolam paganam eſſe, conſcientiam vero nihil egiſſe.*

III. Reliquiæ & monumenta idolorum: hæc enim abolitis idolis conſervanda non ſunt. Exod.23.13. *Et in omnibus quæ edixerô vobis continetote vos: nomen autem deorum alienorum ne recordemini, neque auditor in ore tuo.* Eſa 30.22. *Et pollueris* tectorium *ſculptilium argenti tui, &* amictum *fuſilis ex auro tuo: ſeparabis ea, vt laborantem ex menſibus; apage dices, eorum cuiq;.*

IV. Societas omnis cum infidelibus, quæ, non modò ad concordiam, ſed etiam ad amicitiam ineundam fit, illicita eſt: hæc vero multiplex eſt.

Prima eſt ſocietas conjugii. Gen.6.2. *Videntes filii Dei filias hominum bonâ formâ eſſe accipiebant ſibi mulieres ex omnibus quas eligebant.* Malac.2:11. *Prophanat Iehuda ſanctitatem Iehovæ, quam amaturus fuerat,*

erat, dicens filiam Dei alieni. Ezra. 9. 14. *An rurſus irrita faceremus præcepta tua, & quidem affinitatem inſigentes cum populis abominandis iſtis.* 2. Reg. 8. 18. *Quibus ambulavit in via regum Iſraelis, quemadmodum faciebant domus Achabi: nam filia Achabi erat ei uxor: ita fecit quod malum erat in oculis* Iehovæ.

Secunda eſt, fœdus belli, quod eſt pactum mutuum de ſocietate belli & communitate hoſtium: hoc multis modis impium. I. Si non licet auxilium petere ab hoſtibus Dei, haud licebit cum iis paciſci de præſtandis auxiliis. II. Obſcurat gloriam Dei, quaſi is non poſſet aut nollet juvare Eccleſiam ſuam. III. Periculum eſt contagionis idolorum & impietatis. IIII. Periculum etiam ſocietatis pœnarum. V. 2. Chron. 19. 2. P*rodiens in conſpectum eius Iehu filius Hannani videns, dixit ad Regem Iehoſaphat, an improbo auxiliari & oſores Iehovæ diligere te? ac propter hoc incumbit tibi fervens ira à Iehova.*

Tertia, ſocietas contractus, qua quis ſciens ſpe lucri & mercedis, idololatris ea vendat, quæ idolis ſciat ſubſervire. Hîc ergo prohibentur mercatores, Thurarii, beſtiarii, Cerarii, Candelarii, qui thus, beſtias, lintea, ceram vendentes ad cultum idolorum conferunt.

Quarta, litium exploratio ſub judicibus qui infideles ſunt, ſi poteſt haberi Chriſtianus judex. 1. Cor. 6. 6. *Sed frater cum fratre iudicio experitur, idq;* ſub infidelibus. Cæterum vbi fidelis judex haberi non poteſt; & vbi lis cum infideli eſt, ad infideles appel-

lare

lare licebit. Act. 25. 11.

Quinta, Adoratio beſtiæ & acceptatio charactêris. Apoc. 14. 9. *Si quis adoraverit beſtiam & imaginem eius, & acceperit charactêrem in fronte aut manu ſua.* 10. *bibit hic quoque ex vino iræ Dei.* Eſt autem *beſtia Romana* Eccleſia non illa vetus, ſed hæc nova quæ eſt heretica & apoſtatica.

V. Ἐθελοθρησκεία, eſt cultus divinus, intentionis quidem bonæ, ſed extra Dei verbum. Coloſſ. 2. 23. *Quæ rationem quidem habent ſapientiæ in* cultu voluntario *& ſummiſſione animi, & in eo quod corpori non parcant: non tamen ullius ſunt pretij: quæ ad ea ſpectent quibus caro farcitur.* 1. Sam. 13. 9. *Quare dixit Saul admovete mihi iſtud holocauſtum & eucharisticæ: & obtulit holocauſtum.* 13 *Tum dixit Samuel ad Saulem,* ſtultè geſſiſti te: *non obſervaſti mandatum Dei tui, quod mandavit tibi.* Huc pertinet ſuperſtitio papiſtica in ſacrificiis, cibis, feriis, veſtitu, periculis, indulgentiis, auſteritate vitæ, flagellatione, externis geſtibus, inceſſu, converſatione, peregrinatione, extructione altarium, ſtatuarum, templorum, &c.

Symphoniaca muſice in cœtu Eccleſiaſtico, aures paſcens, non animum ædificans. 1. Cor. 14. 15. *Quid igitur? precabor* ſpiritu, *ſed precabor etiam intelligentia, Pſallam* ſpiritu, *ſed pſallam etiam* intelligentia. Iuſtinus lib. quæſt. & reſponſ. 107. *In eccleſiis receptus non eſt uſus carminum per eius generis inſtrumenta, & alia inſipientibus convenientia, ſed ſimplex cantio ijs manet.*

Vota

Vota monaſtica. *I.* Pugnant cum lege Dei, vt impurus cœlibatus, & votum paupertatis: qui non laborat, ne manducet, inquit Paulus. *II.* Superant vires, vt perpetua in cœlibatu caſtitas. *III.* Pugnant cum libertate chriſtiana, & faciunt neceſſaria quæ ſunt libera. *IIII.* Reducunt Iudaiſmum. V. Idololatrica ſunt; quia tribuunt iis opinionem cultus & meriti.

V*I.* Hypocriſis, qua Deus fictè, id eſt, ad externam ſpeciem verè, ſed interno affectu cordis non colitur. Mat. 14. 7. *Hypocritæ, bene de vobis prophetavit Eſaias, dicens,* 8 *appropinquat mihi populus hic ore ſuo, & labijs me honorat: cor autem eorum procul abeſt à me.* Pſal. 10. 4. *Impius elato cultu nihil curat, non eſt Deus in omnibus cogitationibus eius.*

Huius effecta ſunt. *I.* gloriam coram mundo, lucrum & quæſtum quærere: & tamen videri velle Deum ſummopere colere. *II.* Oculatum & lynceum eſſe ad obſervandum aliorum vitam, ad ſuam verò talpa cæciorem eſſe. *III.* Traditiones majorum diligentiùs cuſtodire quàm præcepta Dei. *IIII.* Graviora omittere, minora ſectari. Matth. 23. 4. V. Facere quod faciunt, vt ſpectentur & laudentur ab hominibus. Matth. 6. 5. Iejunium Papiſticum merè hypocriticum eſt, quia conſtat certo delectu ciborum & habet annexam opinionem meriti.

Et Iejunium externum ſine ſpirituali, id eſt, ſine abſtinentia à peccatis & illicitis cupiditatibus. Iſa. cap. 58, verſ. 5. *An huiuſmodi eſt ieiunium quod eligo,*

affligere

affligere hominem animam ſuam vnum diem? an eſt incurvare, vt iuncum, caput ſuum & cilicium ac cinerem ſternere? an huiuſmodi vocabis ieiunium & diem acceptum Iehova? verſ. 6. *Nonne hoc eſt ieiunium quod eligo, vt ſoluatis nexus improbitatis, diſſoluatis falces lori: ac dimittatis conquaſſatos, vt ſint liberi, & omne lorum diſrumpatis.*

VII. Contemptus, neglectus, intermiſſio cultus Dei. Apoc. 3. 15. *Novi opera tua, te neq; frigidum eſſe neq; fervidum: vtinam frigidus eſſes aut fervidus.* 16. *Itaq; quoniam tepidus es, neque frigidus, neq; fervidus, futurum eſt vt evomam te ex ore meo.*

VIII. Depravatio cultus Dei & ordinis ab eo in Eccleſia inſtituti, quæ fit, addendo aliquid, vel detrahendo, vel quavis ratione mutilando. Deut. 12. 32. *Vnamquamq; rem quam ego præcipio vobis, eam obſervanter facito:* ne addito *ei*, neque detrahito *ex ea.*

Hic taxanda geſtatio panis in Cœna Domini, & adminiſtratio illius ſub vnica ſpecie, & horrenda illa omnis Miſſæ abominatio.

Hoc nomine Traditiones Papiſtarum repudiandæ ſunt. Matth. 15. 9. *Sed* fruſtra *me colunt, docentes doctrinas quæ ſunt mandata hominum.* Et papiſticæ omnes, vel natura ſua, vel abuſu, impietati, ſuperſtitioni, falſis cultibus, quæſtui ſerviunt. Atq; etiam Scriptura veteris ac novi Teſtamenti, ſiue ad dogmata confirmanda, ſiue ad mores informandos plenè ſufficiens eſt. 2. Tim. 3. 16. *Tota Scriptura divinitus inſpirata eſt, & utilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad inſtitutionem quæ eſt in iuſtitia.* 17. *Vt perfectus*

perfectus ſit homo Dei ad omne opus bonum perfectè inſtructus. Joh. 20.30,31.

IX. Adoratio religioſa alicuius creaturæ, cum plus ei quàm par eſt, honoris tribuitur. Reve. 22.8. Et *quùm audiſſem & vidiſſem, cecidi vt adorarem ante pedes angeli, qui mihi hæc oſtendebat: is verò dixit mihi, vide ne feceris: conſervus enim tuus ſum.* Act. 10. 25. *Vt autem factum eſt vt introiret Petrus, occurrens ei Cornelius & accidens ad eius pedes adoravit.* verſ. 26. *Petrus verò erexit eum, dicens, ſurge: & ego ipſe homo ſum.*

Itaque invocatio Sanctorum & Angelorum multò magis impia eſt. Rom. 10. 14. *Quomodo invocabunt eum in quem non crediderunt?* Matt. 4. 10. *Dominum Deum tuum adorabis, eiq́ ſoli ſervies.* Neque verò poſſet iſta Chriſto convenire, niſi, vt homo eſt, ſic etiam Deus eſſet. non enim adoratio ad humanitatem dirigitur, per ſe conſideratam; ſed ad Deitatem, cui caro hypoſtaticè vnita eſt.

Atque creaturam nullam invocandam eſſe, inde apparet, quòd ſolius naturæ omnipotentis eſt judicare motus cordium, & φρόνημα ſpiritus diſcernere. Rom. 8. 27. *Qui verò ſcrutatur corda, novit qui ſit ſenſus ſpiritus; quia ſecundum Deum interpellat pro ſanctis.*

Interim qui verè ſancti fuerint, donorum Dei approbatione, grata nominum recordatione, ſancta imitatione morum & vitæ, honorandi ſunt.

X. Diabolorum cultus. I. Magia; quæ eſt ars nefaria, mirum aliquod præſtandi ope diaboli. Nam

Nam miraculum facere Dei proprium eſt: is enim ſolus vel ſupra naturæ ordinem vel contra eundem, mirabilia producit. Inſtrumenta verò Dei in edendis miraculis ij tantùm ſunt, qui fidem in vera Dei Eccleſia profitentur. Mar. 6. 17. *Signa autem eos qui crediderint conſequentur.*

Mira tamen faciunt dæmones non generando aliquid quod non eſt, ſed res naturales variè movendo, tranſportando, applicando, condenſando, & ſenſus faſcinando.

Magiæ fundamentum eſt pactum cum Diabolo.

Pactum eſt quo mutuum exercetur commercium cum diabolo. In quo notanda ſunt.

Ortus commercii. *I.* Dæmon homines eos ſibi in ſervos eligit, in quibus eſt inſignis vel ſimplicitas, vel improbitas naturæ. *II.* His objicit media varia, vel per Magos, vel per Magorum libros. Media Satanica ſunt, quæ ad tale effectum producendum referri ſolent, ad quod neque ex inſtituto verbi Dei, neque ex natura ſua ordinantur: vt verba occulta, verba Scripturæ in abuſum ad Dei contumeliam detorta, aqua exorcizata, cribra, ſigilla, ſpecula, ſtatuæ, & genu flexiones ac geſtus varii. *III.* Obiectis mediis delectantur impii, & iis vim ineſſe ad mira facienda firmitèr credunt. *IIII.* Fidem hanc Satanicam oſtendunt ſtrenuo conatu, & abuſu mediorum. V. Conantibus adeſt Diabolus, vt aſſiſtat iis, & cum iis variè colludat

ludat: quia mediis virtute omni deſtitutis, ipſe tantùm operatur id, quod impius intendit.

Κακοζηλία Satanæ. Æmulus Dei eſt, & ſe tanquam Deum fingit. *I.* Deus habet verbum ſuum, & Sacramenta, & ei debitam fidem. Diabolus etiam habet verba quædam ſua, vt diximus: & his obſignandis externa quædam ſigna, vt characteres, geſtus, ſacrificia, ſuntque velut Sacramenta, vt Magis ſignificet voluntatem ſuam, iique viciſſim & obedientiam, & Satanicam fidem teſtentur ſuam. II. Deus invocantes ſe, & credentes, & obedientiam præſtantes exaudit: & Diabolus Magicis ritibus ac invocationibus delectatur, quia cedunt in contumeliam Dei, & in honorem ipſi. Proinde, ſi Deus id promittat, præſto adeſt iis juvandis, à quibus illi ritus & invocationes fiunt.

Pactum eſt, vel Occultum, vel Expreſſum.

Occultum ſiue implicitum eſt, quando homo non expreſſè paciſcitur cum Diabolo, ſed media Satanica tacitè approbat & in corde certò ac ſcienter credit iis adhibitis mirum optatum produci poſſe.

Expreſſum eſt, quùm quis non ſolum Diabolo fidit, ſed etiam cum eo hac conditione convenit, vt ipſe ſe tradat in poteſtatem diaboli, & viciſſim certis cæremoniis res optatas conſequatur.

Magia eſt, vel Divinatrix, vel Operatrix.

Divinatrix, qua, artificio diaboli, futura prædicuntur.

Prædictiones

Prædictiones autem fiunt vel certis adhibitis mediis, vel ſine medio. Primi generis ſunt

I. Augurium, quod eſt divinatio è volatu avium. Deut. 18. 11.

II. Aruſpicina, divinatio è viſceribus animalium. Ezech. 21. 21. *Nam ſtabit rex Babyloniæ in bivio, in capite duarum viarum ad divinandum divinationem; & terget cultros, conſulet imagines, inſpiciet iecur.*

III. Necromantia, qua diabolus ſpecie hominis mortui conſulitur. Deut. 18. 11, 1. Sam. 28. 11. *Tum dixit mulier, quem evocabo tibi? qui dixit, Samuelem evoca mihi.* verſ. 13. *Et dixit ei Rex, ne timeto; ſed quid vidiſti? & dixit mulier ad Saulem,* Deos vidi aſcendentes *è terra,* verſ. 14. *Quo dicente ei, quæ eſt forma huius? dixit illi, vir ſenex aſcendit, qui eſt amictus pallio: tum agnoſcens Saul Samuelem eſſe, verticem inclinavit, facie dimiſſa in terram & incurvavit ſe.* verſ. 15. *Dixit autem Samuel ad Saulem, quare commoviſti me evocando me, cui dixit Saul, anguſtia eſt mihi valdè: nam Peliſtæi bellum gerunt contra me.* Ille Samuel verus ille Dei Propheta non fuit. *I.* Quia ſanctorum animæ non ſunt in diaboli poteſtate. II. Quia permiſit ſe adorari à Saule. *III.* Quia dixit impio Sauli, cras mecum eris. Neq. Pythoniſſæ præſtigium eſſe potuit: quia apertè prædixit ruinam *S*aulis, quam imperita fœmina non potuit cognoſcere, nedum eſt auſa regi exponere. Reſtat ergo hunc Samuelem, fuiſſe merum ludibrium *S*atanæ.

Divinatio ſine mediis, eſt Pythoniſmus, quo poſſidentes Pythonem, id eſt, impurum aliquem Spiritum,

Spiritum, eo vtuntur immediatè ad occulta revelanda: Act. 16. 16. *Factum eſt autem proficiſcentibus nobis ad precationem, vt ancilla quædam habens Spiritum Pythonis, occurreret nobis, quæ quæſtum magnum præbebat dominis ſuis vaticinando.* Eſa. 29. 4. *Adeò vt deiecta è terra loquaris, & è pulvere muſſitet ſermo tuus; ſitq́ quaſi Pythonis è terra ſermo tuus, & è pulvere ſermo tuus pipiat.*

Magiæ operatricis duæ ſunt partes. Præſtigiæ, & Incantatio.

Præſtigiæ, quibus per illuſionem diabolicam magna in ſpecie & difficilia præſtantur. Exod. 7. 13. *Veniens itaq́ Moſes & Aaron ad Pharaonem, fecerunt ita vt præceperat Iehova: proiecit enim Aaron baculum ſuum coram Pharaone & coram ſervis eius, qui converſus eſt in draconem.* verſ. 14. *Tum vocavit Pharao Sapientes & Præſtigiatores: feceruntq́ ipſi quoque Magi Ægypti ſuis incantationibus ſimiliter.* 15. *Proiecerunt enim quiſque baculum ſuum, qui converſi ſunt in dracones.*

Incantatio eſt, qua per muſſitationem vocis, characteres, deliniationes, amuleta collo ſuſpenſa, herbas, pharmaca, animantia, imprimis verò homines infantuli & adulti, Deo permittente, Satanæ maleficio, infici, intoxicari, infeſtari, ligari, lædi, interfici, & contra etiam curari poſſunt, ad pœnam infidelium, & probationem fidelium. Pſal. 58. 6. *Venenum eſt illis ſimile veneno ſerpentis, ſicuti aſpidis ſurdæ obturantis aurem ſuam: quæ non auſcultat voci muſſitantium, iungentis ſocietates peritiſſimi.* Eccleſ. 10. 11. *Si*

momorderit ſerpens nondum adhibita incantatione, tum nullum eſt emolumentum domino linguæ.

Atque ſic eſt Magia è verbo Dei propoſita: quam adhuc vigere in iis qui ſine Deo in mundo degunt, in quibus Satanas omni ratione efficax eſt, omnium penè hominum & locorum experientia comprobavit.

Atque diligenter conſideranti conſtabit, Papiſmum magna ex parte meram Magiam eſſe.

Qui in vulgus edunt eas, qui dicuntur eſſe maleficæ & Lamiæ, omnes eſſe fæminas melancholicas, vi illuſionis diabolicæ exiſtimantes ea ſe facere, quæ tamen reverâ diabolus faciat; adhibent illi quidem bellum tectorium, ſed omnino poſſent iſto modo & homicidium & adulterium & omne facinus defendere.

II. Secundò cultores diaboli ſunt, omnes qui magos conſulunt. Nam planè à Deo ad diabolum deſciſcunt, vtcunque occultent impietatem hoc tegumento, quòd opem Dei quærant, quodque eandem magi præſtant. 1.Sam.cap. 28.verſ.13. *Dixit mulier ad Saulem,* deos *vidi aſcendentes è terra.* Levit. cap.20. verſ.6. *De anima item quæ converterit ſe ad Pythones & Ariolos, vt ſcortando ſectetur eos; vtique opponens iratam faciem meam animæ illi, exſcindam illam e medio populi mei.* Eſa. cap.8. verſ.19. *Cum dicunt vobis, conſulite Pythones aut Ariolos, qui pipiunt & qui muſſitant: dicite, nonnè populus Deum ſuum conſulit? à vivis ad mortuos?* verſ. 20. *Ad legem & teſtimonium.*

Pars

Pars affirmativa.

Deum coles in ſpiritu & veritate. Ioh.4.24. *Nam* ſimul ac quiſpiam Deum colere aggreditur perverſo & illicito ritu, iam idolum adorat, qualicumq; fuco impietatem ſuã pingat. Sic Paulus Rom.1. Dicit eos, *qui verterunt gloriam Dei in imaginem corruptilem creaturæ, non creatori ſervîſſe.* & 1.Cor.10.20. *Imo illud dico, quæ immolant Gentes, Dæmonijs immolare, non Deo.*

Huc ergo referuntur ea quæ reſpiciunt ſanctum & ſolennem Dei cultum. Vt,

I. Vera media cultus Dei; Invocatio Dei in petitione & gratiarum actione, Prædicatio verbi, & Sacramentum. Act. cap.2. verſ.41. *Qui ergo libenter exceperunt ſermonem eius, baptizati ſunt; & addita ſunt Eccleſiæ die illo capita quaſi ter mille.* verſ.42. *Erantq́; perdurantes in doctrina Apoſtolorum & communicatione, & fractione panis & precibus.* 1.Tim.cap.2. verſ.1. *Adhortor ante omnia vt fiant deprecationes, preces, poſtulationes, gratiarum actiones, pro quibuſvis hominibus;* verſ.2. *Pro regibus & quibuſvis in eminentia conſtitutis.* Act.20.7. *Primo autem die hebdomadis, coactis diſcipulis ad frangendum panem, Paulus diſſerebat abiturus poſtridie: produxitq́; ſermonem ad mediam noctem.* Tertull. Apolog. cap.39. *Coimus in cœtum & aggregationem, vt ad Deum quaſi manu facta pre-*

cationibus, ambiamus orantes. Hæc vis Deo grata eſt. Si quis ita deliquerit, vt à communione orationis & conventus & omnis ſancti commercij relegetur: præſident probati quiq; ſeniores honorem iſtum non pretio, ſed teſtimonio adepti. Idem. Iuſt. Martyr. Orat. ad Antoninum Pium Imperatorem.

II. Sanctus mediorum vſus; primò in miniſtris quorum eſt munus, adminiſtrare omnia in cultu Dei iuxta normam verbi. Matth. 28. 20. *Docentes eos ſervare omnia quæ mandavi vobis.* 1. Cor. 11. 23. *Ego enim accepi à Deo quod & tradidi vobis.*

Secundò in reliquo cœtu, cuius munus eſt precari Deum, audire verbum, Sacramenta recipere externè cum decoro & ſine offenſione. 1. Cor. 14 40. *Omnia verò ordine & decenter fiant.* Internè verò diligenti præparatione cordis. Eccleſ. 5. 1. *Obſerva pedem tuum vtrunq;, cùm adis in domum Dei, &c.* verſ. 2. *Ne acceleres ore tuo, & animus tuus ne feſtinet proferre quicquam coram ipſo Deo. Nam Deus ipſe in cœlis eſt, tu autem ſuper terram.* Et intus cum fiducia miſericordiæ Dei, & animo humili ac de peccatis reſipiſcente. Heb. 4. 2. *At non profuit illis auditus ſermo, vt* qui fidei mixtus *non fuerit ipſis qui audierant.* Pſal. 26. 6. *Lavo innocentia manus meas, & circumeo altare tuum, Iehova.*

III. Adminicula cultus divini ſunt, votum & Iejunium; nihil enim debet obtrudi Deo nomine cultus, cum obligatione conſcientiæ, niſi quod ille hunc in finem præceperit.

Votum in novo Teſtamento, eſt promiſſio Deo

facta de exercitiis corporalibus & externis, ſerio animi propoſito, vltrò ſine mandato ſuſceptis ad alendam & excitandam reſipiſcentiam, meditationem, ſobrietatem, abſtinentiam, patientiam, gratitudinem erga Deum. Gen. cap. 28. 20. *Præterea vovit Iacob votum, dicendo: cùm fuerit Deus mecum & cuſtodierit me in via iſta, per quam ego profecturus ſum, dederitq́ mihi panem ad comedendum, & veſtimentum ad induendum.* verſ. 21. *Reverſusq́ fuero in pace ad domum patris mei, denique fuerit mihi Iehova in Deum.* verſ. 22. *Tum hæc ſtrues lapidum, quam diſpoſui in ſtatuam, erit domus Dei: & quicquid dederis mihi, eius decimas omninò dabo tibi.*

Modus vovendi ſic eſt. *I.* Votum non debet eſſe de illicitis. *II.* Non de rebus cum vocatione pugnantibus. *III.* Non ſupra vires. *IIII.* Abeſſe debet omnis opinio meriti & cultus. V Præſtandum eſt, ita tamen vt conſervetur libertas conſcientiæ, quam Chriſtus dedit: ideoque votum ſervare liberum eſt, prout cauſæ illius probabiles durant vel tolluntur. Deut. cap. verſ. 18. *Ne inferto mercedem ſcorti, aut pretium canis in domum Iehovæ Dei tui pro vllo voto: nam abominationi Iehovæ Deo tuo ſunt ambo pariter.* 21. *Si voveris Iehovæ Deo tuo, ne differto ſolvere illud votum. nam omninò repoſceret illud Deus tuus abs te, & eſſet in te peccatum.* 21. *Quod ſi abſtinueris à vovendo, non erit in te peccatum.* Pſal. *66.14.*

Iejunium eſt, quo quis ſentiens vel defectum alicuius boni, vel calamitatem impendentem vel ſibi

vel aliis, non à carnibus tantùm, ſed etiam ab omnibus vitæ adiumentis ad certum tempus abſtinet, vt diligentiùs exploret peccata ſua, & humillimas deprecationes ad iram Dei avertendam, & petitiones de bonis accipiendis ardenter faciat. Matth. cap. 9. verſ. 15. *Non poſſunt filij ſponſi lugere quàm diu cum illis ſponſus eſt.* 1. Cor. 7. 5. *Ne fraudetis alius alium, niſi ſi quid ex conſenſu ad tempus, vt vacetis ieiunio & precibus.* Ioel. cap. 2. verſ. 12. *Quapropter etiam nunc dicit Iehova, convertimini ad me ex toto corde veſtro, & ieiunio, & fletu, & planctu.* verſ. 13. *Lacerate igitur corda veſtra & non veſtimenta, & revertimini ad Iehovam Deum veſtrum; quia gratioſus & miſericors eſt, longanimis & amplus benignitate, vt pœniteat eum huius mali.* verſ. 15. *Clangite buccina è Sione, indicite ieiunium, proclamate* diem *interdicti.* verſ. 16. *Colligite populum, indicite congregationem, congregate ſenes, colligite parvulos & ſugentes vbera: egredietur* ſponſus è cubiculo *ſuo, &* ſponſa è thalamo *ſuo.* verſ. 17. *Inter ipſum veſtibulum & altare fleant ſacerdotes miniſtri Iehovæ: & dicant, parce Iehova populo tuo, &c.*

Iejunium quandoque privatum eſt, quandoque publicum. 2. Chron. cap. 20. verſ. 3. *Timens vero Iehoſhaphat compoſuit faciem ſuam ad quærendum Iehovam: & indixit ieiunium toti Iehudæ.* Eſter. 4. 6. *Ieiunate pro me & ne comedatis, neque bibatis tribus diebus noctu & interdiu: ſimiliter ego quoque cum puellis meis ieiunabo.*

Ieiunium eſt, vel vnius tantùm diei, vel multorum ſimul:

ſimul: vtrumque rurſus pro re nata, vel prandii tantùm eſt, vel cænæ tantùm, vel prandii ſimul & cænæ. Iud. cap. 20. verſ. 23. *Cùm aſcendentes Iſraelitæ fleviſſent coram Iehova vſque ad veſperam, conſuluiſſentq́ Iehovam dicendo, an iterum accedam in prælium contra filios Beniaminis, &c.* 26. Dan. cap. 10. verſ. 3. *Diebus illis ego Daniel eram in luctu* trium ſeptimanarum diebus: *cibum rerum deſiderabilium non comederam, nec caro aut vinum intraverat in os meum, nec vnguento vnxeram me; donec complerentur trium ſeptimanarum dies.*

IV. Societates amicitiæ ſunt licitæ inter eos, qui Iehovam verè iuxta verbum eius colunt: vt, Connubia & fœdera belli: ſi modò bellum iuſtum ſit, & fiducia non ponatur in auxilio hominis. 2. Chron. 19. 2. Mal. 2. 11.

Huc referri poteſt fœdus illud, quod ineunt & magiſtratus, & omnes reipublicæ partes, tum inter ſe, tum etiam cum Deo, de conſervanda vera religione. 2. Chron. cap. 15. verſ. 10. *Itaque congregati Hieroſolyma, menſe tertio: anno quinto-decimo regni Aſæ.* verſ. 12. *Et inierunt fœdus de requirendo Iehova Deo Maiorum ſuorum: ex toto corde ſuo & ex toto animo ſuo.* verſ. 13. *Adeo vt qui non requiſiturus eſſet Iehovam Deum Iſraelis, morte afficiendus eſſet: ſive parvus, ſive magnus, ſive vir, ſive fœmina.* verſ. 14. *Et iurarunt Iehovæ cum ſono magno & clangore, tubisq́ ac buccinis.*

CAP. 22.

De Tertio mandato.

TErtium mandatum eſt, de glorificando Deo in actionibus communis vitæ extra ſolennem Dei cultum. Verba ſunt:

Ne aſſumito nomen Jehovæ Dei tui in vanum: nam non relinquet Jehova innocentem eum, qui aſſumpſerit nomen ſuum in vanum.

Analyſis.

Nomen] Propriè ſignificat Dei titulum: hic per Synecdochen ponitur pro re qualibet, qua Deus cognoſci poteſt, perinde ac ſuis homines nominibus: vt, pro verbo, operibus, iudiciis. Act. cap. 9. verſ. 15. *Inſtrumentum electum eſt mihi iſte, vt perferat* nomen *meum in conſpectum gentium*. Pſal. cap. 8. verſ. 1. I*ehova Domine noſter, quam magnificum eſt* nomen tuum *in tota terra: qui ponis decus tuum ſupra omnes cœlos.*

Aſſumito] Id eſt, Vſurpato. Metaphora eſt à rebus pretioſis, quas manu contrectare non licet, niſi

conceſſa

conceſſa venia. Et homines quidem, qui ſunt velut humi reptantes vermiculi, indigni ſunt, qui vel corde vel ore ſacroſanctum Dei nomen vſurpent & quaſi contrectent: hoc tamen Deus ex gratia permiſit.

In vanum] Id eſt, nulla cauſa, nulla re, ratione vana & mendace.

Nam] Sanctio legis vnica ratione, ab adiuncta pœna. Qui nomine Dei abutitur, reus erit peccati coram Deo, ideoque miſerrimus. Pſal. cap. 32. verſ. 1. *Beatus eſt qui levatus eſt à defectione, cuius tectum eſt peccatum.* verſ. 2. *Beatus homo, cui non imputat Iehova iniquitatem.*

Innocente] Metonymia, pro impunè.

Pars negativa.

Gloriam Deo debitam ne minuito.

Huc referuntur omnes rerum abuſus extra ſolennem Dei cultum.

I. Perjurium, quod eſt, quando quis non præſtat quod ex animi ſui ſententia juravit. Matth. cap. 5. verſ. 33.

Quatuor magna peccata ſunt in perjurio. Primum peccatum eſt, mendacium. Secundum eſt, falſa invocatio, quia perjurus Deum invocat ad confirmandum mendacium. Tertium, contemptus comminationis Dei,

Dei, qui periuris horrendam pœnam interminatur. Quartum eſt, mendacium in obligatione: periurus obligat ſe Deo & mentitur Deo.

II. Iurare falſum. Hoc eſt Deum diabolo ſimilem facere. Ioh. cap.8.verſ.44. *Vos ex patre diabolo eſtis, &c. Quotieſcunque loquitur mendacium, de ſuo loquitur; quia mendax eſt & mendacij pater.* Zach.cap. 5.verſ.4. *Hanc profero, dicit Iehova exercituum, vt invadat domum furis, & domum iurantis per nomen meum falsò.*

III. Iuramentum vſurpare in familiari colloquio.Matth.5.37. *Eſto autem ſermo veſter* etiam,etiam; non, non. *quod autem ſupra hac redundat, à malo eſt.*

IV. Iurare per id, quod non eſt Deus. Matth. cap.5.verſ.34. *Ego verò dico vobis, ne iuretis omninò: neque per cœlum, quia thronus Dei eſt.* verſ.35. *Neque per terram, quia ſcabellum pedum eius eſt; neq; per Hieſolymã, quia vrbs eſt magni Regis.* 1.Regum. 19. 2. *Quare miſit Ieſebel nuncium ad Eliam, qui diceret, ſic faciant dij & ſic pergant, vt hoc ipſo tempore cras redditura ſum vitam tuam, vt eſt vita vniuſcuiuſque illorum.* Ierem. 12.16. *Populum meum docuerunt iurare per Baal.* Ierem. 5.7. *Filij tui* derelinquunt me, *& iurant per eos qui non ſunt dij.*

Huc pertinent vſitatæ formulæ iurandi, per Miſſam, per fidem. Matth. cap. 23. verſ.22. *Qui iuravit per cœlum, iurat per thronum Dei & per eum qui ſedet ſuper ipſum.*

Maximè etiam horrendum eſt illud, iurare per

Chriſti

Chriſti mortem, vulnera, ſanguinem. Nam hoc eſt Chriſtum denuò cum Iudæis crucifigere, & eius mẽbra Dei loco ponere.

V. Blaſphemia, quæ eſt probrum coniectum in Deum, & quævis oratio eius contemptum redolens. Levit. cap. 29. 15. *Quiſquis, quùm blaſphemaverit Deum ſuum, omnino ferto peccatum ſuum.* verſ. 16. *Id eſt, qui execratur nomen Iehovæ, morte moriatur.* 2. Regum. 19. 10. *Sic dicetis Ezechiæ regi Iehudæ: ne decipiat te Deus tuus, in quo tu fiduciam habes, dicendo, non tradetur Ieruſalem in manũ regis Aſſyriæ.* Aiax in Tragœdia dicit. *Ignavos, deo adiuvante, vincere; ſe verò etiam ſine deo poſſe vincere.* Blaſphemus quoque Sarcaſmus eſt Papæ, Deum irridentis ſeq; appellantis *ſervum ſervorum Dei:* quum tamen revera ſe conſtituit dominum dominantium, & Deum libidini ſuæ ſubjicit.

VI. Imprecationes in inimicos noſtros; vt, abi in malam rem; Diabolus tecum, &c. in noſmetipſos, Moriar; damnetur anima mea, ſi ita eſt. Huc referuntur maledictiones quas eiecit in tentatione, Iob. cap. 3. & Hieremias. cap. 15.

VII. Leviter vſurpare Dei titulos in colloquio familiari: vt, Deus bone! quam tardus es? O Ieſu! O Ieſu! vbi fuiſti? Philip. cap. 2. verſ. 10. *Ad nomen Ieſu, omne genu flectat cœleſtium ac terreſtrium & ſubterraneorum.* Eſay. 45. verſ. 23. *Per me iuravi, prodijt ex ore meo iuſte verbum, quod non revocabitur; mihi incurvaturum iri omne genu, iuraturam omnem linguam.*

VIII. Abuſus creaturæ: vt, cùm irridetur opus Dei, vel modus operandi: quûm extenuatur excellentia operis: quùm obſcurantur illuſtria Dei dona in proximo, & cibi ad menſam appoſiti vituperantur. Denique quùm Deo ex iis gloria non datur. 1. Cor. 10.31. *Sive igitur editis, ſive bibitis, ſive quid facitis, omnia* in Dei gloriam *facite.* Pſal. 19. 1. *Cœli enarrant gloriam Dei, & opus manuum eius indicat expanſum eius.* Rom. 1.19,20,21.

IX. Sortitiones, ad fortunæ & infortunii inveſtigationem à iactu & inſpectione alearum, oſſium, librorum, & quorumcunque ſcriptorum. Nam ſortes non niſi cum magna reverentia vſurpandæ ſunt, quia immediatè à Deo diſponuntur; & earum genuinus vſus eſt, vt deſerviant deciſioni litium maximarum. Prov. cap. 16. verſ. 33. *In gremium conijcitur ſors: à Iehova autem eſt tota ratio eius.* & cap. 18. verſ. 18. *Contentiones ſubmovet ſors & inter robuſtos dirimit.* Hinc terra ſancta ſortibus diviſa eſt. Ioſu. 14. & 15. Pontifices ſorte eligebantur & reges. Nam Saul ſorte electus eſt. 1. Sam. 10. Sic & Matthias ſorte eligitur in Apoſtolatum. Act. 1. 23.

X. Superſtitio, quæ eſt opinio de operibus providentiæ Dei, cuius ratio nec è verbo Dei, nec è naturæ ordine colligi poteſt. Exempli gratia; Dirum eſſe, ſi quis manè calceum perperàm, aut ſiniſtrum pro dextro indueret; vel ſi cui ſal in menſa effundatur; vel ſi quis dum ſe calceat, ſternutaverit; vel ſi lepus in via ex tranſverſo currat: fauſtum verò eſſe ſi quis ferri fragmentum invenerit. Domari poſſe animalia carminibus

minibus & preculis. Herbis ineſſe vim medendi è ſymbolo recitato vel oratione Dominica. Deut.18. 11. Huius loci eſt Chiromantia, qua ex inſpectione manus multa narrantur.

Etſi iſta & his ſimilia eventu vera ſunt; tamen iis non credendum : quia Dei permiſſu fit, vt ij qui iſta vident & audiunt, probentur, & appareat qua fide ſint erga Deum. Deut. 13.

X*I*. Aſtrologia & genethliaca & prognoſtica. In hac arte larvata maximus eſt abuſus cœli & ſtellarum. *I.* Domus omnes figurarum cœleſtium fiunt è ſignis ficti Zodiaci primi mobilis; cuius nulla virtus eſſe poteſt. *II.* Non oritur ab experientia hoc artificium; quia conſtitutio ſtellarum eadem nunquam bis evenit : et ſi poſſet evenire, haud potuiſſet tamen obſervatio fieri, quia ſtellarum vis & influentia in aëre & terra confuſa eſt. *III.* A divinæ providentiæ conſideratione hominum mentes avocat, dum ex ſyderum motu & poſitione omnia provenire audiant. *IIII.* Stellæ non ſunt ſigna divinandi, ſed ſigna dierum, menſium, annorum. Gene. 1.14. *Sunto luminaria in expanſo cœli, ad diſtinctionem faciendum inter diem & inter noctem : & ſunto in ſigna, id eſt, in ſtata tempora, & dies, & annos.* V. Eſa. 47. 13. *Defetiſceris multitudine conſiliorum tuorum* : ſtent jam Aſtrologi; *qui contemplantur ſtellas, qui notas faciunt in menſes prædictiones ſuas, & ſervent te ab ijs quæ ſuperventura ſunt tibi.* verſ. 14. *Ecce ſunt tanquam ſtipula, ignis comburet eos, non eripient ſeipſos è flamma.* Dan. 2. 2. *Quapropter edixit Rex vocari ma-*

gos

gos. Aſtrologos, *& Præſtigiatores ad indicandum Regi ipſius.* Act. 19. 18. *Multi verò ex ijs qui curioſas artes exercuerant, comportatos* libros exuſſerunt *in omnium conſpectu.* VI. Prædictiones aſtrologicæ ſunt de rebus eiuſmodi; quæ vel pendent ſimpliciter ex mera Dei voluntate & diſpenſatione, non autem è cœlis: vel etiam è libera hominis voluntate, & contingentes ſunt: ideoque præſciri & prædici non poſſunt. VII. Impoſſibile eſt ex notitia ſolius cauſæ remotæ & communis, particulares effectus cognoſcere. Aſtra verò cauſæ ſunt communes & remotæ, rerum quæ in terris eveniunt: Ergo ex iis non magis prædici poteſt quid futurum, quàm, ſi quis è ſola inſpectione gallinæ velit, quales è ſingulis ovis pulli naſcantur, prædicere.

Ἀπορία. Qualis & quanta vis aſtrorum? Λύσις. Stellarum proculdubio magna vis, ſed ea omnis ſe tantùm exerit per principes illas quatuor naturæ qualitates; calorem, frigiditatem, humiditatem, ſiccitatem: ideoque in mutationibus aëris, & in corporibus compoſitis afficiendis magnas vires habent: ſed voluntatem non inclinant, nedum cogunt. Vires autem ſtellarum quantæcunque ſunt, nos latent; etſi enim effectus ſolis in conſtitutione quatuor partium anni, manifeſti ſunt, Lunæ quoque operationes non obſcuræ, planetarum tamen, ſtellarumque fixarum, quarum numerus maximus, vires & naturæ non perinde ſunt notæ. Et è ſtellarum quarundam cognitione, cæteris incognitis, futurorum dijudicatio

tio non eſt. Nam licet poſitio quorundam ſiderum talem effectum futurum demonſtret; aliorum tamen, quæ nondum noſti, aſpectus eundem impediat, & contrarium pariat.

Ἀπορία. Eſtne vſus Aſtrologiæ planè impius? Λύσις. Aſtrologiæ pars ea, quæ eſt de mutationibus aëris, penè tota falſa eſt & vana: & proinde fere omnes prædictiones, quæ fiunt per eam, mera ſunt ludibria, & imperitum populum ludificantur. Reliqua verò Aſtrologia, quæ eſt de nativitatibus, nativitatum revolutionibus, progreſſionibus, directionibus, de electionibus temporum, de rebus inveniendis, &c. ſcelerata eſt. Et probabile videtur eſſe eam ſpeciem Magiæ implicitæ. Ratio. *I.* Aſtrologos ſacra Scriptura inter magos connumerans eandem vtriſque pœnam interminatur. *II.* Reſpondet Aſtrologus multa veriſſimè: vnde vel quibus mediis? arte dicunt illi. Nego: artis illius præcepta non præjudicanti ſtultiſſima: vnde ergo prædicit verum curioſus iſte, niſi ex interno & occulto afflatu dæmonis. In ea eſt ſententia Auguſt. de Civitate Dei. lib. 5. cap. 7. *His*, inquit, *omnibus conſideratis non immeritò creditur, cùm Aſtrologi mirabilitèr multa vera reſpondeãt, ex occulto inſtinctu ſpirituum non bonorum, quorum cura eſt has falſas & noxias opiniones de aſtralibus fatis, inſerere humanis mentibus atque firmare, non horoſcopi notati & inſpecti aliqua arte, qua nulla eſt.*

XII. Conſecratio aquæ & ſalis Papiſtica, ad ſanitatem

ſanitatem animæ recuperandam, & fugandos dæmones. Miſſale reformatum. pag. 96.

XIII. Colligere facetias & ſales è ſententiis & phraſibus Scripturæ. Eſa. cap. 66. verſ. 2. *Sed in hunc intueor, in pauperem & contritum ſpiritu* ac trepidantem *ad verba mea.* Exemp. Hiſt. Tripart. lib. 6. cap. 39. *Pagani Chriſtianos graviter oppreſſerunt, interdum etiam tormentis corporalibus affligebant eos. Quod Imperator audiens, Chriſtianis videlicet adeuntibus eum, defendere contemnebat, dicens, veſtrum eſt, vt patienter mala ſuſtineatis; hoc enim eſt præceptum veſtri* Dei.

XIIII. Iudicia Dei, quæ in mundo eveniunt parvi pendere. Matth. cap. 26. verſ. 34. *Amen, amen dico tibi, iſta nocte antequam gallus vocem mittit, ter me abnegabis.* verſ. 35. *Dicit ei Petrus, etiamſi oportuerit me mori tecum, non te abnegabo.* Luc. 13. 1. *Adfuerunt eo tempore quidam annunciantes ei de Galilæis, quorum ſanguinem Pilatus miſcuerat cum ipſorum ſacrificijs.* verſ. 2. *Et reſpondens* Ieſus*, dixit eis, putatis hos Galilæos peccatores eſſe, quoniam talia paſſi ſunt?* verſ. 3. *Non dico vobis: imò niſi reſipiſcatis, omnes itidem peribitis.*

XV. Vita diſſoluta. Matth. cap. 5 verſ. 16. *Et ſplendeat lux veſtra coram hominibus, vt videant veſtra bona opera, & glorificent Patrem veſtrum, qui eſt in cœlis.* 2. Sam. cap. 12. verſ. 14. *Verumtamen, quemadmodum blaſphemare feciſti inimicos* Nomen *Domini, propter verbum hoc, filius qui natus eſt tibi, morte morietur.*

Pars

Pars affirmativa.

Gloriam Deo debitam in omnibus ei tribuito. 1.Cor.10.31. Huc referuntur.

I. Zelus erga gloriam Dei præ aliis rebus omnibus. Num. cap.25.8. *Quod cum videret Phinees filius Eleazer filij Aaronis Sacerdotis, ſurgens è medio illius cœtus, arripuit ſpiculum manu ſua. Quod penetravit à dorſo viri Iſraelitæ ad ventrem eius, transfixitq; ipſos ambos virum Iſraelitam & mulierem illam per ventrem illius.* Pſal.69.verſ.12. *Quoniam zelus domus tuæ* comedit *me: & opprobria exprobrantium tibi ceciderunt ſuper me.*

II. Vſurpatio titulorum Dei tantùm in re gravi ſumma cum reverentia.Deut.28.58. *Niſi obſervanter feceris omnia verba legis huius quæ ſcripta ſunt in libro hoc, timendo nomen glorioſiſſimum & ſummè reverendum iſtud, nempe Iehovam Deum tuum.* Rom. cap.5. verſ.9. *Quorum ſunt Patres, & ij ex quibus Chriſtus quod ad carnem attinet, qui eſt ſupra omnes Deus laudandus in ſæcula, Amen.*

III. Sancta commemoratio creaturæ, qua, cogitantes qualis ea & quanta ſit, & admirantes eius excellentiam, ſignificamus in ea nominanda & approbationem noſtram, & laudem Dei in ea lucentem deprædicamus. Pſal.94.10. *Quicunque autem homines reverentur, cum nunciaverint opus Dei & factum eius intelligendum propoſuerint.* verſ.11. *Lætabitur iuſtus*

ſtus in Iehova,& recipiet ſe ad eum: deniq; gloriabuntur omnes recti corde. Luc.2.18. *Et omnes qui audierunt, mirati ſunt ea quæ ipſis dicta ſunt à paſtoribus.* verſ.19. *Maria verò iſta omnia conſervabat,* conferens ea *in corde ſuo.* Ierem.5.22. *Annon me reverebimini? dicit Iehova, an à facie mea non contremiſcitis? qui diſpoſui arenam terminum mari, ſtatuto perpetuo quod non trãſgrediatur: quamvis incutiant ſe, non tamen prævalent: quamvis fremant fluctus eius, non tamen transgrediuntur.* Pſal.148.

*I*V. Iuramentum: eius ratio duplex: prima, de ſuſcipiendo iuramento: altera, de præſtando. In eo ſuſcipiendo hæc quatuór conſideranda.

I. Materia vel partes, quæ ſunt quatuor. Prima, confirmatio veritatis. Secunda, eſt invocatio ſolius Dei, vt ſit teſtis veritatis & vindex mendacii. Tertia, confeſſio quod Deus eſt vindex perjurii, & vltor, quando tanquam teſtis falſus citatur. Quarta, obligatio ad pœnam ſi fallimus.

II. Forma. Iuramentum faciendum eſt in veritate, ne quid falſum iuretur: in iuſtitia, ne quid impium: in judicio, ne quid temere vel in re levi juretur. Ierem.4.2. *Si iurabis, vivit Iehova,* in veritate, in jure, & in iuſtitia, *etiam benedicent tibi in ipſo Iſraele Gentes.* Eſa.48.1. *Qui iurant per nomen Iehova, & Dei Iſraelis mentionem faciunt, non in fide neque in iuſtitia.* Ergo juramentum interpoſitum ab ebriis, furioſis, phreneticis, pueris non obligat, & ipſo jure nullum eſt.

III. Finis, Confirmatio neceſſariæ veritatis contro-

verſia

verſia. Hebr.6.16. *Nam homines quidem per eum iurant qui maior eſt: atq́; iiſdem omnis controverſiæ finis eſt iuramentum ad confirmationem adhibitam.* Neceſſaria veritas eſt, quando aliquod dubium quod neceſſariò probandum eſt, non alio argumento, quam iuramenti teſtimonio commodè declarari poteſt. Hoc autem eſt, quum agitur de gloria Dei, de ſalute & exiſtimatione proximi, de propria iurantis neceſſitate & fide. Rom.1.9. *Teſtis eſt mihi Deus, cui ſervio ſpiritu meo in Evangelio, quod indeſinenter meminerim veſtri.* 2.Cor.1.23. *Ego verò teſtem invoco Deum in animam meam, me nondum veniſſe Corinthum vt vobis parcam.*

IV. Species. Iuramentum eſt vel publicum vel privatum. Publicum cûm à magiſtratu ſine vllo vel minimo periculo iurantis, iuſtis de cauſis poſtulatur teſtimonium ſub iuramenti religione.

Privatum iuramentum eſt, quod inter duos vel plures privatim ſuſcipitur. Hoc ſi moderatè & cautè præſtetur, licitum eſt. Nam ſi privatis in re gravi & ſeria licet Deum iudicem appellare, cur non & teſtem? Exempla etiam ſanctorum idem confirmant. *Privati Iacob & Laban fœdus inter ſe iuramento ſanciunt. Boos iuramento confirmat coniugium cum Ruth.*

Iuramenti ſimilis, diſtincta tamen eſt aſſeveratio, quæ nihil aliud eſt quàm ſententiæ noſtræ vehemens aſſertio, interpoſito quandoque nomine creaturæ. Huius loci eſt illud Salvatoris: *Amen, Amen dico vobis.* Sic Paulus. *Deum teſtem invoco in animam*

meam. In quibus verbis eſt & iuramentum & aſſeveratio. 1.Cor.cap.15.verſ.31. *In dies morior per gloriationem veſtram, quam habeo in Ieſu Chriſto Domino noſtro.* 1.Sam.cap.20.verſ.2. *At certè vt vivit Iehova, & vivit anima mea, quaſi paſſus inter me & inter mortem eſt.*

Et quidem hoc æquum eſt: quamvis enim non licet iurare per creaturas, ne honor & potentia divina iis attribuatur: tamen in iurando adhibere ea licet tanquam gloriæ Dei pignora & ſymbola.

Ratio præſtandi iuramenti ſic eſt. Iuramentum de re licita, quamvis ſit difficile & damnoſum iuranti, aut etiam vi extortum, præſtandum eſt. Pſal.15.4. *Iuratus* in damnum ſuum *non tamen mutat.* Magiſtratus tamen poteſt eiuſmodi pacta ex æquo & bono vel moderari vel reſcindere.

Iuramenta verò per ignorantiam, errorem aut infirmitatem aut quovis modo de rebus illicitis, retractanda ſunt: quia non eſt addendum peccatum peccato. 1.Sam.25.21. *Dixerat enim David, vtique fruſtra conſervavero quicquid erat iſti in deſerto, &c.* verſ.22. *Ita faciat Deus hoſtibus Davidis & ita pergat: vt non reliquum faciam ex omnibus quæ ſunt ei, vſq; ad craſtinam lucem, mingentem ad parietem.* verſ. 32. *Tum dixit David Abigaelæ, benedictus ſit* Iehova *Deus Iſraelis, qui miſit te hoc ipſo die obviam mihi.* verſ. 33. *Et benedictum conſilium tuum, benedictaq; tu ipſa, quæ continuiſti me hoc ipſo die, ne inirem cædes: & vindicaret me manus mea, &c.* 1.Sam.19.23. cum 1. Reg.2.8,9.

V. Sanctificatio

V. Sanctificatio creaturæ & ordinationum Dei eſt, eorum ſeparatio ad ſanctum vſum: hoc modo ſanctificantur cibi, opera vocationis, thorus coniugalis.

Media ſanctificationis duo; Verbum, & Oratio. 1. Tim. 4.4. *Nam quicquid creavit Deus bonum eſt, nec quicquid reijciendum eſt, ſi cum gratiarum actione ſumatur.* verſ. 5. *Sanctificatur enim per verbum Dei & preces.*

Verbum oſtendit; primùm, an vſus rei ſit à Deo permiſſus; deinde quo ſancto modo, quo loco, quo tempore, quo animo, quo fine re permiſſa ſit vtendum. Hebr. 11.6. *Atque fieri non poteſt, vt ſine fide quiſquam* Deo *placeat.* Pſal. 119.24. *Etiam teſtimonia tua ſunt oblectationes meæ, homines conſilij mei.* Ioſ. 22. 19, 29. 1. Sam. 15.23.

Oratio ſanctificans eſt; vel Petitio, vel gratiarum Actio.

Petitio à Deo obtinet, vt gratia illius iuvemur ad ſanctè vtendum eius ordinatione & creatura. Coloſſ. 3.17. *Et quicquid egeritis ſermone aut facto,* in nomine Domini Ieſu *facite, gratias agentes Deo & Patri per eum.* 1. Sam. 17.45. *Tu venis ad me cum gladio & cum haſta & cum humerali: Ego verò venio ad te* in nomine Iehovæ *exercituum.* Mich. 4.5. *Nos autem ambulavimus in nomine Iehovæ, Iehovæ, Dei noſtri in ſæculum & in æternum.* Oratio pro fauſto itinere. Act. 21.5. *Peractis illis diebus, abijmus, omnibus deducentibus nos cum vxoribus & liberis, donec vrbem exiviſſemus, & poſitis genibus in littore precati ſumus.*

verſ.6. *Et alij alios complexi conſcendimus navim, illi autem reverſi ſint ad ſuos.* Pro conſecratione menſæ. Ioh.6.11. *Accepit ergo Ieſus panes: & quum gratias egiſſet, diſtribuit diſcumbentibus: Similiter & ex piſcibus quantum volebant.* Act.27.35. *Et quum hæc dixiſſet, ſumens panem, gratias egit Deo in conſpectu omnium, & quum fregiſſet, cœpit mãducare.* Pro prole ſuſcipienda. Anna.1.Sam.1. Luc.1.13. *Dixit autem ei angelus, ne timeas Zacharia. Nam audita eſt deprecatio tua: vxorq́; tua Eliſabet gignet tibi filium.*

Gratiarum actio eſt, celebratio nominis Dei, & patris per Chriſtum ob gratiam, auxilium, & benedictionem in vſu creaturę legitimo. Phi.4.6. *Sed in omni re, precibus & ſupplicatione cum gratiarum actione petitiones veſtræ innoteſcant apud Deum.* 1.Theſſ. 5. 18. *In omnibus gratias agite: hæc enim eſt voluntas Dei per Chriſtum Ieſum erga vos.* Poſt cibum. Deu.8.10. *Vt cum comedens & ſatiatus fueris, benedicas Domino deo tuo, pro terra optima quam dedit tibi.* In bonorum amiſſione. Iob.1.21. *Et dixit, nudus egreſſus ſum de vtero matris meæ, & nudus revertar illic. Dominus dedit, Dominus abſtulit: ſicut Domino placuit ita factum eſt: ſit nomen Domini benedictum.* Pro liberatione è ſervitute. Exod.18.10. *Benedictus Dominus qui liberavit vos de manu Ægyptiorum, & de manu Pharaonis, qui eruit populum ſuum de manu Ægypti.* Pro ſuſcepta prole. Gen.29.35. *Lea quarto concepit & peperit filium, & ait: Modò confitebor Domino: & ob hoc vocabit eum Iuda.* Pro victoria. 2.Sam.22.1. *Loquutus eſt David Domino verba carminis huius, in die qua liberavit*

beravit eum Dominus de manu omnium inimicorum ſuorum, & de manu Saul. verſ.2. *Dominus petra mea, & robur meum, & ſalvator meus.* Pro ſucceſſu in negotiis Domini. Gen.24 12,48.

CAP. 23.

De quarto mandato.

QVartum mandatum eſt de Sabbatho, id eſt, de ſacro tempore colendi & glorificandi Deum. Verba ſunt.

Recordare diem Sabbathi, ut ſanctifices illum: Sex diebus operaberis & facies omne opus tuum. Dies verò ſeptimus, eſt Sabbathũ Jehovæ Deo tuo. Ne facito ullum opus tu, aut filius tuus, aut filia tua, aut ſervus tuus, aut ancilla tua, aut jumentũ tuũ, aut peregrinus qui eſt intra portas tuas. Nam ſex diebus perfecit Iehova

cœlum & terram, mare & quicquid eſt in ijs: quievit verò die ſeptimo: idcirco benedixit diei Sabbathi & ſanctificavit illum.

Analyſis.

Recordare] Hæc clauſula innuit præteritis temporibus neglectum jacuiſſe Sabbathum: & requirit præparationem ad ſanctificandum Sabbathum ab omnibus,& inprimis à dominis familiarum & civitatum,quibus hoc mandatum proponitur.

Sanctifices] Sanctificare eſt rem ab vſu communi ſeperare, & divino cultui applicare. Hîc duæ mandati iſtius partes indicantur; quarum prima, eſt quies ab opere: altera, eſt ſanctificatio illius quietis.

Sex] Occulta prolepſis; at difficile eſt vnum integrum diem operbus noſtris abſtinere. Subiectio eſt in his verbis (vnâ cum prima ratione mandati) à majore ad minus.

Si permitto tibi ſex diebus operari, tum vno die Sabbathi quieſcendum eſt:
Verum eſt primum: ergo & ſecundum.
Propoſitio deeſt: Aſſumptio in hoc loco: Concluſio eſt ipſum mandatum.

Hîc notanda eſt permiſſio illa & libertas operandi ſex diebus; quam nemo poteſt tollere: tamen extra

extra ordinem magiſtratui & Eccleſiæ Dei permiſſum eſt, vnum pluresvè dies è ſex diebus, vel ad ieiunium pro nata occaſione, vel ad ſolennem hilaritatem habendam, ſecernere, Ioel. 2.15.

Septimus verò] Secunda mandati ratio à fine.

Si Sabbathum dicatum eſt Deo & eius cultui: tum in eo abſtinendum eſt operibus.

At eſt dicatum cultui Dei:

Ergo in eo abſtinendum eſt operibus.

Aſſumptio eſt in his verbis. Vbi notandum eſt, Deo proprium eſſe, diem habere Sabbathi ad cultum eius deſtinatum: ideoque illicita eſſe Sabbatha ſanctorum, vel hominum, vel Angelorum, quæ multis gentibus obtrudit Romana Eccleſia.

Ne facito vllum] Concluſio ſecundæ rationis, & illuſtratur à diſtributione cauſarum. *Ceſſabis tu, filius, filia, ſeruus, ancilla, iumentum, peregrinus.*

Opus] Id eſt, opus vocationis ordinarium & liberum. Opera tamen permittuntur omnia, *quæ ſancta ſunt, atque etiam præſentis neceſſitatis.*

Huc referuntur opera quæ cultum & gloriam Dei in preſenti conſeruant & tuentur, vt Sabbathi iter. Act. 1.12. *Qui eſt prope Hieruſalem diſtans itinere Sabbathi.* Mactatio & excoriatio pecudum in lege. Mat. 12.5. *Annon legiſtis in lege Sabbathis ſacerdotes in templo Sabbathum profanare & ſine crimine eſſe?* Profectiones ad Prophetas & ad locum conſtitutum cultui Dei. 2. Reg. 4.23. *Qui dixit quare itura es ad eum hodie, cum non ſit nouilunium, neque Sabbathum? Quæ dixit quieto animo eſto,* Pſal. 84.6,7.

Huc

Huc pertinent etiam opera miſericordiæ, quibus incolumitas & vita cōſervatur. Pauli factum. Act. 20. 9. *Et ſedens quidam adoleſcens, nomine Eutychus, in feneſtra, deijciente eum ſomno profundo, cùm diutiùs diſſereret Paulus, præ ſomno ruens decidit ex tertia contignatione deorſum, & ſublatus eſt mortuus.* verſ. 10. *Cùm deſcendiſſet autem Paulus ruit in eum, & cōplexus, dixit, ne tumultuamini, anima enim eius in ipſo eſt.* verſ. 11. *Cum igitur aſcendiſſet, fregiſſetq́ panē, ac guſtaſſet, &c.* Extrahere beſtiam è puteo. Luc. 14. 5. *Et reſpondens eis dixit, Quis veſtrum, ſi ipſius aſinus aut bos in puteum incidat, non ſtatim extrahat eum die Sabbathi?* Apparatus cibi & potionis. Matth. 12. 1. *In illo tempore ibat Ieſus Sabbatho per ſata, diſcipuli verò ipſius eſuriebant, inceperuntq́ vellere ſpicas & edere.* In apparatu autem videndum, ne coqui & ſervi Sabbathum violent. Ratio à minore ad maius. 2. Sam. 23. 15. *Et deſiderio motus dixit David, O ſi quis bibendum daret mihi aquam è ciſterna Bethleem, quæ eſt ad portam.* verſ. 16. *Quapropter perruperunt tres iſti potentiſſimi per caſtra Philiſteorum, & hauſtam aquam è ciſterna Bethleem, quæ eſt ad portam, deportantes attulerunt ad Davidem, qui noluit bibere eam, ſed effudit eam Iehovæ.* verſ. 17. *Dicebat enim, Abſit mihi à* Iehova *vt faciam hoc,* An ſanguinē iſtorum, *hominum qui inierunt periculum vitæ ſuæ biberem? ſic noluit bibere illam. hæc fecerunt tres illi potentiſſimi.* Aquationes pecudum. Marc. 12. 11. *Reſpondit ergo ei Dominus & dixit, Hypocrita vnuſquiſq́ veſtrum Sabbatho nonnè ſolvit bovem ſuum, aut aſinam à præſepi & ducit aquatum?* In hoc caſu

præſentis

præſentis & ſanctæ neceſſitatis, permittenda itinera medicorum, nautarum, paſtorum, & obſtretricum operæ. Mar. 2. 27. *Sabbathum propter hominem factum eſt, non homo propter Sabbathum.*

Intra portas] Porta ſignificat per Metonymiam dominium & authoritatem. Matth. cap. 16. verſ. 18. *Et portæ inferorum non ſuperabunt eum.* Hic animum attendant ad munus ſuum, qui hoſpitio peregrinos excipiunt.

Nam ſex diebus] Tertia ratio mandati ab exemplo ſimili,

Quod ego feci, idem tu præſtare debes,
Ego ſeptimo die quievi, & ſanctificavi Sabbathum.
Ergo tu quieſce die ſeptimo & ſanctificabis illum.

Deus ſanctificat Sabbathum deſtinando diem cultui ſuo, homines ſanctificant colendo Deum. Hic quærendum eſt Sabbathum quatenus ceremoniale eſt, & quatenus morale.

Primò, cæremoniale eſt rigida illius obſervatio, quæ fuit typus ſignificans internam ſanctificationem populi Dei, quæ eſt veluti quies à peccato. Exod. 31. 15. *Tu autem alloquere filios Iſraelis, dicendo, veruntamen obſervate Sabbathum meum, nam* ſignum eſt inter me & inter vos, *per generationes veſtras ad cognoſcendum me Iehovam eſſe qui ſanctifico vos.* Ezech. 20. 12. Idem.

Præterea ſignificavit beatam illam requiem cœlorum. Iſa. cap. 66. verſ. 23. *Eritq́, de novilunio in novilunium alterum, & de Sabbatho in Sabbathum alterum,*

rum, vt veniat omnis caro ad incurvandum ſe coram me, ait Iehova. Heb.4.8,9,10.

Sabbathum quoque ceremoniale eſt, quatenus die ſtato, id eſt, ſeptimo à creatione mundi, ſtatiſq; ceremoniis fuit obſeruatum, Nom. 28.9. *Die autem ſabbathi, bini agni anniculi integri, & bina decima ſimilæ in munus miſtæ oleo, cum libamine ſuo.* 10. *Holocauſtum Sabbathi eſto Sabbatho ſuo, Præter ipſum holocauſtum iuge, cum libamine ſuo.*

Iam ergo in Euangelica eccleſia deſiit ceremonia Sabbathi. Coloſſ. 2.16. *Ne quis vos damnet ob cibum vel potum, aut reſpectu diei, aut noviluniȷ*, *aut* Sabbathorum. 17. *Quæ ſunt* vmbra *rerum futurarum, At corpus eſt Chriſti.* Et mutatum eſt ab Apoſtolis in diem octavum, Act. 20. 7. *Primo autem die hebdomadis coactis diſcipulis ad frangendum panem, Paulus diſſerebat abiturus poſtridiè, produxitque ſermonem vſque in mediam noctem.* 1.Cor. 16. 1. *Porrò de collecta in ſanctos* quemadmodum conſtitui *Eccleſiis Galatiæ, ita & vos facite.* 2. *Primo quoque die hebdomadis vnuſquiſque veſtrum apud ſe reponat, recondens, quod pro Dei benignitate licuerit.* Qui dies ob reſurrectionem Chriſti, dies dominicus dictus eſt. Apoc. 1. 10. *Fui autem ſpiritu correptus* die Domini.

Hunc diem Sabbatho deſtinatum ab Apoſtolis, poſtea tamen ab Eccleſiis neglectum, imperatores Chriſtiani ſtabilierunt, vtpote qui ſit ad memoriam creationis mundi & redemptionis electorum meditationem aptiſſimus. *Leonis & Antoniȷ Imperatorum lex de feriȷs.*

Morale

Morale Sabbathum eſt, quatenus vt dies quidam Septimus, miniſterium verbi, & ſolennem Dei cultum, præcipuè in conventibus Eccleſiarum tuetur & conſervat. Hoc ergò reſpectu nobis ab opere ceſſandum eſt perinde ac Iudæis. Iſa. 58. 13. *Si averteris à Sabbatho pedem tuum, ne facias id quo delectaris die ſancto meo, & vocaveris Sabbathum delicias ſanctum Iehovæ, honoratum, honoraveriſq́; ipſum non exercendo vias tuas, non præſtando id quo delectaris, aut loquendo verbum.*

Denique morale eſt, quatenus præſtat requiem ſeruis, & beſtiis, quæ dominis ſtrenuam præbent operam.

Pars affirmativa.

Sanctificato Sabbathum.

Hoc fit abſtinendo operibus peccati, & ordinariæ vocationis; & faciendo opera ſpiritus, quæ ſunt opera ſecundi & tertij mandati.

I. Mane ſurgere, vt fiat præparatio ad ſanctificationem inſtantis Sabbathi. Hæc præparatio fit priuatis precibus & exploratione proprij peccati. Marc. 1. 35. *Mane valdè multa nocte, quum ſurrexiſſet exijt, & abijt in deſertum locum, & illic precabatur, & erat tum Sabbathum.* verſ. 29. Exod. 32. *Proclamavit Aaron dicendo, feſtum Iehovæ cras: ſurgentes itaq́; poſtero mane, obtulerunt holocauſta.* Eccleſ. 5. 1.

II. Sacris conventibus Eccleſiæ, ſtatis horis adeſſe

eſſe, audire verbum, Sacramenta recipere, publicè cum Eccleſia invocare Deum, celebrare nomen Dei. 1.Tim.2.1,2,3. Act.20.7. 2.Regum.4. 22,23. Act.13.14. *At ipſi cùm perexiſſent Perga, venerunt Antiochiam Piſidiæ, & ingreſſi Synagogam die Sabbathi ſederunt.* verſ. 15. *Poſt lectionem autem legis & Prophetarum, miſerunt præfecti Synagogæ ad eos, dicentes, viri fratres, ſiquis eſt in vobis ſermo exhortationis ad populum, dicite.*

III. Dimiſſo cœtu eccleſiæ, reliquum ſabbathum impendere meditationi de verbo, & de creaturis Dei. Pſal.29. totus. Act.17.11. *Fuerunt autem iſti generoſiores eis Iudæis, qui erant Theſſalonicæ, vt qui receperint ſermonem cum omni alacritate, quotidie ſcrutantes Scripturas, an hæc ita ſe haberent.*

Facienda quoque opera miſericordiæ, viſitando ægrotos, juvando pauperes, lapſos monendo, reconciliando inimicos, &c. Nehem. cap.8. verſ.13. *Abierunt totus populus ad comedendum, & ad bibendum, & mittendum portiones, & ad agitandum lætitiam magnam.*

Pars negativa.

Ne polluito Dei ſabbathum.

Via otio Sabbathi grave peccatum eſt. Matt.24. 20. *Orate ne fiat fuga veſtra hyeme, neque Sabbatho.* Lament. 1. 7. *Cadente populo ſuo manu hoſtis, & nemine auxilium ferente ſibi, cùm videntes eum hoſtes irridet Sabbatha eius.* Levit.19.30. *Sabbatha mea obſervate,*

ſanctuarium

ſanctuarium meum reveremini, ego Iehova. Hic ergo prohibentur.

I. Opera vocationis. Si quid tale facias, id non lucri gratia præſtandum, ſed quia & quatenus opus eſt miſericordiæ.

II. Itinera extra caſum præſentis, & ſanctæ neceſſitatis. Exod. cap. 16. verſ. 19. *Maneto quiſque in loco ſuo, ne exeat vllus è loco ſuo die ipſo ſeptimo.* Et ex ratione mandati, paterfamilias domi adeſſe debet, vt cum tota familia Sabbathum ſanctificet.

III. Nundinæ quæ celebrantur in Sabbatho. Nehem. 13. 15. *Temporibus iiſdem videns in Iudæa calcantes torcularia ipſo Sabbatho, & afferentes manipulos, quibus onerabant aſinos, etiamq; vinum, uvas, & ficus, & quodvis onus, & adducentes die Sabbathi Ieruſalem, conteſtatus ſum. Quo die vendebat commeatum.* verſ. 16. *Tyrij quoque habitabant in ipſa vrbe afferentes piſces & omnes res venales, quas vendebant ipſo Sabbatho Iudæis & quidem Ieruſalem.* verſ. 17. *Quapropter contendi cum clariſſimis Iudæorum, & dixi eis, Quæ eſt res peſſima hæc, quam facitis*, quod profanatis *diem Sabbathi.*

IV. Labores & vectiones in ipſa aratione & meſſe. Exod. 34. 21. *Sex diebus operaberis, die autem ſeptimo ceſſato, in ipſa aratione & meſſe ceſſato.*

V. Indulgere jocis, deliciis, ludis, & rebus vllis, quibus vel impeditur animus vel abſtrahitur à debita intenſione in cultu Dei. Nam ſi opera vocationis interdicuntur, hæc multò magis prohibenda ſunt.

His

His enim æquè abſtrahitur animus à cultu ac laboribus.

VI. Externa obſervatio Sabbathi ſine pietatis interna vi. Eſa. cap. 1. verſ. 14. *Novilunia veſtra & ſtatas ferias veſtras odit anima mea, ſunt mihi laborioſæ, defeſſus ſum ferendo.* verſ. 15. *Propterea expandentibus vobis manus veſtras: occulto oculos meos à vobis; etiam cum vtimini multa oratione, non exaudio: Manus veſtræ cædibus plenæ ſunt.* 2. Tim. 3. 5. *Habentes formam pietatis, ſed qui vim eius abnegarunt: iſtos igitur averſare.*

VII. Aperta profanatio Sabbathi: Quæ fit epulando, helluando, fornicando, &c. Atq; hoc eſt diabolo Sabbathum deſtinare.

CAP. 24.

De quinto Mandato.

HActenus de prima Tabula. Secunda deinceps eſt, de amando proximum. Rom. 13. 9. *Non mœchaberis, non occides, non furberis, non falſum teſtimonium dices, non concupiſces, & ſiquid aliud eſt mandatum, in hoc ſermone comprehenditur. Nempe diliges proximum tuum ſicut teipſum.*

Proximus eſt homo quivis eiuſdem carnis nobiſcum. Eſa. 58. 7. *Cùm videris nudum, vt tegas eum,* & à carne tua *non abſcondas te.*

Modus amandi eſt, ſic amare proximum, ſicut noſmetipſos, id eſt, verè & ardentèr: quando è contrà,

trà, verus modus amandi Deum, eſt Deum amare ſine modo.

Tabula ſecunda continet ſex mandata; ex his verò primum, & in decalogi ordine quintum, eſt de conſervanda dignitate & excellentia, quæ inſita eſt in perſona proximi. Verba ſunt:

Honora patrem tuum & matrem tuam, ut prolongent dies tuos ſuper terram illam, quam Jehova Deus tuus dat tibi.

Analyſis.

Honora] Honor per Synecdochen ſignificat omne id officium, quo dignitas ea quæ eſt in perſona proximi & præcipuè ſuperioris, conſervatur.

Iſta verò dignitas ex eo eſt, quod ſinguli homines gerunt in ſe aliquid imaginis Dei, ſi ſpectemus externum ordinem & decorum, quod ſervatur in Eccleſia & Republica. In Magiſtratu imago quædam eſt potentiæ & gloriæ Dei. Dan. 2.37. *Tu ô Rex, Rex regum, cùm Deus cœli regnum, potentiam, firmitatem, & gloriam det tibi.* Hinc Magiſtratus dii dicuntur. Pſal. 81.1. In Sene imago eſt æternitatis dei. In patre paternitatis Dei. Matth. 23.9. *Patrem veſtrum neminem vocetis in terra, quia unus eſt pater veſter, qui eſt in cœlis.* In viro providentiæ Dei & authoritatis. 1.

Cor. 11. *Vir enim non debit velare caput, cum imago ſit gloria* Dei: *At mulier gloria viri eſt*. Denique in docto ſcientiæ & ſapientiæ Dei imago eſt. Iam autem ea perſona, in qua elucet vel ſcintilla imaginis Dei, honorifica ſtatim & reuerenda eſt.

Patrem] Per Synechdochen omnes ſuperiores intelligendi ſunt, parentes, conſanguinei & affines qui loco parentum ſunt, magiſtratus, miniſtri, ætate ſeniores, donis præcellentes. Nomen regum Gerar erat Abimelech. Gen. 20. Gen. 45. 8. *Deus conſtituit me* patrem *apud Pharaonem, & dominum toti familiæ eius*. 1. Cor. 4. 15. *Nam etſi decem millia pædogogorum habueritis in Chriſto, at non multos patres habetis: In Chriſto enim Ieſu, ego genui vos.* 2. Reg 5. 13. *Accedentes vero ſervi eius, alloquuti ſunt eum, ac dixerunt;* Pater mi, *ſi rem magnam iſte Propheta edixiſſet tibi, an non facturus fuiſſes?* 2. Reg. 2. 12. *Eliiah videns, ipſe clamabat: Mi pater,* mi pater, *currus Iſraelis & equites eius.*

Matrem] Hoc adiectum eſt, ne ob infirmitatem vileſcant matres, Proverb. 23. 22. *Auſculta patri tuo qui genuit te, neq; contemnas, cum ſenuerit, matrem tuam.*

Hic monemur etiam, nouercis & ſoceris debitum honorem ſic præſtandum eſſe, ac ſi eſſent proprij & nativi parentes. Ruth. 3. 1. *Poſtea dixit ei Naomi ſocrus eius: filia mea, an non quærerem requiem tibi qua bene ſit tibi?* 5. *Quæ dixit ad eam: Quicquid edixeris mihi, faciam.* Exod. 18. 17. *Dixit verò ſocer Moſis ad eum; Non eſt bona hæc res qualem tu facis*

eis. 19. *Itaq; attende voci meæ, conſulam tibi, & erit Deus tecum.* 24. *Auſcultans itaque Moſes voci ſoceri ſui, fecit quicquid dixerat.* Micæ.7.6. *Filius turpitudine afficit patrem, filia inſurgit in matrem ſuam, Nurus in ſocrum.*

Prolongent] Dicuntur parentes prolongare vitam, quia Dei inſtumenta ſunt, quibus prolongatur vita; nam actionis nomen ſæpè inſtrumento attribuitur. Luc.16.9. *Facite vobis amicos ex Mamoma iniuſto, vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* 1.Tim.4.16. *Id ſi feceris, & te ipſum ſervabis, & eos qui te audierint.*

Parentes autem filiorum vitas prolongant, præcipiendo eis vt obſervent viam Iehouæ exercendo iuſtitiam & iudicium. Gen. 18. 19. *Vbi enim pij ſunt facti, promiſſionem habent vitæ præſentis ac futuræ.* 1. Tim.4.8.

Præterea, idem præſtant ſanctis precibus in filiorum gratiam conceptis; Hinc liquidò apparet conſuetudinem illam, qua filij ſalutantes parentes ſuos, benedictionem ab eis petunt, haud inanem eſſe.

Præterea in his verbis ratio mandati eſt à fine: quæ etiam ratio, promiſſio eſt, nimirum ſpecialis. Eph.6. 2. *Honora patrem tuum, & matrem tuam, quod eſt præceptum primum cum promiſſione.* Specialem dico, quia promiſſio ſecundi mandati vniuerſalis eſt, & ad reliqua mandata pertinet.

Promittit verò Deus longam vitam non abſolutè, ſed quatenus ea eſt benedictio. Epheſ.6.3. *Vt benè ſit tibi, & ſis longævus ſuper terram.* Eſt verò tenendum,

longam vitam non ſemper eſſe benedictionem, & aliquando melius eſſe mori quàm vivere. Eſa. 57. 1. *Iuſtus perit, & nemo homo reponit in corde: homines inquam benigni recipiuntur, nemine advertente: ante adventum ipſius mane recipit iuſtum.*

Quod ſi quandoque filiis obedientibus dat vitam brevem Deus, rependit viciſſim æternam in cœlis, & ſic promiſſum non fallit, ſed in melius commutat.

Pars affirmativa.

Conſervato dignitatem proximi.

Sub hac parte jubentur.

I. Erga ſuperiores omnes, reverentia, cuius actiones ſunt; *I.* Aſſurgere prætereunti. Levit. 19. 32. *Coram canitie aſſurgito, & honorem habeto faciei ſenis: & timeto à Deo tuo, ego ſum Iehova.* *II.* Obviam ire venienti. Gen. 18. 2. *Cùm enim ſublatis oculis ſuis aſpexiſſet, ecce tres viri ſtabant ante eum: quos videns, accurrit obviam eis ex oſtio tentorij.* 1. Reg. 2. 19. *Itaq; cùm veniſſet Bath-ſchebah ad regem Salomonem, vt loqueretur ei; Aſſurgens Rex obviam ei incurvavit ſe ei.* *III.* Genu flectere. Marc. 10. 17. *Et egrediente eo in viam, quidam cum accurriſſet, & accidiſſet ei ad genua.* Gene. 18. 2. *Accurrit obviam eis, & incurvavit ſe in terram.* *III.* Adſtare ſedentibus. Gen. 18. 8. *Itaque accepto butyro & lacte, ac vitulo quem apparane-*

raverat, oppoſuit illa coram eis: qui ipſo adſtante ſibi ſub eadem arbore comederunt. Exod. 18. 13. *Fuit autem poſtero die, ſedente Moſe ad iudicandum populum, cum adſtaret populus ipſe Moſi, à mane illius diei vſque ad veſperam.* V. Dare ſedem priorem. 1. Reg. 2. 19. *Et ſedens in ſolio ſuo, opponi iuſſit ſolium matri regis; quæ ſedit ad dextram eius.* Luc. 14. 7. *Dixit autem parabolam eis qui vocati fuerant, Attendens quomodo primos accubitus eligerent, dicens eis.* 8. *Cum vocatus fueris ab aliquo ad nuptias, ne accumbito primo loco, ne fortè honoratior te ſit vocatus ab eo.* 9. *Et is qui te & illum vocavit, veniens dicat tibi: Da huic locum:* Tum *incipias cum pudore vltimum locum obtinere.* Gen. 43. 33. *Sedebat autem coram eo primogenitus ſecundum primogenita ſua, & qui minor erat ſecundum minorem ætatem ſuam, adeo vt mirabundi aſpicerent homines illi alter ad alterum.* VI. Concedere ſuperiori ſermonem primum. Iob. 32. 6. *Itaque reſpondit Elihu filius Barakielis Buzita, dicens: Minimus natu ſum, vos autem decrepiti. Idcirco veritus ſum ac timui oſtendere ſententiam meam vobis.* 7. *Dicebam, provecti ætate loquentur, & annoſi notam facient ſapientiam.* 16. *Nam expectavi cum loquerentur, quia deſiſtunt nec reſpondent amplius.* 17. *Reſpondebo ego quoq; partem meam. Oſtendam ſententiam meam, ego quoq;.* VII. In curijs & conſiſtoriis Iudicum ſilere, donec fuerit conceſſa libertas loquendi, Act. 24. 1. *Quinque autem poſt diebus deſcendit pontifex maximus Ananias cum ſenioribus & Tertullo quodam oratore, qui comparuerat coram Præſide contra Paulum.* 2. *Citato igitur eo cœpit accu-*

ſare Tertullus, dicens,&c. v.10. *Reſpondit autem Paulus:* cum innuiſſet *& Præſes vt loqueretur.* VIII. Vſurpare debitos titulos in colloquio cum eis, reuerentiam præ ſe ferentes. 1. Pet. 3. 6. *Sicut Sara obedivit Abrahæ,* dominum *eum vocans: cuius factæ eſtis filiæ dum benefacitis.* Marc.10.17. *Interrogavit eum:* Magiſter bone, *quid faciam vt vitam æternam poſſideam? Verſ.*20. *Ille verò reſpondens dixit ei:* magiſter, *hæc omnia obſervavi à iuventute mea.* 1.Sam.1.14. *Et dixit ad eum Eli: Quouſque ages ebriam? amove vinum tuum à te.* 15. *Sed reſpondens Anna dixit: Nequaquam domine mi, mulier ægro animo ſum, vinum aut potum inebriantem non bibi.*

Erga ſuperiores authoritate. Primò, obedientia mandatis illorum. Rom.1.13. *Omnis anima poteſtatibus ſupereminentibus ſubiecta eſto.*

Ad obedientiam mouendi ſumus, quia omnis poteſtas ſupereminens, eſt ordinatio Dei. Atque obedientiam, quam ei præſtamus, Deus acceptat, perinde ac ſi eſſet ipſi & Chriſto oblata. Roman. 13. 2. *Itaque quiſquis ſe opponit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit. Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi condemnationem adferent.* Coloſſ. 3.23. *Et quicquid feceritis, ex animo facite,* tanquam Domino *& non hominibus.* 24. *Scientes vos à domino recepturos mercedem hæreditatis: nam domino Chriſto ſervitis.* Obedientia præſtanda eſt cum diligentia & fide erga ſuperiores. Geneſ.24. 2. *Cum edixit Abraham ſervo ſuo ſeniori familiæ ſuæ, qui præerat in omnibus quæ erant illi: pone nunc manum tuam ſub femore meo.* 10. *Ut jurejurando obſtringam*

te per Iehovam Deum cœli, Deumq́; terræ, te non accepturum vxorem filio mea ex filiabus Cananeorum, inter quos habito. 11. *Deinde accepit ſervus ille decem camelos è camelis domini ſui, vt proficiſceretur, &c.* 12. *Dixit: Iehoua Deus domini mei Abrahami, fac quæſo vt obveniat mihi hodie, & exerce benignitatem erga Dominum meum Abrahamum.* 33. *Sed quùm apponeretur illi vt comederet, dixit:* Non comedam vſque dum locutus fuero verba mea: *ergo Laban dixit, loquere.* 56. *Dixit ad eos:* Ne remoremini me, *cum Iehova ſecundaverit viam meam: Mitte me, vt abeam ad Dominum meum.* Geneſ. 31. 38. *Hic eſt vigeſimus annus ex quo fui tecum: oves tuæ & capræ tuæ non abortiverunt, & arietes gregis tui non comedi.* 39. *Diſcerptum non retuli ad te, ego illud luebam: de manu mea repoſcebas illud; ſimiliter, furto ſublatùm interdiu, & furto ſublatum noctu.* 40. *Fui cum interdiu abſumeret me æſtas, & gelu noctu, recederetq́; ſomnus ab oculis meis.*

Præterea, obedientia præſtanda eſt duris & malis, non tamen in malo. 1. Pet. 2. 18. *Famuli, ſubditi eſtote cum omni timore dominis non ſolum bonis & æquis, ſed etiam pravis.* Act. 4. 19. *An apud Deum iuſtum ſit, vobis potius auſcultare quàm Deo, iudicate.*

Secundo, ſubiectio in ferendo impoſitas ab eis pœnas. Geneſ. 16. 6. *Dixit autem Abram ad Sarai: Ecce ancilla tua in manu tua: fac ei quod videtur bonum in oculis tuis: Afflixit ergo eam Sarai, ita vt fugeret à facie ipſius.* 9. *Tum dixit ei Angelus Iehovæ; revertere ad heram tuam, & abijce te ſub manu illius.*

Et ſi pœnæ fuerint injuſtæ, ferendæ tamen, donec remedium legitimum habeas. 1.Pet.2.19. *Hoc enim gratum eſt, ſi quis propter conſcientiam Dei ſufferi-moleſtias iniuſte afflictas.* 20. *Quæ enim laus eſt, ſi cum peccantes colaphis cædimini, toleratis; ſed ſi cum bene facitis, tamen afflicti toleratis, hoc eſt gratum apud Deum.*

Tertio, Gratitudo. *I.* Precibus. 1.Tim.2.1. *Adhortor igitur ante omnia, vt fiant deprecationes, preces, poſtulationes, gratiarum actiones, pro quibuſvis hominibus.* 2. *Pro regibus & quibuſvis in eminentia conſtitutis, vt tranquillam & quietam vitam degamus cum omni pietate & honeſtate.* *II.* Externis ſubſidiis. 1. Tim.5.17. *Qui benè præſunt Presbiteri, duplici honore digni ſunt.* Gen.45.9. *Feſtinanter aſcendite ad Patrem meum, & dicite ad eum: ita ait filius tuus Ioſeph; Conſtituit me Deus dominus toti Ægypto: deſcende ad me, ne morator.* 10. *Habitabis enim in terra Goſhenis, &c.* 11. *Et ſuſtentabo te ibi, quia adhuc quinque annos futura eſt fames: ne paupertate conſumaris tu & filius tuus, & omnia quæ ſunt tibi.*

III. Erga ſuperiores donis; officium eſt, eadem agnoſcere, & prædicare cum honore. 2. Cor.8. 22,23.

IV. Erga æquales omnes: I. Sentire de eis honorificè. Phil.2.3. *Nihil gerite per contentionem: aut per inanem gloriam: ſed ex modeſtia alius alium quiſq́; ſe præſtantiorem exiſtimet.* *II.* In dando honore præire alios aliis, non in accipiendo. Rom.12.10. *Honore alij alijs præeuntes.* Epheſ.5.21. *Subiecti alij alijs*

cum

cum timore Dei. *III.* Salutare ſe invicem alios, ſanctis ſignis, in quibus eluceat amor ob Chriſtum. 1. Pet. 5. 14. *Salutate alij alios oſculo ſancto.* Exod. 18. 7. T*um proceſſit Moſes obviam ſocero ſuo, & incurvans ſe oſculatus eſt eum,* rogaruntq; alter alterum de proſperitate. *Poſtea egreſſi ſunt in tentorium ipſius.* Ruth. 2. 4. *Ecce autem Boas veniens Bethlehemo, dixit meſſoribus:* Iehova ſit vobiſcum: *cui dixerunt: benedicant tibi Iehova.*

V. Superiorum erga inferiores ſuos omnes officia. I. Servata dignitate gerere ſe vt fratres. Deut. 17. 20. *Ne efferatur animus eius* præ fratribus ſuis, *& ne recedat ab hoc pracepto dextrorſum aut ſiniſtrorſum.* Iob. 31. 13. *Si ſprevi cauſam ſervi mei aut ancilla mea, &c.* 2. Reg. 5. 13. *Accedentes verò ſervi eius alloquuti ſunt eum, ac dixerunt; Pater mi, ſi rem magnam iſte Propheta edixiſſet tibi, an non facturus fuiſſes? quanto igitur magis, cum dicit tibi: lava te, vt ſis mundus.* 14. *Itaque deſcendens merſit ſe in Iordanem ſepties, ſecundum verbum viri Dei, & reſtituta caro eius, vt caro pueri parvi, & mundus factus eſt.* II. Prælucere inferioribus exemplo inculpatæ vitæ. Tit. 2. 2. *Senes ſobrij ſint, venerandi, temperantes, ſani fide, charitate, tollerantia.* 3. *Anus itidem, vt ſint habitu, qui ſanctimoniam deceat, non calumniatrices, non vino multo ſervientes, honeſtatis magiſtra.* 1. Pet. 5. 3. *Neque vt dominantes cleris, ſed vt qui ſitis exemplaria gregis.* Philip. 4. 9. *Qua & didiciſtis, & accepiſtis, & audiſtis, &* vidiſtis in me, *hac facite, & Deus pacis erit vobiſcum.* III. Gravitatem oſtendere cum dignitate,

tate, cum vultu, geſtu, factis, verbis. *Ibidem.* His enim cohoneſtanda eſt imago Dei, quam gerunt ante ſuos inferiores, Iob.29.8. *Videntes me pueri occultabant ſeſe: etiam decrepiti aſſurgentes ſtabant.*

VI. Erga inferiores obedientia, id eſt, erga ſuos ſubditos. Primò, regere eos in domino ne offendant. 1.Pet.2.13. *Proinde ſubiecti eſtote cuivis humanæ ordinationi propter dominum, ſiue regi vt qui ſupereminеat,* 14. *Siue præſulibus, vt qui per eum mittuntur, tum ad laudem rectè agentium.* Deuter. 17. 19. *Sit penes eum* (nimirum liber legis) *& legat in eo omnibus diebus vitæ ſuæ, vt diſcat timere Iehovam Deum ſuum, obſervare omnia verba huius legis, & ſtatuta iſta faciendo ea.* Col.4.1. *Vos domini, æquitatem & æquabilitatem ſervis exhibete, ſcientes vos quoque habere dominum in cœlis.* Secundò, proſpicere & procurare ea, quæ ſunt in bonum ſubditorum, ſiue pertineant ad corpus ſiue ad animam. Rom.13.4 *Dei enim miniſter eſt tuo bono.* Iſa.49.23. *Et erunt reges* nutricij tui, *& fœminæ principes eorum* lactantes *te.* Reg.Pſal. 132.1. *Memor eſto, Iehova, Davidis, cum tota afflictione eius.* 2. *Iuraſſe Iehovæ, voviſſe ampliſſimo Deo Iacobi, dicendo,* 3. *Diſpeream, ſi ingrediar tentorium domus meæ, ſi conſcendam ſpondam ſtratorum meorum,* 4. *Si dem ſomnum ſuum oculis meis, palbebris meis dormitationem.* 5. Donec invenero locum pro Iehova, *locum Tubernaculorum pro ampliſſimo Deo Iacobi.* Tertiò, punire lapſus, leuiores increpando, graviores caſtigando, id eſt, infligendo realem pœnam.

Sanctus eſt modus reos puniendi, ad quem iſta requiruntur. Primùm, exploratione prudenti adhibita, certum eſſe de peccato admiſſo. Secundò, offenſam peccati è verbo Dei monſtrare, vt rei conſcientia tangatur. Tertiò, pœnam differre vel omittere ſi commodum eſt, & aliqua emendationis eluceat ſpes. Eccleſ.7.23. *Etiam ad omnia verba quæ dicuntur, ne adhibeto animum tuum, cùm non debeas audire ſervum tuum maledicentem tibi.* 24. *Nam etiam multoties conſcius eſt animus tuus, te quoque maledixiſſe alijs.* 1.Sam.10.27. *At homines nequam dicebant: Quid ſeruaret nos iſte? contemnentes eum, vt ne afferrent ei quidem munus, tamen planè contienit.* Quartò, pœnam infligere debitam non ſuo ſed Dei nomine ſanctè interpoſito. Ioſh. 7.19. *Tum dixit Iehoſhuah ad Achanem; fili mi,* tribue nunc gloriam Iehovæ *Deo Iſraelis, & ede ei confeſſionem, & nunciato nunc mihi quid feceris, ne celes me.* 20. *Reſpondit itaque Achan Iehoſhuæ, dicens: verum eſt, ego peccavi Iehouæ Deo Iſraelis, & hoc & illud commiſi,* 25 *Vbi dixit Iehoſhua, Quoniam perturbaſti nos, perturbabit te Iehova hoc die: obrueruntq́; eum totus Iſrael lapidibus: & combuſſerunt eos igni, cum obruiſſet eos lapidibus.* Vltimò, quandò infligitur pœna, id vnum proponere, vt purgetur malum, & reus deflendo peccatum ex animo reſipiſcat. Prov. 20.30. *Abſterſio ſunt pro malo livores, vulnus & plagæ peruadentes penetralia ventris.*

VII. Poſtremò, munus quoddam hominis eſt erga ſeipſum. Id verò eſt, dignitatem propriæ perſonæ

ſonæ convenientem, & à Deo inſitam, modeſtè tueri & defendere. Philip.4.8. *Quod reliquum eſt, fratres, quæcunque ſunt vera, quæcunq; veneranda, quæcunque iuſta, quæcunque pura, quæcunq; amabilia, quæcunque* boni nominis, *ſi qua virtus, & ſi qua laus eſt, hæc cogitate.*

Pars negativa.

Excellentiam & dignitatem quæ eſt in perſona proximi, ne minuito.

Huc peccata referuntur.

I. Contra ſuperiores; primò, irreverentia & contemptus. Eius actiones ſunt, irriſio ſuperioris. Gen. 9.22. *Cumque aſpexiſſet Cham pater Canaani nuditatem patris ſui, indicavit duobus fratribus ſuis foràs.* 23. *Tum accipiens Sem cum Iephetho pallium eius, impoſuerunt ſuo amborum humero, & accedentes retrorſum texerunt nuditatem patris ſui: facies autem ſuas averterant retrorſum, vt nuditatem patris ſui non aſpicèrent.* Prov. 30. 17. *Oculum, qui ſubſannat patrem, aut ſpernit obedientiam matris, effodient corvi vallis, aut comedent eum iuvenes aquilæ.* Superioribus maledicere. Exod.21.17. *Item qui maledicit patri ſuo, aut matri ſuæ, omninò morte plectitor.*

Secundò, inobedientia; qua contemnuntur eorum iuſta mandata. Rom. 1. 30. *Glorioſi, inventores malorum,*

malorum, parentibus immorigeri. 2. Tim. 3. 2. Hîc peccata ſunt plurima. I. Spondere ſe coniugio ſine conſilio, vel conſenſu parentum. Gen. 6. 2. *Videns autem Eſau Iſaacum benedixiſſe Iacobo, & dimiſiſſe eum Padanem Syriæ, ad accipiendam ſibi inde vxorem; cumquè ei benediceret, ne accipias vxorem de filiabus de Canaan. 7. Iacobum verò auſcultantem patri ſuo ac matri ſuæ, abiiſſe Padanem Syriæ. 8. Videns quoque Eſau malas videri filias Canaan in oculis Iſaachi patris ſui. 9. Abivit Eſau ad* Iſ*maelitas, & accepit Mahalath filiam* Iſ*maelis filij Abrahami, Sororem Nebaioth, præter ſuperiores vxores ſuas ſibi in vxorem.* II. Servorum ὀφθαλμοδουλεία. Coloſſ. 3. 22. *Servi auſcultate per omnia eis qui domini ſunt ſecundum carnem, non obſequiis ad oculum adhibitis, vt qui hominibus placere ſtudent, ſed cum ſimplicitate cordis, timentes Deum.* Epheſ. 6. 6. III. Reſponſationes, quando reprehenduntur. Tit. 2. 9. *Servos hortare vt ſuis dominis ſubijciant ſe, vt in omnibus ſint accepti, non* reſponſatores. IIII. Fraudes, & interverſiones bonorum domini. Tit. 2. 10. *Nihil intervertentes, ſed omnem bonum finem oſtendentes, &c.* V. Fuga ſe liberare à poteſtate ſuperioris. Gene. 16. 6. *Dixit autem Abram ad Sarai: ecce ancilla tua in manu tua, fac ei quod videtur bonum in oculis tuis, afflixit ergo eam Sarai, vt aufugeret à facie ipſius.* VI. Reſiſtere ſuperiorum iuſtæ authoritati. 1. Pet. 2. 20. VII. Obedire iis in rebus illicitis. Act. 4. 19. VIII. Se offerre ſupra maiores ſuos: hoc peccatum eſt Antichriſti. 2. Theſſ. 2. 3, 4. *Ne quis vos ſeducat vllo modo: non enim*

adve-

adveniet dies Chriſti quin venerit defectio prius, & retectus fuerit homo ille ſceleratus ſeſe opponens, & efferens *aduerſus quicquid dicitur Deus aut numen.* IX. Vltimò, immunitas Papiſtarum, qua liberant filios ab authoritate parentum, & ſubditos à poteſtate principum: ita vt eis liberum ſit, eorum internecionem moliri. 1. Sam. 26. 8. *Tum dixit Abiſhai ad Davidem; dedit hodie Deus inimicum tuum in manum tuam: Quare nunc percutiam, quæſo, eum haſta, vſque in terram ictu vno, vtiq; non iterabo ei. 9. Sed dixit David ad Abiſhaium; Ne perimito eum; Quis enim immiſſa manu ſua in* vnctum Iehovæ *inſons eſſet?*

Tertiò, Ingratitudo & ἀστοργία in parentes. Mat. 15. 5. *Vos autem dicitis: Quicunq; dixerit patri aut matri, donum quodcunq; à me erit, tibi proderit, etiamſi nequaquam honoraverit patrem ſuum, aut matrem ſuam, inſons erit.* 1. Tim. 5. 4.

II. Erga æquales peccatum eſt, præponere ſe eis ſermone & ſede. Rom. 12. 10. Mat. 20. 20. *Tum venit ad eum mater filiorum Zebedei cum filiis ſuis, adorans & petens aliquid ab eo. 21. Ipſe verò dixit ei, Quid vis? ait ei, dic vt ſedeant iſti duo filij mei, vnus ad dextram tuam, & alter ad ſiniſtram in regno tuo.* 24. *Et cum hæc audiſſent alij decem indignati ſunt de duobus fratribus.*

III. Erga inferiores, primò, negligentia in eis regendis, & in eorum bono procurando. Hag. 1. 4. *An tempus eſt vobis, heus vos, deſidendi in domibus veſtris contabulatis, cum domus hæc vaſta eſt?* Dan. 3. 28. Huc refertur peccatum matrum, quæ tradunt filios nutricibus

nutricibus ablactandos; etiamſi iis ſuppetant & lac & vires. 1. Tim. 5. 10.

Secundò, indulgentia in eis caſtigandis, 1. Reg. cap. 1. verſ. 5. *Adoniah porrò filius Aggitha efferens ſe dicendo, ego regnaturus ſum, parauerat ſibi currum & equites, & quinquaginta viros præcurrentes ſibi. 6. Quem pater eius* nunquam dolore afficiebat, *dicendo: Quare ita facis?* 1. Sam. 2. 22. *Heli autem ſenex erat valde, qui audiens, quæcunq; faciebant filij ſui toti Iſraeli, & vt concumbebant cum mulieribus, quæ turmatim conveniebant ad portam tentorij conventus, 23. Dicebat eis, Quare facitis res huiuſmodi? vt ego audiam ſermones hos malos de vobis ab ipſo toto populo. 24. Nequaquam filij mei, non enim bona eſt iſta fama, quam ego audio, vos auertere populum Iehouæ, &c. 25. Non tamen auſcultarunt voci patris ſui, quia volebat Iehoua morte afficere eos.*

Tertiò, nimius rigor & minæ. Epheſ. 6. 4. *Et vos patres, ne prouocate ad iram liberos veſtros. 9. Et, vos domini eadem facite erga illos remiſſis minis.*

IIII. Vltimò, contra ſeipſum offendit homo, qui dotes à Deo conceſſas ſordidè ſe gerendo obſcurat, & penè extinguit: vel contra inflatur ſuperbia, & ſupra quàm par eſt, ſapit. Rom. cap. 12. verſ. 3. *Enimverò per gratiam quæ mihi data eſt, edico cuivis verſanti inter vos, ne ſapiat ſupra quàm oportet ſapere, ſed ſapiat ad ſobrietatem, prout cuiq; Deus partitus eſt menſuram fidei.*

CAP.

CAP. 24.

De Mandato Sexto.

MAndatum ſextum eſt de vita proximi conſervanda. Verba ſunt:

Non occides:

Analyſis.

Occides] Per Synecdochen ſignificat vllo modo violare perſonam proximi.

Aequitas mandati in eo eſt, quòd homo fuit creatus ad imaginem Dei. *Gen.*9.6. *Qui effundit ſanguinem hominis, per hominem effundetur ſanguis illius: quoniam* ad imaginem ſuam *hominem fecit Deus*. Homines quoque ſinguli eadem ſunt caro. Eſa.58.7. *Quum videris nudum, vt tegas eum, &* à carne tua *ne abſcondas te.*

Præterea tenendum eſt, nemini eſſe permiſſum occidere, nimirum privato & non vocato: publicis tamen perſonis & à Deo vocatis, licebit. Vt Moſi, Exod.2.12. *Quapropter vt reſpiciens huc illuc, vidit neminem adeſſe, cæcidit Ægyptium illum & abſcondit illum in arena.* Act.7.25. *Exiſtimabat autem fratres ſuos intelligere Deum per manum ipſius dare ſalutem illis.* Phineæ. Num.25.8. *Veniensq́ poſt illum* Iſraelitam *in lupinar ipſum, transfixit ipſos ambos, virum illum* Iſraelitam *& mulierem illam in lupinari illius: tunc*

coercita

coercita eſt plaga illa ne pergeret in filios Iſraelis. 11. *Phinees filius Eleazeris, filij Aaronis Sacerdotis, auertit excandeſcentiam meam à filijs Iſraelis cum* zelaret zelotypiam *meam inter vos*, Eliæ, 1. Reg. 18. 40. *Deinde, dixit Elias iis, prehendite Prophetas iſtos Baalis, nemo ſe proripiat ex iis: prehenderunt eos, quos diducens Elias ad torrentem Kiſonis*, ibi iugulauit eos. Militi in iuſto bello. 2. Chron. 20. 15. *Sic ait Iehoua vobis. Vos ne timetote, neq; conſternamini metu multitudinis magnæ iſtius: nam non veſtrum erit hoc* prælium ſed Dei.

Pars negativa.

Ne obeſto vel deeſto vitæ, vel tuæ, vel proximi.

Ergo peccata quæ huc referuntur ſunt, vel hominis erga proximum, vel erga ſeipſum.

Quæ ad proximum referuntur, ita ſe habent.

I. In corde, odium proximi. 1. Ioh. 3. 15. *Quiſquis odit fratrem ſuum homicida eſt.* Ita temeraria. Mat. 5. 22. *Ego dico vobis, quicunq; iraſcitur fratri ſuo temere, tenebitur iudicio.* Inuidia, Rom. 1. 29. *Pleni inuidia, cæde, contentione.* Irritatio, Iacob. 3. 14. *Quòd ſi inuidiam amaram habetis, & irritationem in corde veſtro, ne gloriamini.* Indolentia in proximi miſeriis. Amos. 6. 5. Implacabilitas, Rom. 1. 31. *Charitatis expertes, implacabiles, immiſericordes.* Deſiderium vindictæ, Pſal. 5. 6. *Perditurus es loquentes mendacium*: virum

 ſanguinum

ſanguinum *& doli abominatur Iehova.*

II. In verbis; amaritudo. Prov. 12.18. *Eſt qui pronunciat ſimilia transfoſſionibus gladij: at lingua ſapientum, medicinæ.*

Maledictum, quod eſt exprobratio peccati admiſſi, vel defectus inhærentis. Matt. 5.22. *Quicunque verò dixerit fratri ſuo, Raca; tenebitur conceſſu: quiſquis verò dixerit, fatue; tenebitur gehennæ igni.* 2. Sam. 6.16. *Fuit autem arca Iehovæ intrante in civitatem Davidis: quum Mical filia Saulis proſpectans per feneſtram videret regem Davidem contendentem, & ſaltantem coram Iehova,* vt ſperneret eum in corde ſuo. 20. *Tum revertente Davide ad benedicendum domui ſuæ; egreſſa Michal filia Saulis obviam Davidi, dixit, quàm glorioſus fuit hodie rex Iſraelis, qui retexit ſe hodie ante oculos ancillarum ſervorum ſuorum, omnino vt retigit ſe vnus quiſpiam* è vaniſſimis?

Contentio, qua inter duos pluresvè quiſque contradicendo ſuperior eſſe contendit. Iurgium inter colloquendum. Clamor, id eſt, indecora contra alium vocis elevatio. Galat. 5.19. *Porrò manifeſta ſunt opera carnis, &c.* 20. *Inimicitiæ, lis, æmulationes, iræ,* contentiones. Epheſ. 4.31. *Omnis amaritudo, & excandeſcentia, & ira, &* clamor, *& maledicentia tollatur e vobis cum omni malitia.* Gene. 16.11. *Ipſe, id eſt Iſmael, erit* ferus homo, *cuius manus feretur contra omnes, & manus omnium contra eum.*

Querelæ apud quoſcunque de iniuriis ab alio factis. Iacob. 5.7. *Ne ingemiſcite alius erga alium, fratres: vt ne condemnemini.*

III.

III. In vultu & geſtu: ſigna quævis malitiam cordis indicantia. Gen.4.6. T*um dixit Iehova Caino, quare accenſa eſt ira tua? & quare* cecidit vultus *tuus.* Matt.27.39. *Qui verò præteribant, convitiabantur ei,* moventes capita *ſua.*

Hinc irriſio perſecutio dicitur. Gene. 21. 9. *Et videns Sara filium Hagaræ Ægyptiæ, quem pepererat Abrahamo Hagar, irridentem, dixit Abrahamo, ejice ancillam, &c.* Galat. 4. 29. *Sed quemadmodum tunc is, qui ſecundum carnem genitus fuerat,* perſequebatur eum *qui natus erat ſecundum ſpiritum: ita & nunc.*

IV. In factis. I. Pugnare, cædere proximum, & corpus mutilare. Levit.24.20. *Quod ſi quis intulerit corporis vitium proximo ſuo: quemadmodum fecit, ſic fiat ei.* 21. *Fractura eſto pro fractura, oculus pro oculo, dens pro dente.*

Mortem inferre proximo, quovis modo: vt gladio, fame, veneno. Gen.4.8.

Exercere crudelitatem in pœnis infligendis. Deu. 25.2,3. *Quadragenis plagis cædendum curabit eum,* ne addito: *vide ne pergat, plaga numeroſiore his cædere eum, & frater tuus* vileſcat *in oculis tuis.* 2. Cor. 11. 24. *A Iudæis quinquies accepi quadragenas plagas vna minus.*

Duriùs tractare quamvis creaturam. Prov.12.9. *Curat iuſtus* vitam iumenti *ſui: miſerationes autem improborum ſunt miſerationes crudeles,* Deut. 22.6. *Si obviam tibi fiet nidus avium in via, in vlla arbore aut humi, nidus pullorum aut ovorum, vbi mater incubet*

pullis aut ouis: ne accipito matrem cum pullis. 7. *Dimittendo dimittes matrem, pullos verò accipies tibi, vt bene ſit tibi, & prolonges dies tuos.*

Ex oblata occaſione infirmitatis proximi, inhumaniter eum tractare, vt lætitia & joci moueantur. Leuit. 19. 14. *Ne maledicito ſurdo, & ante cæcum ne ponito offendiculum.*

Iniuriam facere impotentibus & imbecillis, pauperibus, peregrinis, pupillis, viduis. Exod. 22. 21. *Item peregrino vim ne facito, ne opprimito eum: nam peregrini fuiſtis in terra Ægypti.* 22. *Nullam viduam aut orphanum affligitote.* 23. *Si qua afflictione affixeris eam, & ſi tantillum clamet ad me, vtiq; exauditurus ſum clamorem eius:* 24. *Tum accenſa ira mea occîdam vos gladio.* Iniuria verò his fit, ſi non tribuitur merces operanti. Deut. 24. 14. *Ne fraudem facito mercenario, pauperi & egeno e fratribus tuis, aut è peregrinis apud te, qui eſt in terra tua intra portas tuas.* 15. *Die ſuo, dato mercedem eius, neq; occumbito ſuper eam Sol: nam pauper eſt, quare ad eam ipſe attollit animum ſuum: vt non inuocet contra te Iehovam, & ſit in te peccatum.* Si non reſtituitur pignus egentibus, Exod. 22. 26. *Si pignore vllo acceperis veſtem proximi tui, dum inclinat Sol, reſtituito eam ei: nam id ſolum* operimentum eius eſt: *illud eſt veſtimentum eius ad cutem eius tegendam, in quo cubaret.* Si frumentum à populo clauſum cuſtodiatur.. Prou. 11. 26. *Comprimentem triticum execrabitur natio: benedictio autem capiti vanum dantis.*

Præterea peccatur in hanc legem non ſolum in-

iuſtè

iuſtè occidendo, ſed etiam cum jus exigit, non occidendo, & pœnam homicidio debitam remittendo. Num. 35.16. *Sed ſi inſtrumento ferreo percuſſerit, ita vt mortuus ſit, occiſor eſt; omninò morti traditor occiſor ille, &c.* 33. *Vt* non contaminetis terram *illam in qua eritis, quia ſanguis iſte contaminaturus eſſet hanc terram: pro ea autem terra non poſſet fieri expiatio à ſanguine, qui effuſus eſſet in ea,* niſi per ſanguinem *effundentis eum.*

Duellum quoque, quod eſt duorum pugna, litium finiendarum gratia, penitus improbandum eſt. Quia non eſt iuſta, & à Deo conceſſa litis finiendæ ratio: & quia ſæpè in duello is aduerſarium ſuperat, qui reuera coram Deo reus eſt.

Huius denique loci eſt ſcelus illud papiſtarum, qui homicidis ad templa ſua & loca ſacra, quæ dicuntur, confugientibus, refugium præbent. Nam expreſſè iubet dominus homicidam è ſuo altari detrahi & ad ſupplicium rapi. Exod. 21.14. *Et Ioabus in ipſo templo tangens cornua altaris cæſus eſt.* 1. Reg. 2.34.

Huc etiam ea pertinent, quæ ad animum proximi referuntur. 1. Scandalum præbere proximo, vel exemplo, vel doctrina. Matth. 18.7. *Væ mundo ab offendiculis: neceſſe eſt enim vt eueniant offendicula: veruntamen væ homini illi per quem offendiculum euenit.*

2. Excitare occaſiones odij & diſcordiæ; quod fit non remittendo aliquid de iure noſtro; perverſè & obſtinatè reſpondendo; dicta quævis & facta acci-

piendo in deteriorem partem. 1. Sam. 25. *Ipſe autem*, id eſt, Nabal, *nequior eſt quàm vt alloquar eum.* 2.Sam.10.3. *Dicentibus autem principibus Hammonitarum, Hanuni domino ſuo, Davidne honore afficere patrem tuum in oculis tuis videtur, quia miſit tibi conſolatores?* annon vt perſcrutetur *hanc civitatem & ad explorandum eam, denique ad evertendum eam miſit David ſervos ſuos ad te?* 4. *Accipiens Hanun ſervos Davidis abraſit dimidium barbæ eorum & præcîdit veſtes eorum per medium, vſque ad nates eorum; ſic remiſit eos.*

III. Miniſtrorum peccatum eſt, non docere verbum Dei ad ſalutem populi. Prov.29.18. *Quùm non eſt viſio* nudatur *populus.* Iſa.56.10. *Speculatores iſtius cæci, quotquot ſunt non agnoſcunt, quotquot ſunt,* canes ſunt muti, *non poſſunt latrare: tempori ſerviunt, iacent, amant dormitionem.* 11. *Et iſti canes auidiſſimi non norunt ſaturitatem; propterea ipſi paſcunt ſe, neſciunt docere.* Negligentia quoque in miniſterio verbi damnanda eſt. Ierem.40.10. Apoc.3.15, 16. Hic arguenda eſt Non reſidentia, quæ eſt ordinaria Miniſtri abſentia à grege, id eſt, à particulari Eccleſia ſibi commiſſa. Eſa.62.6. *Super muros tuos vrbs Hieroſalimorum præficio cuſtodes tota die & tota nocte iugiter non tacituros; qui commemoratis Iehovam ne eſto ſilentium vobis.* 7. *Et ne permittatis ſilentium de illo donec ſtabiliat, donec diſponat Hieruſalimis laudem in terra.* Act. 20. 28. *Attendite igitur vos ipſos & totum gregem in quo vos Spiritus Sanctus conſtituit Epiſcopos ad paſcendam Eccleſiam Dei,*

Dei, quam proprio illo ſuo ſanguine acquiſivit. 1. Pet. 5. 3. *Neque vt dominantes Cleris, ſed vt qui ſitis exemplaria gregis.* Ezech. 34. 4. *Morbo affectas non confirmatis, ægrotamq́ non curatis, & confractam non obligatis, ac depulſam non reducitis, pereuntemq́ non requiritis: ſed vt dominamini in eas cum ſævitia.* Antioch. Concil. cap. 17. *Si quis Epiſcopus per manus impoſitionem epiſcopatum acceperit ac præeſſe populo conſtitutus, miniſterium ſubire neglexerit, nec acquieverit ire ad Eccleſiam ſibi commiſſam, hunc oportet communione privari, donec ſuſceperit coactus officium, aut certè de eo aliquid decreverit integra eiuſdem provinciæ Synodus Sacerdotum.* Concil. Sard. cap. 14. *Memini autem ſuperiore concilio fratres noſtros conſtituiſſe, vt ſi quis laicus in ea, in qua commoratur civitate, tres Dominicos dies, id eſt, per tres ſeptimanas non celebraſſet conventum, communione privaretur. Si ergò hæc citra Laicos conſtituta ſunt, multò magis Epiſcopo nec licet nec decet, ſi nulla ſit tam gravis neceſſitas, quæ detineat, vt amplius ſupraſcripto tempore abſens ſit ab eccleſia ſua. Vniverſi dixerunt placere ſibi.* Concil. Conſtantinopol. 8. cap. 24. *Decrevit non debere miniſtros ſubſtituere ſibi alios, ſed per ſeipſos omnia, quæ ad cultum Dei pertinent, cum timore & alacritate adminiſtrare.* Eadem eſt ſententia iuris Canonici. Can. Si quis vult. diſt. 36. *Debent indeſinenter eſſe in tabernaculo domini epiſcopi, vt à Deo aliquid diſcant, aut ipſi populum doceant, legendo Scripturas divinas & ſæpius meditando.* Can. Pontifices & Can. Si quis in Clero. 7. 9. 1. *Epiſcopos qui Dominici gregis ſuſcipiunt*

curam & ſollicitudinem ab adminiſtratione diſcedere non oportet, vt accepti talenti pulchritudo non deleatur, ſed certamine eorum ſalubriter augeatur & triplicetur fructus. Et Canonibus illis qui Apoſtolis tribuuntur. Can.80. *Iubetur, vt quicunque Epiſcopus aut Presbyter munus in Eccleſia non fecerit, ab eo ſummoueatur.* Concil. Chalced.cap.10. *Non liceat Clericum in Eccleſiis duarum ciuitatum ordinari, ſed in ea in qua ab initio ordinatus eſt, & cuius expetitio erat ante perfugium; etſi propter vana gloria deſiderium contigerit, vt poſt ad maiorem Eccleſiam confugerit, eum indubitanter reuocari decet ad ſuam Eccleſiam, in qua ab exordio ordinatus eſt, & ibi tantummodò miniſtrare. Si quis verò iam tranſlatus eſt ab vna Eccleſia in aliam, nil habeat commune cum priori &c.* Vide hac de re decreta Damaſi, & Concil.Trident. Seſſ.7.can.8.

Sunt tamen caſus quidam legitimæ abſentiæ, modo eccleſia detrimentum non patiatur.

I. *S*i morbus intervenit. Concil.Mogunt. can.25. *De officio prædicationis, ſi fortè Epiſcopus non fuerit in domo ſua, aut infirmus eſt, aut aliqua exigente non valuerit, nunquam tum deſit Dominicis diebus & feſtivitatibus, qui verbum Dei prædicet*. Et Auguſtinum hac de cauſa ad tempus abfuiſſe ipſe de ſe teſtatur epiſt.138.

II. Si conſenſum præbet eccleſia ad certum tempus, ob neceſſarium eius & publicum bonum, Col.1.7. cum 4.12. Ambroſius etſi erat Mediolani Epiſcopus, tamen legationis munus bis in Gallia obiit, pacis inter Maximum & Valentinianum conciliandæ

ciliandæ cauſa. Ambroſ. lib. 5. epiſt. 27. ad Valentin. Imp.

III. Si in perſecutione, nulla amplius relicta gregis conſeruandi ſpe, fugere cogatur: hac de cauſa diu à Carthagine Cyprianum abfuiſſe, ipſe in epiſtolis teſtatur.

Hucuſque de peccatis in proximum: ſequuntur peccata hominis in ſeipſum: ea verò ſunt, quum quis ſeipſum læſerit, aut ſciens in crucem aut periculum aliquod ſe conjecerit. Mat. 16. 24. *Si quis vult poſt me venire abneget ſeipſum, &* tollat crucem ſuam *ac ſequatur me.* Mat. 4. 6. *Dicit ei, ſi filius es Dei, iace te ipſum deorſum: nam ſcriptum eſt, quia angelis ſuis mandabit de te, & ipſi tollent te in manus, ne quando offendas ad lapidem pedem tuum.* 7. *Dixit ei Ieſus, rurſum ſcriptum eſt,* non tentabis *dominum Deum tuum.* Ergo homini ſeipſum occidere, ad malum vel turpiſſimum vitandum, non licet.

Pars affirmativa.

Conſervato vitam proximi.

Huc referuntur officia, I. quæ pertinent ad perſonam proximi, & reſpiciunt eius

Bona, ſive animi, ſive corporis. Gaudere cum gaudentibus. Rom. 12. 15. Mar. 10. 20. *Ille verò reſpondens dixit eis, Magiſter, hæc omnia obſervavi à iuventute mea.* 21. *Ieſus autem eum intuitus,* dilexit *eum.*

Miſerias: ob eas condolere. Rom. 12. 15. *Fle-*

to

te cum flentibus. Eſa.24.16. *Iam autem dico* macies eſt mihi, *macies eſt mihi, hei mihi: perfidi perfidè agunt; & perfidia quidem perfidiſſima perfidiſſimè agunt.* Pſal. 119.136. *Rivi aquarum deſcendunt ex oculis meis, propter eos qui non obſervant legem tuam.* Ferre opem. Iob.29.15. *Vt oculi eram cæco, & velut pedes claudo eram.* Quantam poſſis. 2.Cor.8.3. *Nam pro viribus teſtor,* & ſupra vires *voluntarij fuerunt.* Statim ſine mora. Prov.3.28. *Ne dicito proximo tuo, abi, deinde revertere,* cras *enim daturus ſum, quum fuerit penes te.* Levit.19.17. *Liberè corripito proximum tuum,* ne ferto *in eo vllum peccatum.*

Iniurias ab eo illatas. Ob levem iniuriam non iraſci. Num.12.3. *Vir autem ipſe Moſes manſuetus erat valde præ omnibus hominibus, qui erant in ſuperficie terræ.* Prov.19.11. *Intellectus hominis prolongat iram eius: & ornamento eſt ei præterire defectionem.* Tardum eſſe ad iram: quod eſt iraſci tantùm ob iuſtiſſimam cauſam. Marc.3.5. *Et cùm circumſpexiſſet eos cum ira, condoleſcens quòd occalluiſſet cor eorum, dicit homini, extende manum tuam.* Prov.14.29. *Tardus ad iram abundat intelligentia: brevis ſpiritu attollit ſtultitiam.* Iraſci abſque mora. Epheſ.4.26. *Iraſcimini & ne peccate: ſol ne occidat ſuper iracundiam veſtram.* Gratuitò condonare injuriam abſque vindicta. Eph.4.32. *Sed eſtote alij in alios benigni, miſericordes, condonantes vobis mutuò offenſas, ſicut & Deus in Chriſto condonavit vobis.*

Defectus & infirmitates. I. Vitare cauſas & occaſiones quibus excitantur. Gen.13.8. *Dixit Abram*

Loto, ne quaſo ſit contentio inter me & te, aut inter paſtores meos & paſtores tuos: nam viri fratres *ſumus.* 9. *Nonne univerſa terra hæc eſt coram te? Separa quaſo à me: quòd ſi ſiniſtram verſus diſceſſeris, dextram petam, ſin autem dextram,* ſiniſtram petam. Gene. 27. 44. *Ecce Eſau frater tuus, ſe mox conſolaturus eſſet de te, occidendo te.* 45. *Nunc itaque fili mi, auſculta voci meæ; & ſurgens, fuga te eripe ad Labanem fratrem meum Charanem.* 46. *Vt habites cum eo dies pauciſſimos, vſque dum avertatur excandeſcentia fratris tui.* Cedere de jure. Mat. 17. 26. *Quid tibi videtur Simon? Reges terræ à quibus accipiunt tributa & cenſum? à filijs ſuis an ab alienis? Dicit ei Petrus, ab alienis. Ait ei Ieſus, nempe igitur liberi ſunt filij.* 27. *Sed* ne offendamus *eos, profectus ad mare, mitte hamum, & eum piſcem qui aſcenderit primus, tolle: & aperto ore eius, invenies ſtatêrem: acceptum illum da eis pro me & pro te.* *II.* Excitatos lenire, vincendo bonitate malitiam. Rom. 12. 21. *Ne vincitor ab eo quod malum eſt, ſed vince bonitate malitiam.* *III.* Sectando pacem. 1. Pet. 3. 11. *Declinet à malo & faciat bonum: quærat pacem & perſequatur illam.* *IIII.* Iram ſedando molli reſponſione. Prov. 15. 1. *Reſponſio mollis avertit excandeſcentiam, verbum autem moleſtum excitat iram.* 1. Sam. 1. 14. *Eiq; dixit Eli, quouſque ages ebriam? amove vinum tuum à te.* 15. *Sed reſpondens Anna, dixit, nequaquam domine mi, mulier ægra animo ſum, & vinum aut potum inebriantem non bibi, ſed effundo animum meum*

coram

coram Iehova. Philemon. 15. *Nam ſeceſſit ad tempus, vt perpetuum eum reciperes.* V. Prætereundo infirmitates & defectus in dictis & factis. Prover. 19. 11. *Et ornamento eſt ei præterire defectionem.* VI. Tegendo per ſilentium. 1. Pet. 4. 8. *Ante omnia verò charitatem alij in alios propenſam habentes: nam charitas operiet multitudinem peccatorum.* Prouerb. 17. 9. *Qui tegit defectionem, quærit dilectionem: qui verò renovat rem, disiungit ducem.* VII. Denique accipiendo quidlibet, ſi fieri poſſit, in meliorem partem. 1. Cor. 13. 5. *Amor non cogitat malum.*

Hic ergò probandum eſt fœdus pacis, quod eſt pactum de pace & aliis omnibus officiis pacis, vt de vitandis vtrinque iniuriis, de tuendis finibus, de ſecuritate contractuum, poſſeſſionum, itinerum, de certis penſionibus, paſcuis, venationibus, piſcationibus, lignationibus, & rebus communi vitæ hominum neceſſariis, ſine vlla conditione illicita. Hoc fœdus inire licet, non modò cum fidelibus, ſed etiam concordiæ cauſa cum eis qui ſunt infideles. Nam pium factu, pium eſt etiam promiſſu. Pium eſt autem pacem colere inter omnes, quantum fieri poteſt. Idem ſanctorum exemplis confirmatur. Gen. 21. 22. *Euenit autem illo tempore, vt alloqueretur Abimelech & Picol princeps militiæ eius, Abrahamum, dicendo: Deus tecum eſt in omnibus quæ facis,* 23. *Nunc itaq; iura mihi per Deum hîc; Si mentitus fueris mihi & filio meo, aut nepoti meo; fore ut benignitatem parem huic, quam exercui erga te, exerceas erga me, & erga regionem hanc in qua peregrinaris.* 24. *Cui dixit Abraham,*

ego

ego iurabo. 27. *Et accipiens Abraham greges & armenta dedit Abimeleco; pepigeruntq́ ambo ipſi fœdus.* Gen. 31. 44. *Nunc itaq́ age, pangamus fœdus ego & tu, quod ſit teſtimonium in me & te.* 45. *Accepit ergò Iacob lapides, vt erigeret ex eis ſtatuam, &c.* 51. *Præterea dixit Laban Iacobo, ecce cumulum hunc, & ecce ſtatuam iſtam quam ieci inter te & me, &c.* 53. *Deus Abrahami, & dij Nachoris iudicent inter nos, dij patris eorum. Sed iuravit Iacob per pauorem patris ſui Iſaachi.*

II. Corpus proximi: viuum alere & veſtire. Mat. 25. 41. M*aledicti abite à me in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis eius.* 42. Eſuriui *enim, &* non dediſtis *mihi quo veſcerer; ſitivi, & non dediſtis mihi potum.* 43. *Hoſpes eram, & non collegiſtis me: Nudus, & non amiciuiſtis me: Ægrotus & in carcere eram, & non inviſiſtis me.* 44. *Tum ipſi quoque reſpondebunt ei dicentes, Domine, quando te vidimus eſurientem, &c.* 45. *Tum reſpondebit eis, dicens: Amen, dico vobis, quatenus id non feciſtis vni ex iſtis minimis, nec mihi feciſtis.* In periculis opem ferre. 1. Ioh. 3. 16. *Per hoc cognovimus charitatem, quòd ille animam ſuam pro nobis poſuit. Nos igitur debemus pro fratribus noſtris animas ponere.* Mortuum honeſtè ſepelire. Nam honorandum eſt, cadauer hominis ſepelire. Cauſæ ſunt. *I.* *I*nſtinctus naturæ. *II.* Patrum & ſanctorum exempla. Act. 8. 2. *Extulerunt autem vnà Stephanum viri religioſi, feceruntq́ planctum magnum ſuper eum.* *III.* Approbatio Dei, qui ſepulturam inter ſua beneficia numerat. Nam ſepultura ca-

rere pœna eſt. Ierem. 22.18. *Idcirco ſic ait Iehova de Iehoiakimo filio Ioſiæ regis Iudææ; Non plangent eum, heu frater mi, aut heu ſoror: Non plangent eum, heu domine, aut heu decus eius.* 19. Sepultura aſini *ſepelietur, tractus & proiectus vltra portas Ieruſchalaimorum.* Ideoque Deus ipſe Moſen ſepelivit. Deut. 34. 5. *Mortuus itaq; eſt ibi Moſes ſervus Iehovæ, in terra Moabitarum ſecundum verbum Iehovæ. 6. Qui ſepelivit eum in eadem valle, in terra Moabitarum è regione Beth-pehoris.* IIII. Nullius cadaveris fæditas major eſt quàm humani. hoc arguit fædos nos eſſe in conſpectu Dei ob peccatum. V Corpus reſuſcitandum eſt, vt ſit domicilium animæ in æternum. VI. Fidelium corpora ſunt templa ſpiritus ſancti, ideoq; reſurgent ad gloriam. VII. Poſtremò, teſtimonium eſt dilectionis & honoris erga defunctos.

Modus ſepulturæ debet eſſe honeſtus, id eſt, naturæ & decoro perſonarum conveniens, tum viventium, tum mortuorum. Luctus ergo viventium debet eſſe moderatus, id eſt, eiuſmodi qui exprimat & deſiderium & amorem erga defunctum. Ioh. 11.34. *Et dixit, vbi poſuiſtis eum? dicunt ei, Domine, veni & vide.* 35. Lacrymatus *eſt Ieſus.* 36. *Dixerunt ergò Iudæi, ecce quomodo* amabat *eum.* Abeſſe debet ſuperſtitio, quaſi ritibus funerum juventur mortui; vt eſt in papatu, vbi ſepeliuntur in templis ſub altaribus in habitu monaſtico. Præterea abeſſe debet luxus & pompa immodica. Nam ſtulta eſt oſtentatio ſuperbiæ in deformitate cadaveris. Iſa. 22.15. *Ita ait Dominus Iehova exercituum. Age, accede ad ærariũ iſtum*

Shebnam,

Shebnam, qui præeſt domui. 16. *Quid tibi hic, & quis tibi hic eſt? quod excidiſti tibi hic ſepulchrum: vt ſedens in edito ſepulchrum ſuum, aut ſtatuens in Petra habitaculum ſibi.*

Appendix mandati. Ante vindemiam & meſſem permittere cuiquam, vt ſpicas & uvas in agro colligat, ad famem ſedandam. Deut. 23. 24. *Si ingrediaris vineam proximi tui, comedes quidem uvas pro deſiderio tuo ad ſaturitatẽ tuam. At inſtrumento tuo ne imponito.* 25. *Si ingrediaris ſegetem proximi tui, decerpes quidem ſpicas manu tua, & falcem ne agitato in ſegetem proximi tui.* Mat. 12. 1. *In illo tempore ibat Ieſus Sabbatho per ſata: diſcipuli vero ipſius eſuriebant, cœperuntq́; vellere ſpicas & edere.* 2. *Phariſæi autem cum eos vidiſſent, dixerunt ei: ecce diſcipuli tui faciunt quod non licet facere in Sabbatho.* In vindemia & meſſe, ſpicilegio, & racematione abſtinere in pauperum gratiam. Levit. 23. 22. *Cum autem metetis meſſem terræ veſtræ, ne prorſus demetito latus agri tui, & ſpicilegium meſſis tuæ ne facito: ipſi pauperi & peregrino relinquito iſta; ego Iehova Deus veſter.* Ruth. 2. 8. *Tum dixit Boaz Ruthæ. Nonne audis filia mea, ne abito ad legendum in agrum alterum, neque etiam decedito hinc, ſed hic hæreto cum puellis meis.* 9. *Oculi tui intenti ſunto in agrum illum quem metent, vt ſequaris eas: An non præcepi pueris iſtis ne attingant te? Cum autem ſities, ito ad iſta vaſa, & bibito ex eo, quod pueri iſti hauſerint.* 15. *Deinde ſurrexit ad legendũ ſpicas. Præcepit autẽ Boaz pueris ſuis, dicendo: Etiam inter manipulos legentem ipſam ne pudefacite.* 16. *Atq́; etiam* de induſtria omittite ei ex faſciculis *manualib. ſiniteq́; eos vt legat, nec increpate eã.*

III. Animam proximi. I. Captare omnes occaſiones, vt lucrifacias proximum ad Chriſtianam religionem. 1. Cor. 10. 33. *Ego per omnia omnibus placeo, non quærens mei ipſius vtilitatem, ſed multorum, vt ſerventur.* Heb. 10. 24. *Et obſervemus alij alios, vt nos acuamus ad charitatem bona opera.* II. Vitam agere ſine ſcandalo. 1. Cor. 18. 32. *Eſtote ſine offendiculo & Iudæis & Græcis, & Eccleſiæ Dei.* 1. Cor. 8. 13. *Quapropter ſi eſca facit vt offendat frater meus, non veſcar carnibus in æternum, ne faciam, vt frater meus offendat.* III. Prætereà aliis prælucere exemplo ſanctitatis. Act. 24. 14. *Hoc verò tibi confiteor, me ſecundum viam illam quam Sectam dicunt, ita ſervire patrio deo, vt qui credam omnibus quæ in lege & Prophetis ſcripta ſunt,* 15 *Et ſpem habeam in Deum, fore, quam etiam ij ipſi expectant, reſurrectionem mortuorum, tum iuſtorum.* 16. *In hoc igitur ipſe me exerceo, vt conſcientiam habeam ſine offendiculo, apud Deum, & apud homines ſemper.* IV. Admonere lapſum. 1. Theſſ. 5. 14. *Precamur autem vos fratres, monete inordinatos, conſolamini qui puſillo animo ſunt, ſubleuate infirmos, patientes eſtote erga omnes.* V. Exhortari currentem. Heb. 3. 12.

IIII. Huc etiam ea referuntur, quæ ad vitam cuiuſq; propriam conſeruandam pertinent. Primò, Recreatio, quæ eſt exercitatio coniuncta cum timore Dei, in re media ad corporis robur, & animi ſanctitatem confirmandam. Eccl. 2. 3. *De riſu dico, inſanus eſt, & de lætitia, ecquid iſta facit?* Iſa. 5. 12. *In quorũ conviviis eſt cithara & nablium, Tympanum, tibiaq;*

ac vinum: opus autem Iehovæ non intuentur, *& factum manuum eius non conſiderant.* 1. Cor. 10. 7. *Ne igitur idololatræ eſtote ſicut quidam eorum, vt ſcriptum eſt, ſedit populus ad edendum, ac bibendum, & ſurrexerunt ad ludendum.* Luc. 6. 25. *Væ vobis qui ridetis nunc; nam lugebitis & flebitis.* Deut. 12. 7. *Vt comedatis ibi coram Iehova Deo veſtro, & lætemini vos & familiæ veſtræ ex omni re, ad quam admoveritis manum, qua benedixit tibi Iehova Deus tuus.* Hinc ſacra Scriptura permiſit vſum arcus. 2. Sam. 1. 17. *Lamentatus autem eſt David lamentatione hac de Saule & Ionathane filio eius.* 18. *Quam protulit ad docendum filios Iudæ tractare arcum: ecce ſcriptum eſt in lybro recti.* Muſicam ſymphoniacam. Nehem. 7. 67. *Præter ſervos eorum & ancillas eorum iſtas, ſepties mille trecentos triginta ſeptem: quibuſcum erant cantores & cantatrices ducenti quadraginta quinq;.* Narrationem Aenigmatum. Iudic. 14. 13. *Et dixit eis Schimſon, Proponam vobis nunc ænigma, quod ſi plane explicaveritis mihi, intra ſeptem dies huius convivij, & inveneritis, vtique dabo vobis triginta ſyndones, & triginta mutandas veſtes.* 14. *Sed ſi non poteritis explicare mihi &c.* 15. *Tum dixit eis, Ab edente prodijt edulium, & ab acri prodijt dulce. Qui non potuerunt explicare ænigma illud primis diebus.* Venationem ferarum. Cant. 2. 17. *Prehendite vobis vulpes, vulpeculas corrumpentes vineas, dum vineæ noſtræ efferunt uvam primam.* Denique inveſtigationem & contemplationem operum Dei. 1. Reg. 4. 33. *Eloquutus etiam eſt de plantis à Cedro quæ eſt in Libano, vſque ad hyſſopum quæ prodit è pariete: denique*

elocutus eſt de iumentis, & de volucribus, & de reptilibus.

Secundò, medicina; cuius ſanctus vſus eſt, ſi petita prius remiſſione peccatorum, fiduciaque in Dei opem tantùm, non in remedium poſita, recipiatur. Matth. 9. 2. *Et ecce obtulerunt ei paralyticum in lecto proiectum: cùmque vidiſſet Ieſus fidem eorum, dixit Paralytico: Confide fili*, remiſſa ſunt tibi peccata tua. Ioh. 5. 5. *Erat autem quidam illic, triceſimum octavum annum agens in morbo, dicit ei; Cupis ſanus fieri? 7. Reſpondet ei ægrotus ille, Domine, nullum habeo qui cùm turbata fuerit aqua, mittat me in piſcinam, ſed interim dum ego venio, alius ante me deſcendit.* 8. *Dicit ei Ieſus; Surge, tolle grabbatum tuum & ambula.* 14. *Poſtea invenit eum Ieſus in templo, & dixit ei, Ecce ſanus factus es*, ne pecca amplius, *vt ne quid deterius tibi contingat.* 2. Chron. 16. 12. *Ægrotabat autem Aſa anno trigeſimo nono regni ſui ex pedibus ſuis, vſque eò, vt morbus eius ſummè invaleſceret, tamen ne morbo quidem ſuo requiſivit Iehovam*, ſed hæſit medicis.

Tertiò, iniuriæ propulſatio, quæ fit à privatis, ſi fiat in continenti, & cum modo inculpatæ tutelæ, licita eſt, nec tam privata vindicta eſt, quàm iuſta defenſio. Inculpata verò tutela eſt, cùm ſic in hoſtem impetum faciat quis, non vlciſcendi vel lædendi animo, ſed ita vt ſolum ſui conſervandi & ab iniuria tuendi voluntatem, & intentionem habeat.

Ἀπορία. An liceat fugere in peſte? Λύσις. Vocatione

one impediti non poſſunt, vt Magiſtratus & Paſtores. Liberi poſſunt. Ratio. I. Licet tueri ſalutem propriam, ſi fiat ſine alterius detrimento. II. Licet fugere bellum, famem, diluvia, incendiá, pericula: ergo & peſtem. III. Periculum comminuitur multitudine comminuta. *Obiect.* I. Fuga arguit diffidentiam. *Reſp.* Diffidentia non eſt facti, ſed hominis vitium. II. Scandalum eſt. *Reſp.* acceptum non datum. III. Deſertio eſt pugnans cum dilectione. *Reſp.* Non: Si adſint amici & magiſtratus. IIII. Aegri viſitandi ex Dei inſtituto. *Reſp.* Excipiebantur leproſi apud Iudæos: & nunc etiam ij qui morbum lepræ parem habent, id eſt, periculoſè contagioſum.

CAP. 24.

De Mandato Septimo.

MAndatum ſeptimum eſt, de caſtitate & noſtri & proximi conſervanda. Verba ſunt:

Ne ſcortator.

Analyſis.

Scortator] Scortari ſignificat quidlibet agere, quovis modo, quo caſtitas vel noſtra, vel etiam proximi polluitur. Matth. 5. 28.

Pars negativa.

Ne obeſto vel deeſto caſtitati proximi.

Hic prohibentur.

I. Cordis libido, ſiue carnis concupiſcentia mala. Mat.5.28. *Ego verò dico vobis, Quicunque* aſpicit *mulierem*, vt eam concupiſcat, *iam adulteravit eam in corde ſuo.* Coloſſ.3.5. *Mortificate igitur membra veſtra terreſtria, ſcortationem, impuritatem, mollitiem,* cupiditatem malam.

II. Vſtio carnis; quæ eſt internus æſtus libidinis, pietatem cordis vel impediens, vel obruens, & ignis more conſumens. 1.Cor.7.9. *Quod ſi ſe non continet, matrimonium contrahat: nam melius eſt matrimonium contrahere, quàm* vri.

III. Alienæ voluptates circa generationem quas Deus in verbo prohibuit. Hæ variæ ſunt.

Primò, cum beſtiis. Leuit.18.23. *Item cum vlla beſtia ne committito vt concumbas, polluendo te cum ea. Mulier quoque ne conſiſtito coram beſtia, vt incubet ſibi, confuſio eſt.*

Secundò, cum diabolo. Sic enim eſt confeſſio maleficarum; & ſpiritus æquè poteſt miſcere ſe cum lamia, atque panem edere.

Tertiò, cum alieno ſexu. Levit.18.22. *Cum mare ne concumbito concubitu muliebri. Abominatio eſt.* Hoc peccatum eſt hominis acti in ſenſum reprobum.

bum. Rom. 1. 26. *Propterea tradidit eos Deus fœdis affectibus. Nam & fœminæ illorum mutarunt naturalem vſum in eum, qui eſt præter naturam.* 27. *Similiterq́; etiam maſculi relicto naturali vſu fœminæ, exarſerunt ſua libidine alius in alium. Maſculi in maſculos fœda perpetrantes: & compenſationem quam oportuit erroris ſui in ſeſe recipientes.* Et fuit peccatum Sodomæ. Gen. 19. inde appellatur Sodomia.

Quartò, inter conſanguineos & affines lege Dei prohibitos. Levit. 18. 6. *Nemo homo ad vllum propinquum carnis ſuæ accedito.*

Quintò, inter ſolutos. Peccatum appellatur fornicatio. Deut. 22. 28. *Si inveniat quis puellam virginem, quæ non eſt deſponſata, & prehendens eam concubuerit cum ea, & manifeſti fiant.* 29. *Tum dabit vir ille, qui concubuit cum ea, patri puellæ quinquaginta ciclos argenteos; & eſto illi in vxorem, quòd compreſſit eam: nec poteſt dimittere eam omnibus diebus ſuis.* 1. Cor. 10. 8. *Neque ſcortemur ſicut quidam eorum ſcortati ſunt, &* ceciderunt *vno die viginti tria millia.*

Sextò, inter eos, quorum alter eſt coniugatus vel ſaltem deſponſatus. Peccatum appellatur adulterium. Id apparet, quia Deus eandem pœnam conſtituit deſponſatis ſcortantibus, atque coniugatis. Deut. 22. 32. *Si quis deprehendatur cubans cum muliere maritata marito, omninò morientur pariter ambo: vir qui cubavit cum muliere, & mulier ipſa: ſic ſuſtuleris malum à medio tui.* 23. *Si* puella virgo deſpon-

ſata eſt viro, *quam inveniens quis in civitate concubuerit cum ea.* 24. *Omninò productis eis ambobus ad portam ipſam civitatis, obruetis eos lapidibus, ita vt moriantur, &c.* Inſigne quidem peccatum eſt. Nam pœna eſt idololatriæ. Rom. 1. 13. *Mutarunt enim gloriam incorruptibilis Dei in efformatam imaginem mortalis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & reptilium.* 24. Quamobrem etiam tradidit eos Deus cupiditatibus *cordium ipſorum ad impuritatem, vt fœdarent corpora ſua inter ſe.* Furto quoque maius eſt. Prov. 6. 30. *Non afficitur contemptu fur, qui furatur ad explendum animum ſuum, quum eſurit.* 31. *Sed deprehenſus rependit ſepties: Qualibet ſubſtantia domus ſuæ reddet.* 32. *Adulterans autem mulierem eſt demens: perditurus ſeipſum, ipſe faciat iſtud.* 33. *Plagam & ignominiam conſequetur, probrumq́; eius non delebitur.* Adulter prætereà Dei fœdus violat. Prov. 2. 17. *Eripe te à muliere extranea, &c. quæ derelinquit ducem adoleſcentiæ ſuæ,* fœderis Dei ſui *obliviſcitur.* Corpus ſuum dehoneſtat. 1. Cor. 6. 18. *Fugito ſcortationem, omne peccatum quod fecerit homo, extra corpus eſt, ſed qui ſcortatur in proprium corpus peccat.* 19. *An ignoratis corpus veſtrum eſſe* templum Spiritus ſancti, *qui eſt in vobis, quem habetis à Deo.* Bonum eripit à proximo & magnum & irrecuperabile, id eſt, caſtitatem. Filios etiam nondum natos ſua dignitate privat. Deut. 23. 2. *Spurius ne venito in congregationem Iehovæ, etiam decima eius generatio ne venito in congregationem Iehovæ.* Familiam ſuam lupinar facit, vt apparet in Davide, cuius adulterii pœna, fuit congreſſus

greſſus Abſalomi cum concubinis patris ſui. 2. Sam. 16. 21. *Dixit verò Ahitophel Abſalamo, Congredere cum concubinis patris tui, quas reliquit ad ſervandam domum ſuam, vt audiente toto Iſraële, fœtidum te redditum eſſe patri tuo, confirmentur manus omnium qui tecum ſunt.* Iob. 31. 9. *Si pellectus fuit animus meus ad mulierem, aut ad oſtium proximi mei inſidiatus ſum. 10. Molat alteri vxor mea, ſuper eam incurvent ſe alii.* Pœna huius peccati in poſteros redundat. Iob. 31. 12. *Nam illud flagitium eſt, & ea eſt iniquitas à Iudicibus animadvertenda. Ignis enim iſte ad perditionem vſque conſumpturus eſſet: & omnem proventum meum eradicaturus.* Poſtremò, clam admiſſum à Deo revelatur. Num. 5. 12, 22. Comitemque habet vel ſtuporem cordis, vel inſignem horrorem. Hoſ. 4. 11. *Scortatio vinumq; & miſtum intercipit cor.*

Polygamia Patriarcharum vtcunq; non eſt defendenda, poteſt tamen excuſari: quia vel ad propagationem humani generis, vel ſaltem ad propagationem eccleſiæ pertinebat.

Septimò, inter maritum & vxorem. Peccant primò, cùm legitima ſocietate abutuntur, in morbo muliebri. Levit. 18. 19. *Item ad mulierem in ſeparatione immunditiei ſuæ, ne accedito, vt retegas nuditatem eius.* Ezech. 18. 5. *Nam cum quis erit iuſtus, exercebitq; ius ac iuſtitiam. 6. In iſtis montibus non comederet, &c. Vxoremq; proximi ſui non polluerit, & ad vxorē ex immunditia ſeparatam, non appropinquaverit.*

Peccant etiam coniuges ipſi, in vſu conjugali intemperanter inter ſe vivendo. Ambroſius libro de Philoſophia, quem citat Auguſtinus libro contra Iulianum ſecundo, dicit, Adulterum vxoris eum eſſe,qui in ipſo quoque vſu conjugij nullam verecundiæ, vel honeſtatis curam habet. Hieronymus libro primo contra Iovinianum. Sapiens vir (inquit) iudicio debet amare conjugem, non affectu: Reget impetus voluptatis, nec præceps feretur ad coitum. Nihil eſt fædius quàm vxorem amare quaſi adulteram.

Octavò,pollutiones nocturnæ, quas vel immodica dieta, vel impura præcedens cogitatio cauſavit. His affine eſt peccatum Onan.Gen.38.8.

IIII, Mollities, qua libidinis ciendæ occaſiones captantur. Galat.5.19. *Porrò manifeſta ſunt opera carnis; Scortatio, Immũditia, Adulterium, Laſcivia.* Occaſiones variæ ſunt. I. Oculi pleni adulterii. 2.Pet.2.14. *Oculos habentes plenos adulterij, & quia peccando ceſſare neſciant.* II. Ocium. 2.Sam.11. 2. *Fuit autem veſpertino tempore, cùm ſurrexiſſet David à cubili ſuo,& obambulans in tecto domus regiæ, mulierem lavantem ſe vidiſſet ex ipſo tecto, quæ quidem mulier pulchra aſpectu erat valdè.* 3. *Vt mitteret David ſciſcitatum de ipſa muliere &c.* 4. *Mitteret* (inquam) *David nuncios, vt aſſumeret eam: eaq; ingreſſa ad ipſum, cubaret cum ea. Ipſa autem purgabat ſe ab immunditia ſua: poſtea reverſa eſt domum ſuam.* IIII. Luxus & laſcivia veſtitus. 1.Tim.2.9. *Itidem & mulieres amictu honeſto, cum verecundia & modeſtia ornare ſeſe, non cincinnis, vel auro, vel margaritis,*

vel

vel precioſo veſtitu. Iſa. 3. 17. *Præterea (ait Iehova) eò quòd altæ ſunt filiæ Sionis, & ambulant extento gutture, nutantes oculis, indeſinenter minutis paſſibus incedunt, pedibuſq; ſuis compeditas agunt.* 18. *Idcirco ſcabie afficiet Dominus verticem filiarum Sionis, & Iehova pudendum earum nudabit.* 19. *Tempore illo amovebit Dominus ornamentum illud periſcelidum, ocellataq; opera, & lunulas.* 20. *Mirotheſidea, Catalasq;, & bracteolas.* 21. *Tyaras & armillas, redimiculaq;, bucculasq;, & amuleta.* 22. *Annulos & monilia naſo impendentia.* 23. *Synthaſes veſtium, & amicula, & ventralia, & aſiaria.* 24. *Speculaq; & Syndones, & mitras, & carbaſa.* 25. *Eritq; loco aromatis vt exiſtat labes, & loco ſegmētatæ Cycladis ſint cinctus cilicij, vſtio loco pulchritudinis.* Neq; mirandum Prophetam tam acerbè invehi in exceſſum veſtitus & laſciviam, quia eſt, I. profuſio donorum Dei, quæ in alios bonos vſus conferri poſſent, II. eſt iudicium & quaſi vexillum ſuperbiæ, qua quis ſe aliis vult præferri. III. Eſt ſignum otii & ignaviæ: qui enim in cultu corporis multum operæ impendunt, ij plerumque aliarum rerum negligentes, & laboris impatientes ſunt. IIII. Eſt argumentum levitatis, qui quotidie aliquid novi invenit, vel ſaltem imitatur. V. Eſt confuſio ordinum & officiorum quem in vita Deus conſtituit, quia homines plebei more nobilium ſe amiciunt.

Quartò, ſaturitas panis & cibi libidinem cientes. Ezech. 16. 49. *Ecce hæc fuit iniquitas Sodomiæ ſororis tuæ, excellentia, ſaturitas cibi, & tranquillitas quieta*

fuit

fuit ipſi, & filiabus eius, & manum pauperis & egentis non confirmavit. Luc. 16. 19. *Cæterùm quidam erat dives, & induebatur purpura & byſſo, & ſe oblectabat* quotidie ſplendidè. Rom. 13. 13. *Vt interdiu compoſiti ambulemus, non in comeſſationibus & ebrietatibus, non cubilibus ac protervijs &c.* Quintò, ſermo corruptus, inſanus, ſpurcus. 1. Cor. 15. 33. *Ne errate: bonos mores corrumpunt commercia mala.* Eiuſmodi ſermonem continent multa cantica, & de amore libri molliuſculi. Hunc etiam ſtudiosè vitare debemus in poëtis legendis, quemadmodum nautæ in navigando non linquendo mare, ſed declinando, rupes fugiunt. Sextò, laſcivæ repreſentationes in ludis & comœdiis. Epheſ. 5. 3. *Scortatio verò & omnis impuritas, aut avaritia* ne nominator *quidem inter vos, ſicut decet ſanctos.* Septimò, pictura indecora & immodeſta. 1. Theſſ. 5. 22. *Ab omni ſpecie mali abſtinete.* Octavò, chorea, id eſt, laſciva ſaltatio viri & fœminæ. Marc. 6. 21. *Cùm igitur dies oportunus adeſſet, quo tempore Herodes in natalitijs ſuis cœnam faciebat proceribus ſuis ac chiliarchis, primarijs Galilææ,* 22. *& introiſſet filia ipſius Herodiadis, ac ſaltaſſet, placuiſſetq́; Herodi, & ſimul accumbentibus, Rex ait puellæ: pete à me quodcunq́; volueris, & dabo tibi.* 23. *Iuravitq́; ei: quodcunq; à me petieris, dabo tibi, vſq́; ad dimidium regni mei.* 24. *At illa egreſſa dixit matri ſuæ, Quid petam? Illa verò dixit, caput Iohannis Baptiſtæ.* Nonò, ſocietas cum effæminatis & mulieroſis. Prov. 7. 24. *Itaque nunc filij auſcultate mihi, & attendite ad ſermones oris mei.* 25. *Ne declinato ad vias illius animus tuus. Ne aberratto*

errato in ſemitas illius.

V. Pœnam adulteris leviculam imponere, qualem instituit Eccleſia Romana. Nam hoc eſt aliis anſam peccandi dare.

Pars affirmativa.

Conſervato caſtitatem proximi.

Caſtitas eſt puritas animi & corporis, quod ad generationem attinet. Animi, cùm liber eſt, vel ſaltem liberatus, à concupiſcentia. Corporis, cùm concupiſcentias carnis non exequitur. 1. Theſſ. 4. 3. *Nam hæc eſt voluntas Dei, ſanctificatio veſtra: id eſt, vt abſtineatis à ſcortatione.* 4. *Et ſciat veſtrum vnuſquiſque ſuum* vas poſſidere cum ſanctificatione & honore, *non cum morbo concupiſcentiæ, ſicut gentes, quæ non noverunt Deum.* 1. Cor. 7. 34. *Quæ eſt innupta, curat ea quæ ſunt Domini, vt ſit ſancta tum corpore, tum ſpiritu.*

Virtutes caſtitatem conſervantes in primis duæ ſunt; Modeſtia & Sobrietas. Modeſtia eſt virtus ſanctum decorum conſervans in omni opere. Eſtque I. in vultu, & oculis, quando nimirum illi non exprimunt & movent concupiſcentiam animi. Iob. 31. 1. *Fœdus pepigeram* cum oculis *meis, & quid advertiſſem animum ad virginem.* Gen. 24. 64. *Rebecca verò ſublatis oculis ſuis cum videret Iſaakum deiecit ſe de camelo.* 65. *Cum illa dixiſſet ſervo, Quiſnam eſt vir ille qui ambulat in agro obviam nobis? Servusq; dixiſſet, is eſt Dominus meus, & accepto peplo* operuit *ſe.* Prov. 7. 13. *Et prehendens eum oſculata eſt eum, obfirmanſq; vultum ſuum dixit ei.* 14. *Sacrificia Euchariſtica apud me ſunt.*

Hodie

Hodie reddidi vota mea. 15. *Idcircò* prodii obviam tibi, *ſtudioſè quærendo faciem tuam, commodè invenio te.* II. In verbis. De re propter peccatum noſtrum pudenda, σεμνος λόγος. Gen.4.1. *Deinde Adam* cognovit *Hevam vxorem ſuam, quæ &c.* Pſal.51.1. *Pſalmus Davidis, cùm veniſſet ad eum Nathan Propheta, poſtquam* intraſſet *ad Bathſeba.* Iſa.7.20. *Et die illa radet Dominus nonacula iſta mercenaria transfluviali, regia Syriæ,* pilum *capitis & pedum.* Iud.3.24. *Ipſo autem exeunte ſervi illius venerunt, & aſpexerunt quod ecce fores ipſius cœnaculi eſſent obſerata, quare dixerunt, Profectò* tegit ipſe pedes ſuos (*id eſt, purgat alvum*) *in conclavi æſtivi cœnaculi.* Sermo præterea debet eſſe paucus & ſummiſſus. Mat.12.19. *Ecce ſervus meus quem elegi &c. Non litigabit neq;* clamabit, *neque audiet quiſquam in plateis vocem eius.* Prov.10.19. *Multitudine verborum non ceſſabit defectio: ſed cohibet labia ſua intelligens.* Meretricis quoque nota eſt vox ſtrepera. Prov.7.11. III. In veſtitu debet eſſe decor ſanctus. Tit.2.3. *Anus itidem vt ſint* [κατασήματι ἱεροπρεπεῖς] *habitu qui ſanctimoniam deceat.* Sanctus decor eſt, qui ſanctitatem viri vel fæminæ, id eſt, pietatem, temperantiam, gravitatem, &c. exprimit. Decor iſte apparebit, ſi obſerventur veſtium fines, qui ſunt quinque: Primus, neceſſitas; vt corpora muniantur contra injurias caloris & frigoris. Secundus, honeſtas; vt tegatur nudi corporis deformitas, quæ ſecuta eſt peccatum. Tertius, commoditas; qua, pro ratione vocationis & opificii & vitæ modo, veſtes aptantur: hinc alia aliis decora. Quartus, frugalitas,

qua

qua habitus eſt iuxta proportionem facultatum. Quintus diſtinctio perſonarum, id eſt, ſexus, ætatis, officiorum, temporum, actionum. Nam alius habitus virum, alius fœminam, alius iuvenem, alius ſenem decet. Ideoq́ue indecorum eſt à viro geri inſtrumentum fœminæ, vel contra. Deut. 22. 5. *Ne eſto inſtrumentum virile ſuper fœminam, neque induito vir veſtem fœminæ, nam abominationi eſt Iehovæ Deo tuo, quiſquis facit iſta.*

Prætereà, quid in veſtitu decorum ſit, modeſtorum, gravium, & candidorum in omni ſtatu hominum iudicio & exemplo definiendum eſt; & potius intra medium ſubſiſtendum, quam vltra illud progrediendum eſt. IIII. In purgatione alvi curandum eſt, vt excrementa ejiciantur in loco ſeparato & clauſo, & emiſſa etiam tegantur. Deutr. 23. 12. *Item ſpacium eſto, tibi extra caſtra, vt egrediaris illuc foras.* 13. *Et paxillus eſto tibi præter arma tua, eritq́; cum ſeſſurus eris foris, vt eo fodias & rurſus* tegas *excrementum tuum.* 14. *Nam Iehova Deus tuus indeſinenter ambulat in medio caſtrorum tuorum, eripiendo te & exponendo inimicos tuos tibi, vt ſancta ſint caſtra tua. Ideoq́; non eſt viſurus in te turpitudinem vllius rei. Quamobrem avertat ſe à te.* 1. Sam. 24. 4. *Cumque perveniens ad caulas ovium propè viam, vbi erat ſpelunca,* ingrederetur *Saul ad tegendum pedes ſuos, Davide & hominibus eius conſidentibus ad latera eius ſpeluncæ.*

Sobrietas, eſt virtus dieta ſanctè vtendi. Eius verò conſervandæ hæ regulæ ſunt. Præcipuus in con-

vivio, gratias agendo menſam conſecrato. 1. Sam. 9. 12. *Quæ reſpondentes eis dixerunt: eſt ecce ante te, feſtina iam, nam hodie veniet in civitatem, quia convivium eſt huic populo in iſto excelſo.* 13. *Simulac ingreſſi eritis in civitatem, invenietis eum, cum nondum aſcenderit excelſum iſtud ad comedendum. Nam non comedet populus vſque dum advenerit, cùm ipſe* (id eſt, Samuel) benedixerit conviuium, *poſtmodum comedent invitati. Nunc ergo aſcendite, nam hoc ipſo die inventuri eſtis eum.* Marc. 6. 39. *Tum iuſſit eos facere, vt accumberent omnes per convivia ſuper viridi gramine.* 40. *Accubuerunt igitur ſigillatim per areolas, partim centeni, partim quinquageni.* 41. *Et acceptis quinque illis panibus, ac duobus illis piſcibus* ſuſpiciens in cœlum, benedixit *ac fregit panes, deditq́; diſcipulis ſuis, vt illis apponerent.* Act. 27. 33. *Interim autem dum oriretur dies, hortabatur Paulus omnes vt caperent cibum, &c.* 35. *Et cum hæc dixiſſet, accepto pane,* gratias egit Deo *in conſpectu omnium, & cùm fregiſſet, cœpit edere.* Ornare convivium licebit, non modò neceſſitatis, ſed etiam honoris erga amicos, & delectationis gratia. Luc. 5. 29. *Et fecit ei Levi* epulum magnum *domi ſuæ, eratque turba multa Publicanorum, & aliorum, qui cum ipſis accumbebant.* Pſal. 104. 15. *Qui vino* lætificat *cor mortalis, &* nitidam efficit faciem *oleo, & cibo cor mortalis fulcit.* Iohan. 12. 2. *Fecerunt igitur ei cœnam illic, & Martha miniſtrabat, Lazarus verò vnus erat ex eis, qui ſimul accumbebant cum eo.* 3. *Maria ergo accepta libra*

bra vnguenti Nardi liquidi multi pretij, vnxit pedes Ieſu & extergit pedes eius capillis ſuis: domus autem impleta eſt odore *vnguenti.* Appete locum inferiorem in convivio, ita tamen vt ab hoſpite te locari ſinas. Luc. 14. 7. *Dixit autem parabolam eis qui vocati erant, attendens quomodo primos accubitus* eligerent, *dicens eis.* 8. *Cum vocatus fueris ab aliquo ad nuptias, ne accumbito primo loco, ne forte honoratior te ſit vocatus ab eo.* 9. *Et is qui te & illum vocavit, veniens dicat tibi, da huic locum, & tunc incipias cum pudore vltimum locum obtinere.* 10. *Sed cum vocatus fueris* vade diſcubitum in vltimum locum, *vt cum venerit qui te vocavit, dicat tibi amice, aſcende ſuperius: tunc erit tibi gloria in conſpectu eorum, qui tecum diſcumbunt.* Tempeſtivè edendum. Eccles. 10. 13. *Hei tibi, regio, cuius rex puer eſt, cuius principes* mane comedunt, *id eſt, intempeſtivè.* 14. *O te beatam regionem, cuius rex natus eſt clariſſimis, & cuius principes ſuo tempore comedunt, ad robur non autem ad compotationem.* Parcè edendum & bibendum, eo modo, vt robur corporis & animæ pietas vegetior & alacrior fiat, non autem torpeſcat & obruatur. 1. Theſ. 5. 6. *Nempe igitur ne dormiamus vt reliqui, ſed vigilemus vt ſobrij ſimus.* 7. *Nam qui dormiunt, noctu dormiunt.* Luc. 21. 34. *Cavete autem vobis, ne quando* gravẽtur corda *veſtra crapula & ebrietate, & curis huius vitæ, & repentè vobis ſuperveniat dies ille.* Prov. 23. 29. *Cui væ? Cui eheu? cui cõtentiones? cui loquacitas? cui*

vulnera

vulnera impunè? cui rubor oculorum eſt? 30. *Immorantibus apud vinum, euntibus ad inveſtigandum vinum miſtum.* 31. *Ne reſpicito vinum cum rubeſcit, cum exhibet in poculo colorem ſuum, indeſinenter movetur rectiſſimè.* 32. *Tandem velut ſerpens mordebit, & vt Hæmorrhous punget.* 33. *Oculi tui reſpicient alienas, & animus tuus eloquetur perverſitates.* 34. *Et eris, vt qui iacet in medio mari, & vt qui iacet in corona carcheſij.* 35. *Percutientibus me inquies alijs non ægrotavi, tundentibus me non ſenſi, quando expergiſcar, pergam, requiram iſtud amplius.* Prov. 25. 16. *Mel inveniens comedis quod ſatis eſt tibi, ne ſaturatus illo evomas illud.* Prov. 31. 4. *Abſit à regibus, ô Lemuel, abſit regibus bibere vinum, & dominatoribus* deſiderium potus inebriantis. 5. *Vt non cum biberit, obliviſcatur ſtatuti, & mutet ius filiorum afflictionis.* 6. *Date potum inebriantem* perituro, & *vinum* amaris animo. 7. *Bibat vt obliviſcatur paupertatis ſuæ, & moleſtiæ ſuæ non ſit memor amplius.* Hæc omnia inprimis facienda, quando accumbis apud Principes. Prov. 23. 1. *Quando ſedebis ad veſcendum cum dominante, diligenter conſidera, quid propoſiturus ſis tibi.* 2. *Alioquin inderes* cultellum faucibus *tuis, ſi præditus appetentia eſſes.* 3. *Ne afficiaris deſiderio cupediarum eius: eſt enim cibus mendaciorum.* Hilarè convivato. Act. 2. 46. *Et quotidie perdurantes concorditer in templo, ac frangentes domi panem, capiebant cibum* cum exultatione & ſimplicitate cordis. 47. *Laudantes Deum, habentes gratiam apud totum populum.* Colloquium convivale ex occaſione oblata, ad ædificationem piam eſto. Luc. 14.

ab

ab 1.ad 16. Abſoluto convivio, curato ſervare reliquias, ne pereant. Ioh. 6. 12. *Vt autem impleti ſunt, dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Colligite quæ ſuperfuerunt fragmenta, ne quid pereat.* Inter edendum aliquid reliquum facito. Ruth. 2. 14. *Dixit verò ei Boaz, tempore cibi: Accede vt comedas ex hoc cibo, & intingas bucceam tuam in aceto iſto: & ſedenti ei à latere meſſorum porrexit ariſtas toſtas, adeò vt comedens ſaturaretur, &* reliquum faceret.

Caſtitas duplex. Cælibatus & conjugii. In caſtitate Cælibatus conſervanda, diligentiſſimè curanda eſt affectuum & corporis ſanctitas. Pſal. 119. 9. *Quomodo purificabit puer ſemitam ſuam, obſervando eum ſecundum verbum tuum.* 1. Ioh. 2. 13. *Scribo vobis patres, quoniam noſtis eum qui à principio eſt. Scribo vobis adoleſcentes, quoniam* malum illum viciſtis. *Scribo vobis pueruli, quoniam noſtis patrem.* Eccles. 12. 3. *Et recordare creatoris tui* diebus iuventutis tuæ, *tantiſper dum non adveniunt dies ipſius mali, & pertingunt anni quibus dicas, non eſt mihi in iſtis delectatio.* Frequentiùs etiam jejunandum. 1. Cor. 9. 27. *Sed* contundo corpus *meum, & in ſervitutem redigo, ne quo modo cum aliis prædicarim, ipſe reprobus fiam.* Denique vſtiones ſtudioſè cavendæ ſunt. 1. Cor. 7. 9.

Caſtitas conjugii eſt, qua ſervatur eius ſanctus & purus vſus. Hebr. 13. 4. *Honorabile eſt inter quoſvis coniugium, &* cubile impollutum: *Scortatores autem & adulteros damnabit Deus.* Ad purum vſum conjugii, hæc conducunt. I. Contrahendum in Domino, cum fidelibus tantùm. Mal. 2. 11. *Perfidè*

agit Iehuda,& abominatio fit in Iſraële, & Ieruſalmis: Profanat enim Iehuda ſanctitatem Iehovæ, quam amaturus fuerat, ducens filiam Dei alienı. 1. Cor. 7. 39. *Quod ſi obdormierit vir ipſius, libera eſt, ad cui velit nubendum,* tantùm in Domino.

Deindè, non vtendum eo in ſeparatione muliebri, vel in ſtato jejunio. Ezech. 18.6. 1. Cor. 7.5. *Ne fraudate alius alium, niſi ſi quid ex conſenſu ad tempus, vt* vacetis jejunio & precibus, *& rurſum ſemel convenite, ne tentet vos Satanas, propter incontinentiam veſtram.* Præterea, adhibendum eſt ad pravam illam carnis concupiſcentiam domandam, non explendam, & ad Eccleſiæ propagationem, quæ fit ſancto ſemine. Rom. 13.14. *Sed induimini domino Ieſu Chriſto, & carnis* curam ne habete *ad explendas cupiditates.* Mal. 2.15. *Nam nonne vnum fecit? quamvis reliqui ſpiritus ipſius eſſent? quid autem vnum?* quæſitutum ſemen Dei: *ideo cauturi eſtis ſpiritui veſtro, & in vxorem adoleſcentiæ tuæ perfidè ne agito.* Deniq; cum precibus & gratiarum actione, vſurpandum. 1. Tim. 4.3. *Prohibentium contrahere matrimonium, iubentium abſtinere à cibis quos Deus creavit ad participandum cum gratiarum actione, fidelibus & eis qui cognoverunt veritatem.*

CAP. 27.

De Mandato Octavo.

MAndatum octavum eſt, de bonis proximi conſervandis. Verba ſunt.

Ne

Ne furator.

Analyſis.

Furator.] Furari propriè ſignificat clam aliquid ſurripere. Gene. 31.20, Hic per Synecdochen, appetere rem alienam fraude obtinere, & quavis ratione minuere.

Pars negativa.

Ne deeſto, aut obeſto bonis proximi.

Hic prohibentur:

I. Vita inordinata, quæ eſt vel expers vocationis, vel ocioſa, in qua intermiſſo munere bona & proventus malè impenduntur. 2.Theſſ. 2.11. *Audimus enim quoſdam verſari inter vos* inordinatè, *nihil operis facientes, ſed curioſe agentes*. Gen. 3.19. *In* ſudore vultus *tui veſcitor cibo, donec revertaris in humum*. 1.Tim.5. 8. *Quod ſi quis ſuis, maximè domeſticis non providet, fidem abnegavit, & eſt infideli deterior.*

II. Injuſtitia: quæ eſt vel cordis vel operis. *I*njuſtitia cordis, eſt avaritia. Mat. 15.19. *Nam ex corde egrediuntur cogitationes malæ, cædes, adulteria, ſcortationes, furta, falſa teſtimonia, obtrectationes.* Hæc eſt idolorum cultus. Epheſ. 5. 5. *Nam hoc noſtis, nullum ſcortatorem, aut impurum, aut avarum, qui eſt* idololatra *habere hæreditatẽ in regno Chriſti & dei.* Et

radix eſt malorum omnium non gignendo ſed fovendo omne genus peccati. 1. Tim. cap. 6. verſ. 9. *Qui autem volunt diteſcere, incidunt in tentationem & laqueum, & cupiditates multas amentes & damnoſas, quæ demergunt homines in exitium & interitum.* 10. *Siquidem* radix omnium malorum *eſt amor pecuniæ, quam quidam dum appetunt, aberrarunt à fide, & ſeipſos transfixerunt doloribus multis.*

Iniuſtitia operis, eſt vel in contractu, vel extra contractum. Iniuſtitia in contractu eſt multiplex. 1. Theſ. 4. 6. *Ne quis opprimat aut circumveniat in negotio: nam vltor eſt Dominus omnium iſtorum.* I. Contractum facere de re non vendibili. Res autem non vendibilis eſt, donum ſpiritus. Act. 8. 18. *Cum autem conſpexiſſet Simon per impoſitionem manuum Apoſtolorum dari Spiritũ Sanctum, obtulit eis pecunias,* 19. *dicens: Date etiam mihi poteſtatem iſtam, vt cuicunq; impoſuero manus, recipiat Spiritum Sanctum.* 20. *Petrus autem dixit ei, argentum tuum tecum pereat, qui donum Dei exiſtimares pecunijs acquiri.* II. Bona Eccleſiæ res ſunt non vendibiles. Ideoque emere vel alienare bona eccleſiæ non licet. Prov. 20. 25. *Tendicula eſt homini deglutire ſacrum, & poſt vota requirere.* Mal. 3. 8. Bona eccleſiæ res domini Iehouæ appellantur. III. Non vendibile eſt, quicquid eſt inutile Reipublicæ, vel Eccleſiæ.

Secundò, Modus contractuum exercendorum fallax. I. Adhibitis calumniis, Luc. 19. 8. *Adſtans autem Zachæus dixit domino; Ecce dimidium bonorum meorum, domine, do pauperibus: & ſiquid cuipiam*

[ἐσυκοφάντησα] per calumniam eripui, *reddo quadruplum.* II. Eſtque quando corrupta pro puris venduntur. Amos. 8. 4. *Audite hoc, qui anhelatis deiecturi egentem, & detecturi pauperes terræ,* 5, *dicendo: Quando tranſiverit hoc novilunium, vt vendamus commeatum, &c.* 6. *Comparando pecunia tenues, & egẽtem pari calceorum, vt deniq; quiſquilias* frumenti *vendamus.* Quando adhibentur iniuſtæ menſuræ & pondera. Deut. 25. 13. *Ne eſto tibi in loculo tuo diverſum pondus,* magnum & parvum. 14. *Ne eſto tibi domi tuæ diuerſum Epha, magnum & parvum.* Leuit. 19. 35. *Ne exercitote perverſitatem in vllo munere, in dimentione, in pondere, aut in menſura.* 36. *Trutinæ iuſtæ, pondera iuſta, Epha iuſtum, & Hin iuſtus eſto vobis, ego Iehova Deus veſter.* Amos 8. 5. *dicendo, Quando tranſiverit hoc novilunium, &c. vt aperiamus frumenti horrea,* minuendo Epham, *& majus faciendo pondus, & pervertendis lancibus doloſis.*

Tertiò, quando celatur rei vitium, & fucatis verbis ſimulatur. Matth. 7. 12. *Quæcunq; igitur volueritis, vt faciant vobis homines, ita & vos facite eis. Iſta enim eſt lex & Prophetæ.* Prov. 20. 14. *Peſſimum eſt, ait emptor, ſed cum digreſſus fuerit, tum ſeipſum laudat.*

Quartò, quando contractibus opprimitur populus. Hoc fit, I. Augendo iuſtum rei pretium. Nam in contractu lucrum vel denarii pro nihilo facere non licet. II. Carius vendendo, ob dilatum ſolutionis diem. Hoc enim eſt revera tempus ipſum vendere, & plus debito à proximis accipe-

re. *III.* Coëmendo merces vnius generis,vt dum ipſe ſolus iſtas habeas, pro arbitrio æſtimes. *IIII.* Cedendo foro,vt ex aliorum damno & bonis ditentur. V. Pignus commodatum, depoſitum, inventum, non reſtituendo. Ezech. 18. 7. *Neminemq́ oppreſſerit, pignus ſuum debitori reddiderit, rapinam non rapuerit.* VI. Reſtitutionem deferendo. Prov. 3. 28. *Ne dicito proximo tuo, abi, deinde revertere,* cras enim daturus ſum, *cùm fuerit penes te.* Pſal. 37. 21. *Mutuò accipit* improbus,*ſed non poteſt reddere: iuſtus verò gratiam facit & donat.* V*II.* Exercendo vſuras, Pſal. 15. 4. *Pecuniam ſuam non exponit fœnori, &c.* Exod. 22. 25. *Si pecuniam mutuam dederis populo meo, pauperi ipſi qui eſt tecum: ne eſto ei tanquam fœnerator: ne imponito ei vſuram.*

Vſura verò eſt, lucrum è pacto exactum vltra ſortem, tantùm propter officium mutuationis. Hæc verò ita deſcripta planè contra verbum Dei eſt, & mordens lucrum ritè appellari poteſt. Exod. 22. 14. *Item cum quis quid à proximo ſuo acceperit commodato, quod corrumpatur aut moriatur, ſi dominus eius rei non adfuerit ei, omninò rependito.* 15. *Si dominus eius rei adfuerit, ei ne rependito: ſi mercede conductum eſt, venit pro mercede ſua.* Ezech. 18. 8. *In vſuram non dederit, & incrementum non acceperit.* 2. Cor. 8. 13. *Non enim vt* aliis relaxatio *ſit, vobis autem oppreſſio, ſed pari conditione, hoc tempore veſtra abundantia ſuppleat illorum defectum.*

Hanc vſuram leges poſitivæ coercent tantum non probant. Queſtio. An non licet aliquando accipe-

re

re aliquid vltra ſortem. Λύσις. Licet ſervatis condicionibus. I. Videndum ne plus exigatur quàm poſſit ſolvens iuſtis rationibus acquirere. *I I.* Non accipiendum plus lucro, non totum lucrum, non lucri pars exhauriens. III. Lucrum non accipiendum, vbi certum eſt, adhibita diligentia lucrum non eſſe factum, imo ne ſors quidem ipſa, ſi id iuſta ſolventis neceſſitas poſtulabit. Ratio. Prima, quod datur à debitore cum ipſius vtilitate ſine damno vllius, tuto etiam accipiatur à creditore. Secunda, Mutuum accipiens debet gratitudinem poſſibilem ei cuius bonis ditatur. Tertia. Creditoris ſæpè interfuit commodatam habuiſſe pecuniam. *Obiect.* Pecunia non eſt fructifera. Ergo nunquam plus recipi poteſt quàm datur. *Reſp.* Pecunia vtcunque non in ſe, tamen operâ accipientis eſt fructifera: imo ne fundus quidem frugifer eſt niſi colatur.

Poſtremò, detinendo mercedem operariorum. Iacob. 5. 4. *Ecce merces operariorum, qui meſſuerunt regiones veſtras à vobis intercepta clamat, & clamores eorum qui meſſuerunt, in aures Domini Sabaoth introierunt.*

Extra contractum, injuſtitia etiam multiplex eſt.

Primo, muneribus edicere falſas ſententias in judicio. *Iſa.* 1. 23. *Principes tui contumaces & ſocij furum: vnuſquiſque amat munus, & ſectatur retributiones, pupillo non dicunt ius, & cauſa viduæ non pervenit ad eos.* Hoc leguleiorum & Iudicum crimen eſt. Pſal. 82.

Secundò, Mendicis validis victum & veſtitum præbere. 2. Theſſ. 3. 10. *Etenim cum eſſemus apud vos, hoc denunciabamus vobis, quòd ſi quis* nolit operari, etiam non edito.

Quid ergo fiet Monachis & ſacrificis ocioſis? Monachus (inquit Socrates Tripartitæ hiſtoriæ eſt) qui manibus non laborat, ſimilis eſt prædoni.

Tertiò, Luſus lucri tantùm gratia inſtitutus. Non enim licet augere commodum tuum proximi incommodo: vſura quoq; deterior eſt, magiſque homines ditabit.

Quartò, Proventus facere ex illicitis artibus; Magia, Aſtrologia judiciaria, ludis, Epheſ. 4. 28. *Qui furabatur, non amplius furetur, ſed potius laboret, operando manibus* quod bonum eſt, *vt poſſit impertiri cui opus fuerit.* Deut. 18. 11. Epheſ. 5. 3. 1. Theſſ. 5. 22. *Ab* omni ſpecie *mali abſtinete.*

Quintò, Eripere proximo rem vel minimam propter bonum vel maximum. Mar. 10. 19. *Ne furare, ne falſum teſtimonium dicito, ne damno afficito quenquam.* Rom. 3. 8. *Ac non potius dicitur (ſicut de nobis malè loquuntur, & ſicut quidam aiunt vos dicere) faciamus mala vt eveniant bona? quorum damnatio iuſta eſt.*

Sextò, Movere antiquos compaſcuorum terminos. Prov. 22. 28. *Ne moveto antiquum terminum, quē aptarunt maiores tui.* Hoſ. 5. 8. *Sunt principes Iehudæ ſimiles eis qui movent terminum.*

Septimò, Exercere plagium, ſacrilegium, rapinam. 1. Tim. 1. 10. *Scortatoribus, maſculorum concubitoribus, plagiariis.* Ioſ. 7. 19. 1. Cor. 6. *Neq; fures, neq; avari,*

vari, neq; rapaces, &c. regni Dei hæreditatem poſſidebunt. Rapinis inſignes ſunt latrones, pyratæ, milites ſuis ſtipendiis non contenti, & quiſque violentas manus in rem alienam injiciens. Luc. 3.14. *Interrogarunt eum etiam milites dicentes, & nos quid faciemus? & dixit ijs, neminem contutite, neque per calumniam eripite: & contenti eſtote ſtipendijs veſtris.*

Octavò, Conſentire cum fure vel dando conſilium, vel cælando factum. Prov. 29.24. *Qui partitur cum fure, odit ſeipſum, & qui execrationem audiens non indicat.*

Furti pœna à iudicibus ſtatuenda eſt pro delicti magnitudine: ideoque fures quandoq; capitali ſupplicio puniendi. Si dicatur, legem Dei iudicialem quadrupli reſtitutionem pro mulcta inſtituere; ſciendum eſt, in poteſtate magiſtratus eſſe, quando augetur delictum, augere civilem pœnam. Iam autem in rebus noſtris publicis furti delictum augetur. Primò, populus noſter egentior eſt Iudæorum populo: ideoq; furtum etiam levius maiora detrimenta apportabit. Secundò, populus eſt noſter ferocioris ingenii; hinc etiam fures petulantiores ſunt, & in furtis vim adhibent atque perturbationem publicæ tranquillitatis: cuius maior eſt habenda ratio, quam privatæ ſalutis vnius.

Pars affirmativa.

Conſervato & augeto bona proximi.

In

In conſeruandis proximi bonis requiruntur:

I. Vocatio; qua quiſque pro doni ſui ratione, honeſtæ operæ incumbit ad ſuum & proximi commodum. 1. Cor. 7. 24. *Vnuſquiſq; in quo vocatus fuerit, in hoc maneat apud Deum.* Eph. 4. 28. 1. Pet. 4. 10. *Vt quiſq; accepit donum, ita alius in alium illud ſubminiſtrantes, vt boni diſpenſatores variæ Dei gratiæ.* Galat. 5. 13. *Ex charitate ſeruite alij aliis.*

II. Rectus diuitiarum & omnium bonorum vſus, ad quem pertinent duæ virtutes: αὐταρκεία, & frugalitas. Αὐταρκεία eſt qua ſtatu quiſque ſuo contentus eſt. 1. Tim. 66. *Eſt autem quæſtus magnus pietas, cum animo ſua ſorte contento.* 7. *Nihil enim intulimus in mundum, videlicet nec efferre quicquam poſſumus.* 8. *Sed habentes alimenta & quibus tegamur,* his contenti *erimus.* Phil. 4. 11. *Non quod penuriæ meæ reſpectu loquar; nam ego dedici in quibus ſum, iis ipſis contentus eſſe.* 12. *Noui autem deprimi, noui etiam abundare, vbiq; & in omnibus* initiatus ſum, *& ad ſaturitatem & ad eſuritionem, id eſt, tum ad abundantiam, tum ad inopiam.* Matt. 6. 11. *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.* Heb. 13. 5. *Sint mores alieni ab auaritia: ſuis* contenti præſentibus: *Dixit enim ipſe, non te deſeram, neq; te relinquam.*

Frugalitas eſt, qua bona & ſtudiosè conſeruantur, & impenduntur tantùm in res neceſſarias frugem ferentes. Proverb. 5. 15. *Bibe aquam e ciſterna tua, fluenta è medio putei tui.* 16. *Spargant ſe fontes tui foras, in plateis rivi aquarum.* 17. *Sint* tibi ſeorſim *ac non extraneis tecum.* Prov. 21. 5. *Cogitationes ſeduli*

tantùm

tantùm emolumento ſunt. omnes autem præcipitis tantùm ad egeſtatem pertinent. 17. *Vir egens erit qui amat lætitiam, qui amat vinum & vnguentum, non erit diues.* Prov. 12.26. *Non aſſabit doloſus quod venando ceperit, Subſtantia autem hominis precioſa* ſedulus *fruitur.* Ioh. 6.12.

III. Veritas in dictis, coniuncta cum innocua ſimplicitate in omnibus negotiis. Pſal. 15.2. *Qui ambulat integrè exercetq́; iuſtitiam, ac loquitur veritatem ex animo ſuo.* Gen. 23.13. *Et allocutus eſt Hephronem, audiente populo regionis illius, dicendo: Sed ſi tu is es, quæſo audi me: do precium agri illius, accipe à me.* Tum *ſepeliam mortuum meum illic.* 14. *Reſpondet autem Hephron, Abrahamo, dicendo ei:* 15. *Domine mi, audi me: terra quadragintorum cyclorum argenti inter me & te quid eſt? Tuum ergo mortuum ſepeli.* 16. *Auſcultauit itaq́; Abraham Hephroni & appendit Abraham Hephroni argentum illud, quod indicauerat audientibus filiis Hethi, Quadringentos cyclos argenti currentis ad mercatorem quemvis.* 17. *Ita ceſſit ager Hephronis, qui eſt Machpile, quæ eſt è regione Mamre. Ager cum ſpelunca ipſa quæ in eo eſt, omniq́; arbore quæ in agro erat: quod deniq́; erat in toto termino eius circumquaq́;,* 18. *Abrahamo in poſſeſſionem præſentibus filiis Hethi, omnibus ingredientibus portam ciuitatis eius.*

IV. Iuſtitia in factis. 1. Th. 4.6. quæ multiplex eſt.

I. In emptione & venditione, in locatione & conductione prædiorum, fundorum, mercium, & rerum omnium conſtituere iuſtum precium. *Iuſtum*

precium

In conſeruandis proximi bonis requiruntur:

I. Vocatio; qua quiſque pro doni ſui ratione, honeſtæ operæ incumbit ad ſuum & proximi commodum. 1. Cor.7.24. *Vnuſquiſq; in quo vocatus fuerit, in hoc maneat apud Deum.* Eph.4.28. 1.Pet.4.10. *Vt quiſq; accepit donum, ita alius in alium illud ſubminiſtrantes, vt boni diſpenſatores variæ Dei gratiæ.* Galat. 5.13. *Ex charitate ſeruite alij aliis.*

II. Rectus diuitiarum & omnium bonorum vſus, ad quem pertinent duæ virtutes: αὐταρκεία, & frugalitas. Αὐταρκεία eſt qua ſtatu quiſque ſuo contentus eſt. 1.Tim.66. *Eſt autem quæſtus magnus pietas, cum animo ſua ſorte contento.* 7. *Nihil enim intulimus in mundum, videlicet nec efferre quicquam poſſumus.* 8. *Sed habentes alimenta & quibus tegamur,* his contenti *erimus.* Phil.4.11. *Non quod penuriæ meæ reſpectu loquar; nam ego dedici in quibus ſum, iis ipſis contentus eſſe.* 12. *Noui autem deprimi, noui etiam abundare, vbiq; & in omnibus* initiatus ſum, *& ad ſaturitatem & ad eſuritionem, id eſt, tum ad abundantiam, tum ad inopiam.* Matt. 6.11. *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.* Heb. 13.5. *Sint mores alieni ab auaritia: ſuis* contenti præſentibus: *Dixit enim ipſe, non te deſeram, neq; te relinquam.*

Frugalitas eſt, qua bona & ſtudioſè conſervantur, & impenduntur tantùm in res neceſſarias frugem ferentes. Proverb.5.15. *Bibe aquam e ciſterna tua, fluenta è medio putei tui.* 16. *Spargant ſe fontes tui foras, in plateis rivi aquarum.* 17. *Sint* tibi ſeorſim *ac non extraneis tecum.* Prov.21.5. *Cogitationes ſeduli*

tantùm

tantùm emolumento ſunt. omnes autem præcipitis tantùm ad egeſtatem pertinent. 17. *Vir egens erit qui amat lætitiam, qui amat vinum & vnguentum, non erit diues.* Prov. 12. 26. *Non aſſabit doloſus quod venando ceperit, Subſtantia autem hominis precioſa* ſedulus *fruitur.* Ioh. 6. 12.

III. Veritas in dictis, coniuncta cum innocua ſimplicitate in omnibus negotiis. Pſal. 15. 2. *Qui ambulat integrè exercetq́; iuſtitiam, ac loquitur veritatem ex animo ſuo.* Gen. 23. 13. *Et allocutus eſt Hephronem, audiente populo regionis illius, dicendo: Sed ſi tu is es, quæſo audi me: do precium agri illius, accipe à me.* Tum *ſepeliam mortuum meum illic.* 14. *Reſpondet autem Hephron, Abrahamo, dicendo ei:* 15. *Domine mi, audi me: terra quadragintorum cyclorum argenti inter me & te quid eſt? Tuum ergo mortuum ſepeli.* 16. *Auſcultauit itaq́; Abraham Hephroni & appendit Abraham Hephroni argentum illud, quod indicauerat audientibus filiis Hethi, Quadringentos cyclos argenti currentis ad mercatorem quemvis.* 17. *Ita ceſſit ager Hephronis, qui eſt Machpile, quæ eſt è regione Mamre. Ager cum ſpelunca ipſa quæ in eo eſt, omniq; arbore quæ in agro erat: quod deniq; erat in toto termino eius circumquaq́;,* 18. *Abrahamo in poſſeſſionem præſentibus filiis Hethi, omnibus ingredientibus portam ciuitatis eius.*

IV. *I*uſtitia in factis. 1. Th. 4. 6. quæ multiplex eſt.

I. In emptione & venditione, in locatione & conductione prædiorum, fundorum, mercium, & rerum omnium conſtituere iuſtum precium. *I*uſtum

precium

precium eſt, quando rei valor & precium, quàm maximè fieri poteſt, adæquantur. Hoc vt fiat, hæ quatuor regulæ ſemper in promptu ſint, ad quas omnes contractas exigantur. I Contractus omnes ad æqualitatem reducantur: hoc erit, ſi vt labores & ſumptuum tuorum, ita commodorum & neceſſitatis proximi rationem venditor habueris. Leu. 25. 14. *Quare cum rem venalè vendideris, quiſq; proximo tuo aut emeris è manu proximi tui, ne fraudem facitote alter alteri.* 15. *Secundum numerum annorum à Iubilaeo emito à proximo tuo: Secundum numerum annorum provētuum: vendito ille tibi.* 16. *Pro multitudine annorum, augebis precium emptionis eius, & pro paucitate annorum, minues precium emptionis eius. Nam numerum prouentuum ille vendit tibi.* II. Ad legem naturæ conformentur, cuius ſummam Chriſtus hoc dicto complectitur. *Quæcunq; volueritis vt faciant vobis homines, ita & vos facite illis.* III. Obligatio naturalis teneatur, quæ iubet, vt qui accipit beneficium, & ex alterius pecunia legitimè creſcit, & locupletatus viciſſim reddat mutuam & æqualem compenſationem, eamque etiam ſupra ſortem. IIII. Modus communicationis & mutuationis obſeruetur: quem definit Paulus 2. Cor. 8. 13. *Sic dandum eſſe, ne aliis ſit ignavia, nobis autem afflictio.*

II. Rem proponere vendendam, quæ & ſubſtantia ſit, & vſu integra.

III. Vti iuſtis ponderibus & menſuris. Deut. 25. 13. *Non habebis in ſacculo diverſa pondera, maius & minus, nec erit in domo tua modius maior & minor, pondus*

dus habebis iuſtum & verum: & modius æqualis & verus erit tibi, vt multo viuas tempore ſupra terram, quam dominus deus tuus dederit tibi. Ezech. 45. 10. *Statera iuſta, & epha iuſta, & batus iuſtus erit vobis.* Mica. 6. 11. *Nunquam iuſtificabo ſtateram impiam, & ſacculi pondera doloſa.*

IIII. In re locata, mercedem debitam & prætereà culpam ſuam conductor præſtare debet. Exod. 22. 14, 15.

V. Pignus redimentum: & ſi ad vitam tuendam valde neceſſarium eſt, ſtatim reſtituendum. Exod. 22. 26. *Si pignore vllo acceperis veſtem proximi tui, dum inclinat ſol, reſtituito illum ei.* 27. *Nam ſolum operimentum eius eſt.* Deut. 24. 6. *Ne pignori accipito quiſquam* metam aut catillum: *nam is vitam acciperet.* Non eligendum, ſed oblatum accipiendum eſt. Deut. 24. 10. *Cum mutuaveris proximo tuo vllius rei mutuum, ne ingreditor domum eius, ad pignorandum pignus eius,* 11. *Sed foris ſubſiſtito, vt vir ille cui tu mutuas, proferat ad te pignus ſuum foras.* 12. *Quod ſi vir pauper eſt,* ne cubato habens pignus *eius.* 13. *Omnino reſtituito ei pignus eius cum occidit ſol, vt cubans in veſte ſua, benedicat tibi, quod tibi erit iuſtitia coram Iehova Deo tuo.*

VI. Fide iubere tantùm pro honeſtis & notis viris, & cautè cum deliberatione. Prou. 11. 15. *Omnino confringitur, qui ſpondet* pro extraneo: *qui autem odit complodentes, ſecurus eſt.* Prov. 17. 18. *Homo demens complodit manum ſpondens ſponſionem ante amicum ſuum.* Prou. 22, 26. *Ne ſis ex complodentibus*

manu,

manu ex ſponſione debita. 27. *Si non ſit tibi quod reddas, quare acciperet creditor cubile tuum à te?* Quod ſi quis fide-iubendo fuerit illaqueatus, humiliatione, & ambitu amicorum, apud creditorem quærenda eſt libertas. Prov. 6. 1. *Fili mi, ſi ſpoſpondiſti amico tuo, comploſiſti extraneo manum tuam.* 2. *Illaqueaſti te ſermonibus oris tui. Captus es ſermonibus oris tui.* 3. *Fac iſtud iam, fili mi, & eripe te, quandoquidem conveniſti in manum proximi tui: age, ſubiice te, & interpellare proximum tuum.* 4. *Ne concedito ſomnum oculis tuis, aut dormitationem palpebris tuis.* 5. *Eripe te, ut caprea è manu venatoris, & ſicut avis e manu aucupis.*

VII. Stipulationes iuſtæ etiam cum damno ſervandæ. promiſſum enim ſi licitum eſt, obligat ex voluntate eius cum quo contrahimus. Pſal. 15. 4. Iuratus *in damnum ſuum, non tamen mutat.* Prov. 25. 14. *Nubes, & ventus, & pluviæ non ſequentes: vir glorioſus & promiſſa non complens.* Iud. 1. 24. *Videntes autem obſervatores illi quendam exeuntem è civitate illa, dixerant ei: oſtende nobis iam ingreſſum iſtius civitatis, & exercebimus ergate benignitatem.* 24. *Sic cum oſtendiſſet ipſis ingreſſum ipſius civitatis, percuſſerunt civitatem acie gladii, virum autem illum cum tota familia eius dimiſerunt.* Ergo ſi promiſſo iam facto ſuperveniat dãnum, licet petere liberationem, & conceſsã accipere.

VIII. Bona commodare gratis. Luc. 6. 35. *Diligite inimicos veſtros, & benefacite, & mutuum date,* nihil inde ſperantes: *& erit merces veſtra multa ac filii eritis illius altiſſimi. Nam ipſe benignus eſt erga ingratos & malos.* Et in iis reddendis diligentiam maximã adhibere.

adhibere. Ideoq; culpa ſi non aliâs, certe bonorum venditione præſtanda eſt. 2.Reg.4.1. *Mulier autem quædam ex uxoribus filiorum Prophetarum clamabat ad Eliſham, dicens: ſervus tuus vir meus mortuus eſt: tu verò noſti ſervum tuum timuiſſe Iehovam, creditor autem venit ad rapiendum duos natos meos ſibi in ſervos. 2. Cui dixit Eliſha: Quid facturus ſum tibi? indica mihi, quid eſt tibi domi? Quæ dixit, non eſt ancillæ tuæ quicquam domi, niſi lecythus olei. 3. Quæ dixit, Abi, pete tibi vaſa foris, ab omnibus vicinis tuis: vaſa vacua ne pauca petito. 4. Tum ingreſſa occludes fores tibi & filijs tuis; deinde infundes in omnia vaſa illa, & quod plenum fuerit amoveri iubito. 5. Itaque abiens ab eo, cum occluſiſſet fores ſibi & filijs ſuis, ipſis admoventibus ad illam, infundebat illa. 6. Fuitq; cum plena eſſent vaſa illa, & edicente ea filio ſuo: admove mihi adhuc vas: dixiſſet ei, Nullum præterea eſt vas, ut conſiſteret oleum. 7. Tum illa veniens indicavit viro Dei, qui dixit: Abi, vende iſtud oleum &* repende creditori *tuo: tu verò cum filijs tuis* vivito è reliquo.

IX. Depoſitum reſtituere ſine mora. Mat.21.41. *Dicunt ei: malos ipſos male perdet, & vineam ſuam elocabit alijs agricolis, qui reddent ei fructum* temporibus ſuis. Prov.3.28. Si periit depoſitum, ſine culpa depoſitarii, damnum non eſt exigendum. Exod. 22.7. *Si quis dederit proximo pecuniam, aut ſupellectilia adſervandum, & id furto ablatum fuit à domo illius, ſi deprehendetur fur ipſe rependito duplum. 8. Si non deprehendetur fur ille, tum ſiſtetur dominus illius domus coram ipſis magiſtratibus, iureiurando ſe purgaturus,*

purgaturus, ſi non extendit manum ſuam in rem proximi ſui.

X. Inventum cuſtodiendum eſt, ſi eſt ignotus dominus: & noto ſtatim reſtituendum. Deut. 22. 1. *Videns bovem fratris tui, aut pecudem eius devios, non occultabis te ab illis, ſed omninò reducito eos ad fratrem tuum. 2. Quod ſi frater tuus non erit propinquus tibi, aut non noſces eum, tum recipies illum intra domum tuam, vt ſit apud te, donec quærat frater tuus illum: & illum reſtituas ei. 3. Et ſic facito aſino eius, ſic etiam veſtimento eius, & ſic facito omni re amiſſa fratris tui, cum perierit ei, & inveneris illam, non poteris teipſum occultare.*

XI. Vt æquum & debitum obtineatur, licet proximum in ius vocare. Sed litium tractandarum ſancta ratio ſequenda eſt, his cautionibus circumſcripta. *I.* In litibus nil faciendum in religionis Chriſtianæ contumeliam. Ergò peccata ſunt litigantium hominibus magis quàm Deo fidere, religionem ludibrio infidelium exponere, partim agendo cauſas minus neceſſarias, partim non admittendo reconciliationis modum. 1. Cor. 6. 1. *Suſtinet aliquis veſtrum, negotium habens cum altero, iudicio experiri ſub iniuſtis ac non ſub iuſtis. 2 An ignoratis ſanctos mundum iudicaturos? quod ſi per vos iudicabitur mundus, indigni eſtis minimis iudicijs? II.* Forenſe judiciũ debet eſſe vltimũ remedium. Omnia prius tentenda ſunt, quàm vt litem ſuſcipias cum eo qui frater eſt. 1. Co. 16. 7. *Iam igitur omninò impotentia in vobis eſt, quòd iudicia habetis inter voſmet ipſos: quare non potius iniuriam patimini?*

Cur

Cur non potius damnum accipitis? III. Inter litigandum charitatis eſto memor, & ſtudeto non tam jus tuum tueri, quam iniquum fratrem in viam revocare.

CAP. 28.

De nono Mandato.

NOnum mandatum eſt de fama proximi conſervanda. Verba ſunt:

Ne proferto contra proximum tuum teſtimonium falſum.

Analyſis.

Proferto.] Id eſt, Reſpondeto, quando es à Iudice interrogatus. Deut. 19. 17. *Tum ſiſtent ſe duo viri, quorum fuerit controverſia iſta, coram Iehova, ante ſacerdotes aut Iudices qui erunt in diebus illis.* 18. *Cumq; inquiſiverint Iudices illi benè, ſi ecce teſtis falſus eſt teſtis ille, falſum teſtatus eſt contra fratrem ſuum.*

Teſtimonium] Per Synecdochen omne dictum quo æſtimatio proximi violatur & minuitur.

Pars nagativa.

Ne deeſto vel obeſto nomini

& exiſtimationi proximi.

Hîc prohibentur.

I. Invidia, æmulatio, deſiderium gloriæ. 1. Tim. 6. 4. *Is turget, nihil ſciens ſed inſaniens circa quæſtiones, & verborum pugnas, ex quibus naſcitur invidia, lis, maledicentia.* 1. Pet. 2. 1. *Deponentes igitur omnem malitiam, & omnem dolum, & ſimulationes, invidias, & omnes detractiones, &c.* Matth. 21. 15. *Videntes autem principes ſacerdotum, & Scribæ mirabilia quæ fecit, & pueros clamantes in templo, & dicentes, Hoſanna ſilio David, indignati ſunt,*

II. Suſpiciones pravæ. 1. Tim. 6. 4. 1. Sam. 17. 28. *Quod cum audiſſet Eliab frater eius maior, loquente eo cum alijs, iratus eſt contra David, & ait: quare veniſti? & quare dereliquiſti pauculas oves illas in deſerto? Ego* novi ſuperbiam *tuam, & nequitiam cordis tui.* Act. 28. 4. *Vt verò viderunt barbari pendentem beſtiam de manu eius, ad invicem dicebant: vtique* homicida eſt *hic homo, qui cum evaſit de mari, vltio non ſinit eum vivere.* Huc pertinent iudicia dura & ſiniſtra de proximo. Matth. 7. 1. *Ne iudicate, vt ne iudicemini.* 2. *Quo enim iudicio iudicatis, iudicabimini. Et qua menſura metimini, viciſſim metientur vobis.* Hæc iudicia, quæ prohibet Chriſtus, ſunt privata & calumnioſa, nimirum quando aut bonum factum, aut ambiguum interpretamur in deteriorem partem, aut leve erratum malevolentia exaggeramus, nequaquam ſtudentes vel ſanare, vel tegere. Act. 2. 13. *Alij verò cavillantes dicebant*: vino dulci pleni

ſunt

ſunt iſti. 14. *Stans autem Petrus cum vndecim ſuſtulit vocem ſuam, & loquutus eſt eis, dicens: viri* Iud*æi voſq́ omnes qui habitatis Ieroſolymis, hoc vobis notum eſt, & auribus percipite verba mea,* 15. *Non enim, vt vos exiſtimatis, iſti ebrij ſunt, cum ſit hora diei tertia.* 1. Sam. 1. 13. *Porrò Anna loquebatur in corde ſuo, tantumq́ labia illius movebantur, & vox penitùs non audiebatur: æſtimavit ergo eam Heli temulentam.* Sciendum verò eſt, tria eſſe genera Iudiciorum, quæ hoc mandato Chriſti non prohibentur. Primum eſt miniſterium evangelii, quod iudicat & arguit peccata. Secundum eſt, Iudicium magiſtratus. Tertium eſt, iudicium monentis amici, vt cum dicit; Abſtineas à conſuetudine huius hominis, quia ſcio ebrioſum eſſe.

III. Relatio prava verborum tantùm, non ſenſus & ſententiæ proximi. Matth. 26. 60. *Principes autem ſacerdotum & ſeniores, & totus conſeſſus quærebant falſum teſtimonium contra eum, vt eum morte mulctarent, & non invenerunt. Poſtremò verò advenientes duo* falſi teſtes, 61 *Dixerunt; Iſte dixit, poſſum diſſolvere templum Dei, & triduo ipſum ædificare.* Et verbis quidem aliquid ſimile dixit Chriſtus. Ioh. 2. 19. *Reſpondit Ieſus, & dixit eis: deſtruite templum hoc, & tribus diebus erigam illud.*

IIII. Mendacium, quo id quod falſum eſt fallendi animo, vel dictis, vel factis, vel ſilentio veri, vel alio quovis modo ſignificatur: etiamſi in proximi bonum vel maximum fiat.

V. Iniuſtam in iudicio ſententiam efferre. In vno teſte acquieſcere, falſò accuſare alium, prævaricando cauſam prodere. 1.Reg.21.12. *In dicto jejunio collocarunt Nabothum in principibus populi.* 13. *Tum venientes duo illi homines nequam, conſederunt ex adverſo eius, teſtatiq́ ſunt contra eum homines iſti nequam; contra Nabothum coram populo, dicentes: Maledixit Naboth Deo & regi; ſic eduxerunt eum extra civitatem ſuam, & lapidibus obruerunt eum, ita vt moreretur.* Deut.17.6. *Ex ſermone* duorum teſtium *ac trium teſtium, morte afficitor is qui moritur: ne afficitor morte, ex ſermone* teſtis vnius.

VI. Fictos & noxios ſermones de proximo vel palam excitare, vel clàm ſuggererere. Rom.1.30 Suſurrones, *obtrectatores, Dei oſores, contumelioſi, ſuperbi, glorioſi, inventores malorum.* Lev.19.16. *Ne ambulato* cum detractione *per populares tuos; ne inſtato contra ſanguinem proximi tui: ego ſum Iehova.* 1.Tim.5.13. *Simul autem etiam otioſæ diſcunt circumire domos, imò non ſolum otioſæ, ſed etiam nugaces & curioſæ, garrientes quæ non oportet.* Spargere rumores, vel eis aliquid effingere. Prov.26.20. *Vt deficientibus lignis extinguitur ignis, ita cum non* eſt ſuſurro, *ſilet contentio.* 21. *Vt carbo ad prunas, & ligna ad ignem: ita vir contentioſus eſt ad accendendum litem.* 22. Verba ſuſurronis *ſimilia ſunt verbis eorum qui ſæpenumerò contuſi ſunt: tamen ea deſcendunt in penetralia ventris.* 2.Cor.12.20. T*imeo enim ne fortè cùm venero, non quales volo inveniam vos, & ego inveniar à vobis, qualem non vultis. Ne fortè contentiones, æmulationes, iræ, diſſenſiones, detractiones,*

tractiones, ſuſurrationes, tumores, tumultuationes ſint inter vos. Allatos ab aliis recipere. Exod. 23. 1. Ne efferto rumorem *mendacij: ne apponito manum tuam cum improbo, agendo teſtem iniurium.* 1. Sam. 24. 10. *Dixitq; David Sauli, Quare* auſcultas *verbis cuiuſquam, dicentis: ecce David quærit malum tuum.*

VI. Accuſare proximum, ob id quod certum eſt & verum, ex odio & animo lædendi. 1. Sam. 22. 9. *Reſpondit autem Doeg Adomæus, qui aſtabat cum ſervis Saulis, dicens:* vidi filium Iſhai, venientem *Nobum ad Abimelechum filium Ahitubi.* 10. *Qui conſuluit pro eo Iehovam, & viaticum dedit ei, etiam gladium Goliathi Paliſtai dedit ei.* De hoc facto ſic loquitur Pſalmiſta. Pſal. 52. 3. *Quid te iactas in malo, ô potens, benignitas Dei fortis omni die perdurat.* 4. *Ærumnas excogitatas expromis lingua tua, ſimilis eſt novaculæ acutæ, ô artifex doli.* 5. *Diligis malum potius quam bonum,* mendacium *quàm loqui iuſtitiam diligis vehementiſſimè.* 6. *Dilexiſti omnia verba pernicioſa, linguam doloſam.*

VIII. Secretum alicuius, præcipuè ſi infirmitatem olet, cuiquam exponere. Matth. 18. 15. *Si verò peccaverit in te frater tuus, veni & argue eum* inter te & ipſum *ſolum;* Si *te audierit, lucratus es fratrem tuum.* Prov. 11. 13. *Ambulans cum detractione revelat arcanum: at fidus animo teget rem.*

IX. Sermo dicax & aculeatus. Epheſ. 5. 3. *Scortatio verò & omnis impuritas ne nominator quidem inter vos, &c.* 4. *Et obſcænitas, & ſtultiloquium, &* [εὐτραπελία] id eſt, dicacitas, *quæ non conveniunt, ſed potius*

tius gratiarum actio. Ioh.9.34. *Reſponderunt & dixerunt ei; tu in peccatis natus es totus, & tu doces nos? Et eiecerunt eum foras.* Hic εὐτραπελία, quæ Ariſtoteli virtus eſt, apud Paulum inter vitia numeratur. Et rectè quidem. I. Facetiæ quæ jactantur in alios, ſunt ad quærendam voluptatem cum aliorum offenſione. II. Difficile eſt efficere, vt conveniant cum Chriſtiana pietate & gravitate. *Obiect.* Salſè dicta in Scripturis occurrunt, vt 1.Reg.18.27.2.Reg.2.23.Eſa.14.11. *Reſp.* Non dicuntur iſta ad aliorum voluptatem, ſed graviter & acerbè in inimicos ad Dei gloriam pronunciantur.

X. Adulatio, qua plus quàm par eſt, proximo tribuitur. Prov.27.6. *Fidelia ſunt vulnera amici, deprecanda verò oſcula oſoris.* 14. *Ei, qui benedicit amico ſuo voce magna, manè tempeſtivè ſurgendo, maledictio imputabitur ei.* Act.12.22. *Populus verò acclamabat, vox Dei & non hominis.* Horrendum eſt peccatum in miniſtris verbi. 1.Theſſ.5. *Neq; enim vnquam* ſermone aſſentatorio *vſi ſumus, ſicut noſtis: neq; avaritiæ cauſa quicquam prætexuimus, Deus teſtis eſt.* Ier.6.13. *Nam à minimo eorum vſq; ad maximum eorū, quiſquis eſt, deditus eſt quæſtui. Etiam tum Propheta, tum ſacerdos, quiſquis eſt, agit falsò.* 14. *Nam curant contritionem filiæ populi mei, ſecundum curationem mali leviculi, dicendo:* Pax, pax, *etſi nulla eſt pax.* Rom.16.18. *Nam qui eiuſmodi ſunt, Domino noſtro Ieſu Chriſtro non ſerviunt, ſed ſuo ventri, & per blandiloquentiam, & aſſentationem corda hominum minimè malorum ſeducunt.*

Præfidens & ſtulta gloriatio. Prov.27.1. *Ne glorieris*

eris de die craſtino, quia neſcis quid pariturus ſit dies. 7. *Laudet te os extranei*, non autem os tuum, *alieni non autem labia tua.*

Pars affirmativa.

Conſervato bonū nomen proximi.

Eccles. 7. 1. *Melior eſt homini fama vnguento optimo.* Hic jubentur.

I. Gaudium de bona proximi exiſtimatione. Galat. 5. 22. *At fructus ſpiritus eſt charitas, gaudium, pax, lenitas.* Rom. 1. 8. *In primis quidem gratias ago Deo meo per* Ieſum *Chriſtum ſuper omnibus vobis, quod fides veſtra annuntiatur in toto mundo.*

II. Bonum in quocunque fuerit, agnoſcere libenter, idq́ue tantùm in ſermone prædicare. Tit. 3. 2. *Ne cuius famam lædat, vt ſint à pugnis alieni, moderati, omnem exhibentes lenitatem erga quoſvis homines.* Præterea narrationes de bono proximi cupidiſſimè recipiendæ. Act. 16. 1. *Pervenit autem Derben & Lyſtram, & ecce diſcipulus quidam erat illic nomine Timotheus filius mulieris cuiuſdam Iudææ fidelis, cæterùm patre Græco,* 2. *Huic dabant teſtimonium fratres qui Lyſtris erant Iconij.* 3. *Eum itaq́; voluit* Paulus *ſecum proficiſci, & aſſumptum eum circumcîdit, &c.* Hoc verò ſic agendum eſt, vt vitia hominum interim non probentur. 2. Chron. 25. 2. *Fecitq́; quod rectum videtur in oculis Iehovæ, ſed* non animo integro. & 27. 2. *Et fecit quod rectum videtur in oculis Iehovæ, omninò prout fecerat Ozia pater ipſius,* tantummodo non eſt ingreſſus templum Iehovæ, *ſed adhuc populus corrūpebat ſe.*

III. Malum ambiguum exponere in meliorem partem. 1.Cor.13.5. *Charitas non cogitat malum.* 7. *Omnia credit, omnia ſperat.* Gene.37.31. *Tum acceperunt tunicam Ioſephi, & iugulantes hircum lactantem, intinxerunt tunicam illam ſanguine eius.* 32. *Poſtea miſerunt tunicam illam verſicolorem, & curantes, vt ferretur ad patrem ſuum dixerunt: hanc invenimus, agnoſce vtrum hæc tunica filij tui ſit, necne.* 33. *Ille verò agnoſcens eam, dixit,* T*unica filij mei eſt,* beſtia mala devoravit eum, *omninòque diſcerptus eſt* I*oſeph.* Notanda etiam pietas Ioſephi, qui, vbi gravidatã vidit Mariam, exiſtimare maluit eam ante ſponſalia ex fornicatione, quam poſt ſponſalia ex adulterio fuiſſe gravidam. Matth.1.19. Interim vitanda eſt nimia credulitas. Ioh.2.24. *Ipſe Ieſus non credebat ijs ſemetipſum, eò quod noſcet omnes.*

IIII. Malum ſuſurris hominum quaſi canalibus in vulgus emanans non recipere. Pſal.15.3. *Non obtrectat lingua ſua, non afficit proximum ſuum malo.* Ier. 40.14. *Dixerunt ei: an omnino noſti Baaliſum regem Hammonitarum mittere Iſmaelem filium Nethaniæ ad percutiendum te lethaliter: ſed non credidit eis Gedalia filius Ahikami.* 16. *Dixit Gedalia filijs Ahikami: Iochanani filio* T*harechi, ne feceris rem hanc, nam falſum loquaris contra Iſmaelem.* Atque ſuſurronibus etiam ſubiraſci debemus. Prov. 25.23. *Vt caçias gignit pluviam, ita vultum indignabundum lingua ſimulantis.*

V. Erratum proximi ſecretum, ſi non eſt neceſſariò narrandum, celare. Prov.10.12. *Odium excitat*

citat contentiones, omnes verò defectiones obtegit charitas. Matt. 1. 19. *Porro Ioſeph vir eius,* cum eſſet iuſtus, *& noluit eam ignominiæ exponere, voluit clam eam dimittere.*

Si quis ſenſerit hac ratione communicare nos aliorum peccatis, ſciendum eſt, occultandos eſſe defectus proximi, ne irritetur: interim admonendus eſt, vt corrigatur. Gal. 6. 1. Iacob. 5. 9. *Fratres, ſiquis inter vos aberraverit à veritate, & converterit eum quiſpiam,* 20. *Sciat eum qui averterit peccatorem ab errore vitæ ſuæ,* ſervaturum animam *à morte, &* obtecturum *multitudinem peccatorum.*

Sin verò malum occultatum tolli non poſſit, tum ex amore narrandum eis à quibus tollatur. Gen. 37. 2. I*oſeph natus ſeptemdecim annos degebat paſcens cum fratribus ſuis gregem (erat enim puer) cum filiis Bilhæ, & cum filiis* Zilpæ *vxorem patris ſui:* referebatque Ioſeph *famam eorum malam ad patrem ipſorum.* 1. Cor. 1. 11. *Declaratum eſt mihi de vobis fratres mei, à domeſticis Chloes, quòd lites ſint inter vos.* Matt. 18. 16. *Sin verò te non audierit, accipe tecum adhuc vnum aut duos: vt in ore duorum, aut trium teſtium ſtabile ſit omne verbum.*

VI. Parare bonam exiſtimationem apud homines, vel partam conſervare. Phil. 4 8. *Quod reliquum eſt, fratres, quæcunque ſunt vera, quæcunque veneranda, quæcunque iuſta, quæcunque pura, quæcunque amabilia,* quæcunque boni nominis, *ſiqua virtus, & ſiqua laus eſt, hæc cogitate.* Bona exiſtimatio paratur. I. Si quærentes præ omnibus regnum Dei, de peccatis omni-

omnibus reſipiſcamus, & ſerium pietatis ſtudium amplectamur. Prov. 10.7. *Memoria iuſti eſt benedicta: nomen autem improborum* putridum *eſt*. Marc. 14.9. *Amen dico vobis: vbicunq; prædicatum fuerit evangelium hoc in toto mundo, etiam id quod iſta fecerit, dicetur in memoriam ipſius.* *II.* Curandum eſt, vt de aliis benè ſentiamus & loquamur. Matt. 7.2. *Quo iudicio iudicatis, iudicabimini.* Eccleſ. 7.23. *Etiam ad omnia verba quæ dicuntur, ne adhibito animum tuum, quum non debeas audire, vel ſervum tuum maledicentem tibi. Nam etiam multoties conſcius eſt animus tuus, te quoque maledixiſſe alijs.* *III.* Abſtinendum ab omni ſpecie mali: nam vitium vel vnicum, bonum nomen obſcurabit. Eccleſ. 10.1. *Vt muſcarum mortuarum vna efficit vt fœtorem eructet vnguentum pigmentarij. Similiter precioſum nomine ſapientiæ & gloriæ virum, vt fœtidũ efficit ſtoliditatis parum.* *IIII.* Gloria Dei tantùm, non noſtra in omnibus obnixè quærenda. Mat. 6.5. *Et cum precaris, ne ſis vt hypocritæ: amant enim in conventibus & in angiportis platearum ſtando precari, vt appareat hominibus. Amen dico vobis, eos referre mercedem ſuam. 6. Tu verò cum precaris, introito in conclave tuum, & clauſo oſtio tuo, precare patrem tuum qui eſt in occulto, & pater tuus qui te aſpicit in occulto, reddet tibi in propatulo.* Nobis autem gloriam Dei ſectantibus, ſi laus & teſtimonium proborum & prudentum hominum accedat operi noſtro, non eſt contemnendum. Sin fuerit, æquè ferendum. 2. Cor. 1.12. *Nam gloriatio noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ, quòd cum ſimplicitate, & ſinceri-*

ſinceritate Dei non cum ſapientia carnali, ſed cum gratia Dei verſati ſumus in mundo, potiſſimum autem apud vos, & 10. 13. *At nos non gloriabimur de eis, quæ menſuræ noſtræ non ſint, ſed ſecundum dimenſionem regularem eius menſuræ quam Deus nobis diſpertitus eſt, gloriabimur nos perveniſſe ad vos etiam vſque.* Pſal. 16. 6. *Iehova portio prædij mei, & poculi mei: tu ſuſtentas ſortem meam, funiculi acciderunt mihi in locis amœniſſimis: Etiam poſſeſſio & elegantiſſima, quæ obtigit mihi.* 1. Cor. 1. 31. *Qui gloriatur, in Domino glorietur.*

CAP. 29.

De Mandato decimo.

MAndatum decimum eſt, de concupiſcentiis, quæ ſunt contra proximum. Verba ſunt:

Ne concupiſcito domum proximi tui, ne concupiſcito vxorem proximi tui, aut ſervum eius, aut ancillam eius, aut bovem eius, aut aſinum eius, denique quicquid eſt proximi tui.

Analyſis.

Analyſis.

Concupiſcito.] Cogitatio vel motio cordis triplex eſt. Prima eſt ſubita, quæ injecta animis noſtris à Satana, citò prætervolat eos, neque recipitur. Hæc peccatum non eſt in nobis. Nam in Chriſto fuit, quãdo eum tentavit Satanas. Mat. 4. 1. Secunda eſt, motio vel cogitatio aliquantùm permanens, quæ pectus interno gaudio titillat tantùm & ineſcat. Tertia, eſt cogitatio voluntatis plenum conſenſum eliciens. De ſecundo genere cogitationum, intelligendum eſt hoc mandatum; de tertio verò, ea quinque mandata, quæ proximè præcedunt.

Concupiſcere ergo eſt, intus cogitare, & appetere aliquid quod proximo ſit noxium, ſic tamen vt nullus ad perpetrandum id malum voluntatis conſenſus acceſſerit. Nam ipſi philoſophi avaritiam cordis & legum civilium latores, mali propoſitum cum aperta deliberatione coniunctum arguunt. Concupiſcentia verò, quæ hic prohibetur, abdita magis & occulta eſt, quia omninò non fuit Paulo legis doctori nota. Rom. 7. 7. Deindè, niſi concupiſcentia præcedens conſenſum in hoc mandato prohibeatur, magna fuerit Decalogi confuſio. Nam ſeptimum mandatum, quandam etiam vxoris proximi concupiſcentiam redarguit. Matt. 5. 28.

Domum] Illuſtratio mandati è diſtributione ſubiectorum, ex qua liquet concupiſcentiam malam hic tantùm damnari. Coloſſ. 3. 5. Quædam enim eſt permiſſa & per ſe bona: vt deſiderium cibi & potionis,

&

& etiam concupiſcentia ſpiritus. Galat. 5. 17. *Spiritus concupiſcit adverſus carnem.*

Pars negativa.

Ne concupiſcito rem proximi.

Hic prohibentur,

I. Ipſa concupiſcentia, id eſt, originalis corruptio, quatenus ea noxia eſt proximo. Iacob. 1. 14.

II. Prava quævis & ſubita cogitatio & paſſio cordis, quæ naſcitur ex concupiſcentia. Galat. 5. 17. *Nam caro concupiſcit adverſus ſpiritum.* Luc. 10. 27. *Deus diligendus eſt ex tota cogitatione.* Huc pertinet ſuggeſtio Satanæ, ſi oblata recipiatur & inhæreat.

IIII. Cogitatio & motio quævis, delectans quidem & titillans cor, ſed non eliciens conſenſum. *Ibidem.* Huc pertinent ſtultorum vota: vtinam hæc domus eſſet mea; vtinam, &c. Huiuſque loci ſunt inſomnia libidinoſa, ſimodò extiterint ex impetu concupiſcentiæ.

Pars affirmativa.

Concupiſcito id tantum, quod eſt in bonum proximi.

Hic iubentur.

I. Purum cor erga proximum. 1. Tim. 1. 5. *Porro*

rò fine mandati, eſt charitas ex puro corde, & conſcientia bona, & fide non ſimulata.

II. Sanctæ cogitationes & motiones ſpiritus. 1. Theſſ. 5. 23. *Paulus precatur, vt Theſſalonicenſes ſancti ſint, non ſolum anima & corpore, ſed etiam* ſpiritu. Epheſ. 4. 23.

III. Lucta contra pravos appetitus. Rom. 7. 22. *Delector lege Dei, quod ad interiorem hominem.* 23. *Sed video aliam legem in membris meis rebellantem legi mentis meæ, & captivum reddentem me legi peccati, quæ eſt in membris meis,* 24. *Miſer ego homo, quis me eripiet ex iſto corpore mortis?* 2. Cor. 12. 7, 8, 9.

CAP. 30.

De vſu legis.

VSus legis in hominibus non renatis triplex eſt. Primus eſt oſtendere peccatum. Rom. 3. 20. *Propterea ex operibus legis nulla caro iuſtificabitur in conſpectu eius: per legem enim* agnitio peccati.

Secundus, operari & augere peccatum per accidens, gratia carnis, qua nitimur in vetitum ſemper, cupimuſq; negata. Rom. 7. 8. *Sed peccatum occaſione ſumpta genuit in me omnem cupiditatem per illud mandatum: nam abſq; lege peccatum eſt mortuum.* 9. *Ego enim vivus eram ſine lege quondam: mandato autem illius adventu peccatum* revixit. 10. *At ego mortuus ſum, & repertum eſt illud mandatū, quòd erat ad vitam, mihi cedere ad mortem.*

Tertius, denunciare æternam damnationem ob inobe-

inobedientiam vel minimam, nulla ſalutis oblata ſpe. Hæc enim ſententia legis eſt, per quam minando, & terrendo regnat in hominibus. Rom. 3. 19. *Scimus autem quæcunque lex dicit, eis qui in lege ſunt dicere, vt omne os obturetur & obnoxius fiat totus mundus condemnationi Dei.* Galat. 3. 10. *Nam quotquot ex operibus legis ſunt, ſub execratione ſunt. Scriptum eſt enim, execrabilis quiſquis non manſerit in omnibus quæ ſcripta ſunt in libro legis, vt faciat ea.* 2. Cor. 3. 7. *Quod ſi mortis miniſterium literis informatum in ſaxis fuit glorioſum, &c.* 8. *Qui non potius miniſterium Spiritus erit glorioſum?* 9. *Nam ſi miniſterium condemnationis fuit glorioſum, &c.*

Legis in homine regnantis finis eſt, vt peccatores ad Chriſtum vrgeantur. Galat. 3. 22. *Sed concluſit Scriptura omnia ſub peccato, vt promiſſio ex fide Ieſu Chriſti daretur credentibus.* 24. *Itaque Lex pædagogus noſter fuit in Chriſtum.* Hebr. 12. 18, 19, 20.

Huius regni duratio eſt æterna, niſi in hac vita peccator reſipiſcentiam agat: ad cuius primum actum ita deſinit, vt is ſub lege non ſit amplius ſed ſub gratia. 2. Sam. 12. 13. *Tum dixit David Nathanı, Peccavi Iehovæ; Quapropter dixit Nathan Davidi: Etiam Iehova tranſtulit peccatum tuum, non es moriturus.* Rom. 6. 14. *Peccatum enim vobis non dominabitur; Non enim eſtis ſub lege ſed ſub gratia.* Itaq; ſi vitā æternā ſeriò exoptas, primū te viaſq; tuas debes excutere per ſingula mandata legis, tum vbi noveris peccata, ob oculos ponenda eſt maledictio peccatis debita,

debita, vt tuam miſeriam deflens, & vires (quod ad ſalutem attinet) omninò deſperans, teipſum abrenunties, & ad Chriſtum Ieſum quærendum,& expetendum inciteris.

Vſus legis in renatis longe eſt alius; nimirum eos dirigere ad novam obedientiam in omni vita, acceptam quidem eam Deo per Chriſtum. Rom. 3. 31. *Legem igitur inanem reddimus per fidem? Abſit, imò legem* ſtabilimus. Pſal. 119. 24. *Teſtimonia tua oblectationes meæ ſunt, homines conſilij mei.* 105. Lucerna *pedi meo verbum tuum eſt,&* lux *itineri meo.*

CAP. 31.

De fœdere Gratiæ.

HActenus de fœdere operum, & de lege. Sequitur fœdus gratiæ.

Fœdus gratiæ eſt, quo Deus Chriſtum ipſum eiuſq; beneficia gratis promittens, a fœderato viciſſim exigit, vt fide Chriſtum recipiat, & reſipiſcat. Hoſe. 2. 16. *Et pangam pro ipſis fœdus die illo cum beſtijs agri, & cum avibus cœli, reptilibusq; terræ, & arcum gladiumq; ac bellum confringens è terra, faciem vt iaceat ſecurè.* 19. *Et* deſponſabo *te mihi in ſeculum: deſponſabo te, inquam, mihi iuſticia, iudicioq;, & benignitate ac miſericordia.* 20. *Et deſponſabo te mihi fide, vt agnoſcas* Iehovam. Ezech. 36. 23. *Et* aſpergens vos aquis mundis, *vt mundemini ab omnibus impuritatibus veſtris, & ab omnibus ſtercoreis dijs veſtris mundabo vos.* 26. *Et* dabo vobis cor novum, *&*

ſpiritum

ſpiritum novum ponam in medio veſtri, & amovens cor lapideum e carne veſtra indam vobis cor carneum. 27. *Et ſpiritum meum ponam in medio veſtri, quo faciam vt in ſtatutis meis ambuletis.* Mal. 3. 1. *Repentè veniet in templum ſuum Dominus, quem vos quæritis, &* Angelus fœderis *quo vos delectamini: Ecce venturus eſt, ait Iehova exercituum.*

Hoc fœdus, teſtamentum etiam appellatur. Habet enim ex parte naturam & proprietates teſtamenti. Nam primò morte teſtatoris confirmatur. Hebr. 9. 16. *Nam vbi teſtamentum eſt, mors intercedat neceſſe eſt teſtatoris.* 17. *Teſtamentum enim in mortuis ratum eſt, quandòquidem nondum valet, cùm vivit teſtator.* 22. *Et omnia ferè ſecundum legem ſanguine purificantur, & abſq; ſanguinis effuſione non ſit remiſſio.* Secundò, hoc fœdere non tantùm nos aliquid Deo offerimus, aut magnum quid pollicemur, ſed penè tantùm accipimus. Sicut in teſtamento non teſtatoris, ſed hæredum commodum agitur.

Fœdus, vtcunque ſubſtantia vnicum ſit, tamen diſtinguitur in vetus & novum. Vetus teſtamentum ſeu fœdus eſt, quod Chriſtum exhibendum typis & vmbris proponit.

Fœdus novum eſt, de Chriſto in carne exhibito: & explicatur apertiſſimè in Evangelio.

Evangelium eſt pars verbi Dei, optimum fœliciſſimumque nuncium continens, nempè, genus humanum per mortem Ieſu Chriſti vnigeniti filii Dei in carne manifeſtati, plenè redemptum eſſe, ita vt cũctis hominibus (modò reſipiſcant & credant in Chri-

ſtum Ieſum) parata ſit pleniſſima omnium omninò peccatorum remiſſio, ſalus, & vita æterna. Ioh. 3. 14. *Prout autem Moſes extulit ſerpentem in deſerto, ita extolli oportet filium hominis.* 15. *Vt quiſquis credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.* 16. *Ita enim Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum dederit, vt quiſquis credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Act. 10. 43. *Huic omnes Prophetæ teſtimonium dant: remiſſionem peccatorum accepturum per nomen eius quemvis, qui crediderit in eum.*

Evangelii finis & vſus eſt. Primò, oſtendere iuſtitiam eam in Chriſto, qua tum legi plenè ſatisfiat, tum obtineatur ſalus. Secundò, Spiritus ſancti organum, & quaſi canalem eſſe, in quo efficaciam ſuam exerat in fide gignenda, per quam credentes Chriſti iuſtitiam apprehendant. Rom. 1. 16. *Non enim me pudet Evangelij Chriſti,* potentia *ſiquidem eſt Dei ad ſalutem cuivis credenti, Iudæo inprimis, tum etiam Græco.* 17. *Iuſtitia enim Dei per illud retegitur ex fide in fidem.* Iſa. 53. 1. *Quis credit prædicationi noſtræ? &* brachium Iehovæ *in quo revelatur?* Ioh. 6. 63. *Spiritus eſt qui vivificat: caro non prodeſt quicquam: verba quæ ego loquor vobis,* ſpiritus ſunt & vita *ſunt.* 1. Cor. 1. 21. *Placuit Deo per ſtultam prædicationem ſervare credentes.*

Evangelium in Eccleſia florente, prædicatum: eâdem verò ob communem apoſtaſiam collapſa & iacente, idem Evangelium narratum, & recitatum, eiuſque percepto vel ſono extra ordinem efficax eſt ope ſpiritus ſancti. Rom. 10. 14. *Quomodo igitur invocabunt eum, in quem non crediderint? Quomodo autem*

tem credent ei, de quo non audierint? Quomodo autem audient abſque prædicante? Act. 11. 19. *Illi porrò qui diſperſi fuerant oppreſſione orta ob Stephanum, pervenerunt vſque in Phœniciam & Cyprum, & Antiochiam, nemini loquentes ſermonem Dei niſi ſolis Iudæis.* 20. *Quidam autem ex eis Cypræi & Cyrenſes, cum introiſſent Antiochiam, loquuti ſunt Græcis, evangelizantes Dominum Ieſum.* 21. Fuit autem manus Domini cum eis, *multuſq; numerus credentium converſus eſt ad Deum.* Ioh. 4. 28. *Reliquit ergo hydriam ſuam mulier & abijt in vrbem, dixitq; eius loci hominibus,* 29. *Venite, videte hominem, qui dixit mihi quæcunque feci; num iſte eſt Chriſtus?* 30. *Exierunt ergo ex vrbe, & venerunt ad eum.* 42. *Et mulieri dicebant: non amplius* propter tuos ſermones credimus: *ipſi enim audivimus, & ſcimus hunc eſſe verè ſervatorem illum mundi Chriſtum.* Rom. 10. 18. *Sed (inquam) an non audierunt, imò verò in omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terrarum verba eorum.* Hinc apparet multos è patribus noſtris in medio papatu ſalutem adeptos eſſe. Apoc. 12. 17. *Iratus eſt draco adverſus mulierem, & abijt vt gereret bellum cum reliquis ex ſemine eius, cuſtodientibus mandata Dei, & habentibus teſtimonium Ieſu Chriſti.* Rom. 11. 4. *Sed quid dicit ei divinum reſponſum? feci vt remanſerint mihi* ſeptem millia virorum, *qui non flexerunt genu imagini Baal.*

CAP. 32.

De Sacramentis.

HVcuſque de prædicatione verbi. Sequuntur eius appendices, nimirum Sacramenta.

Sacramentum eſt, quo per certos externos ritus, Chriſtus eiuſq; gratiç ſalutiferç Chriſtiano ſignificantur, præbentur, obſignantur. Rom. 4. 11. *Et* ſignũ *accepit circumciſionis, quòd* obſignaret iuſtitiam fidei, *quæ fuerat in præputio.* Gene. 17. 11. *Circumcidêtis igitur carnem præputij veſtri, vt ſit* ſignum fœderis *inter me & vos.*

Author Sacramenti ſolus Deus. Signum enim haud quicquam poteſt confirmare, niſi ex conſenſu & promiſſione eius, à quo bonum promiſſum accipiendum. Ergo ſigna gratiæ Deus tantùm inſtituit, in cuius poteſtate tantùm eſt gratiam dare.

Conſtituit autem Deus Sacramentum verbo Sacramentali; vt Auguſtinus inquit, *Accedat verbum ad elementum, & fit Sacramentum.* Verbum Sacramentale eſt verbum inſtitutionis, quod Dominus alio atque alio modo in quolibet Sacramento propoſuit. Verbi duæ partes; Mandatum, & Promiſſio. Mandatum, quo iubet Deus Sacramenta adminiſtrari & recipi: vt in Baptiſmo. *Ite in vniverſum mundum, baptizantes eos in nomine, &c.* In cœna; *Accipite, comedite, bibite, hoc facite.* Promiſſio eſt reliqua pars inſtitutionis, qua Deus elementa ordinavit, vt ſint inſtrumenta & ſigilla gratiæ; vt in Baptiſmo, *Ego bapti-*

zo te in nomine Patris, Filij, & Spiritus Sancti. In Cœna; *Hoc eſt Corpus meum quod pro vobis traditur. Hoc eſt ſanguis meus novi* T*eſtamenti.* Hoc ergo verbum in adminiſtratione Sacram. recitandum clara voce & prout fuerit opus, explicandum; vt omnes ſcire & intelligere Dei mandatum & promiſſionem poſſint, ad quos ea pertinent.

Et hinc etiam liquet impietatem miniſtri, Sacramentum irritum non facere vel obeſſe bene recipienti; vt nec male recipienti prodeſſe miniſtri pietatem; quia dignitas omnis & vis illius ab inſtitutione Dei pendet, modo illa ſervetur.

Sacramenti partes ſunt Symbolum, & Res ſacramenti.

Symbolum eſt, Materia ſenſibilis; vel Actio circa eandem.

Materia ſenſibilis communiter ſignum appellatur. Signi mutatio non eſt Phyſica, ſecundum rei ſubſtantiam; ſed relativa, ſecundum vſum. *S*egregatur enim ab vſu communi ad ſacrum. Ergo non eſt vis aliqua & efficacia ſanctificandi inhærens vel alligata externis ſignis: ſicut vis abſtergendi inſita eſt aquis Thermarum: ſed vis ea Spiritus ſancti propria eſt; & veram fidem ſeu converſionem inſeperabiliter ſequitur, & converſis vna cum ſigno exhibetur: vnde ſignificatio quædam gratiæ & obſignatio ex divina ordinatione ſigno convenit.

Res Sacramenti eſt, vel Chriſtus, & illius pro nobis gratiæ; vel actio circa eundem.

Chriſtum dico, & eius deinde gratias; quia nemo

recepit gratiam à Chriſto, niſi veri corporis & ſanguinis illius particeps fiat: ſicut etiam nemo habet jus auferēdi fructum ex agro, niſi primò habeat jus in ipſum agrum.

Actio circa Chriſtum eſt Spiritualis; eſtq; vel Dei, vel fidei.

Actio Dei eſt, vel Oblatio, vel Applicatio Chriſti, & gratiarum eius fidelibus.

Actio fidei eſt, Conſideratio, Expetitio, Apprehenſio, Receptio Chriſti, in vſu Sacramenti legitimo.

Hæc de partibus Sacramenti. Sequitur partium Vnio.

Vnio Sacramentalis I. non eſt Phyſica ſecundum locum: non eſt enim vlla mutatio ſigni in ſignatum, vel ſignati incluſio aut affixio ad ſignum. II. Sed relativa eſt: quia externorum cum internis, id eſt, rerum cum rebus, actionum cum actionibus σχέσις quædam & proportio eſt; per quam fit, quòd ſigna tanquam verba quædam viſibilia in ſenſus externos incurrentia Chriſtianum animum analogia quadam ad conſiderandas res ſignificatas & applicandas traducunt.

Ex hac relatione Sacramentali oriuntur frequentes Metonymicæ locutiones, quæ ſunt, quando aliud de alio in Sacramentis prædicatur. Nam I. Signi nomen prædicatur de re ſignificata. Exod. 12. 11. *Sed comedetis eam*, (id eſt, parvam pecudem) *cum feſtinatione, Peſach eſt Iehovæ*. Ioh. 6. 51. *Ego ſum panis vi-*

vivificus, qui è cœlo deſcendi: ſi quis ederit ex hoc pane, vivet in æternum: & panis quem ego dabo caro mea eſt. Quam ego dabo pro mundi vita. 1. Cor. 5. 7. *Paſcha noſtrum pro nobis ſacrificatum eſt, nempe Chriſtus.* 1. Cor. 10. 17. *Quoniam vnus panis, vnum corpus multi ſumus: nam omnes vnius panis ſimus participes.* II. Rei internæ nomen de ſigno prædicatur. Vt, Panis eſt corpus Chriſti; poculum eſt ſanguis Chriſti. 1. Corinth. 11. 24. Matth. 26. 28. III. Signo attribuitur effectum rei ſignificatæ. Vt, *Circumciſio eſt fœdus.* Gene. 17. 10. Act. 7. 8. *Poculum eſt novum fœdus in ſanguine Chriſti.* Luc. 22. 16. *Baptiſmum lavacrum eſt.* Tit. 3. 5. IIII. Proprium ſigni rei ſignificatæ tribuitur. Deut. 10. 6. *Circumcidite præputium cordis.* Ioh. 6. 53. *Niſi comederitis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habetis vitam in vobis.*

Finis Sacramenti inſtituendi eſt, vt ſit, I. Confirmatio fidei. Hoe enim velut pignoribus datis ex miſericordia ſe nobis obſtringit Deus. Confirmat verò fidem Sacramentum, non inſita & propria vi, vt medicamentum receptum, ſive dormias aut vigiles confirmat valetudinem; ſed ratiocinando, vel in vſu ſignorum, Spiritu Sancto talem in corde diſcurſum movente. *Omnes converſi rectè vtentes Sacramentis recipient Chriſtum & eius gratias; ex Dei promiſſo: ego converſus rectè his vtor, vel vſus ſum: ego idcirco recipiam Chriſtum & eius gratias.* II. Teſſera & nota profeſſionis,

qua vera Dei Eccleſia ab aliis cœtibus diſtinguitur. III. Medium conſervationis & propagationis doctrinæ Evangelii. IIII. Obligatio fidelium ad præſtandam fidem & gratitudinem erga Deum. V. Vinculum amoris mutui inter fideles.

Neceſſitas Sacramenti. Fœdus gratiæ abſolutè neceſſarium eſt ad ſalutem: nam eo comprehendi & Chriſtum Ieſum ipſam fœderis ſubſtantiam recipere eſt neceſſe, vel perire. Sacramentum verò neceſſarium non eſt abſolutè, ſed tantùm ex parte vt fulcrum & adminiculum fidei. Non enim jus æternæ vitæ nobis dat ſicut fœdus, ſed iam propter fidem antegredientem datum, obſignat: vt in humanis contractibus obligatio naſcitur ex mutuo partium conſenſu: inſtrumentum verò contractus, & ſigilli appenſio obligationem non faciunt, ſed confirmant: & manente conſenſu mutuo contractus ratus eſt & firmus, quamvis inſtrumentum vel ſigillum defuerit.

Ergo non privatio Sacramenti damnat, ſed contemptus. Privatio eſt, quando iuſtum impedimentum excludit nos ab vſu Sacramenti; vt ſi quis morte præveniatur, vel in iis ſit locis vbi Sacramentum haberi non poteſt. De neglectu etiam Sacramenti vtcunque grave peccatum ſit, ſi accedat pænitentia, venia ſperanda eſt.

Sanctus vſus Sacramenti eſt, quando verè converſi, ritibus, quos Deus præſcripſit, ad veros eiuſdem fines vtuntur. Ergo, I. Reprobi, præbente Deo integrum Sacramentum, accipiunt ſigna non ſignatum, quia ſignum extra legitimum vſum, recipienti ratio-

rationem Sacramenti non habet. Sic Paulus, *circumciſio prodeſt, ſi legem obſerves: ſi autem prævaricator legis es, circumciſio tua fit præputium.* Similiter Auguſt. *Si carnalitèr accipis, ſpirituale eſſe non deſinit, ſed tibi non eſt.* II. Electi nondum converſi ſigna recipiunt non ſignatum: ſic tamen vt Sacramenti fructus conſequetur. Nam ante converſionem acceptum Sacramentum, poſtea pœnitentiam agentibus eſt ratum & ſalutare: & vſus eius qui primo fuit illegitimus tum demum fit legitimus. III. Electi converſi recipiunt ſignum & ſignatum ſimul ad ſalutem: ita tamen, vt propter indignam receptionem quæ per defectus varios & lapſus evenit, ferant temporale judicium.

Differentia Sacrificii, & Sacramenti. In Sacramento confert nobis Deus gratiam ſuam. In Sacrificio reddimus nos Deo & fidem & obedientiam.

Differentia Sacramentorum veteris & novi Teſtamenti. I. Illa plura; hæc pauciora. II. Illa Chriſtum exhibendum ſignificabat; hæc exhibitum. III. Illa propria fuerunt poſteritatis Abrahæ; hæc communia totius Eccleſiæ ex Iudæis & Gentibus collectæ.

CAP. 33.

De Baptiſmo.

SAcramenta duo ſunt. 1. Cor. 10. 1. *Nolim autem vos ignorare, fratres, patres noſtros omnes ſub illa nube fuiſſe, & omnes per mare tranſiviſſe, 2. Et. omnes*

omnes in Moſem baptizatos eſſe nube & mari, 3. *Et omnes eandem eſcam ſpiritualem ediſſe.* 4. *Et omnes eundem potum ſpiritualem bibiſſe : bibebant enim ex ſequente ſpirituali petra: Petra verò erat Chriſtus.* Tertull.lib.4.contra Marcion. Auguſt.de Symbol.ad Catechum.lib. 4.cap.6.

Primum eſt,quo obſignatur admiſſio in Eccleſiam Dei, & eſt Baptiſmus. Alterum eſt, quo fit perpetua conſervatio & nutritio in eadem Eccleſia,id eſt, Cœna Dominica.

Baptiſmus eſt Sacramentum, quo fœderati abluuntur aqua, in nomen (vel nomine) Patris, Filii, & Spiritus ſancti; vt Chriſto inſiti cum eo communionem habeant in æternum. Matth. 28. 19. *Profecti ergo docete omnes gentes, baptizantes eos, in nomine Patris, Filij, & Spiritus ſancti.* Mar. 16. 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſervabitur: qui non crediderit, condemnabitur.* 1. Cor. 1. 13. *Num diſpertitus eſt Chriſtus? Num Paulus crucifixus eſt pro vobis? aut* in nomen Pauli baptizati *fuiſtis?* 14. *Gratias ago Deo meo, quod neminem veſtrum baptizaverim, niſi Chriſpum & Gaium.* 15. *Vt nequis dicat me in meum nomen baptizaſſe.*

Fœderati ſunt vniverſum Abrahæ,vel fidelium ſemen; iiq; ſunt vel adulti,vel infantes.

Adulti ſunt, qui adiungentes ſe viſibili Eccleſiæ Dei, & reſipiſcentiam teſtantur, & doctrinam eius fundamentalem recipiunt. Matth. 3. 6. *Et baptizabantur ab eo in Iordane,* confitentes peccata *ſua.* Act. 8. 35. *Tum Philippus aperto ore ſuo, & incipiens à ſcriptura*

tura iſta, evangelizavit ei Ieſum. 36. *Cum verò pergerent in via, venerunt ad quandam aquam; tum ait Eunuchus, en aquam: Quis prohibet me baptizari?* 37. *Dixit verò Philippus:* ſi credis *ex toto corde, licet. Reſpondens autem ille, dixit: Credo filium Dei eſſe Ieſum Chriſtum.* Exod. 12 48. *Quod ſi peregrinabitur apud te peregrinus, qui facere voluerit paſcha Iehovæ, circumciditor ei omnis mas, tum demùm accedito ad faciendum ipſum, & eſto ſicut ipſe indigena terræ. At* nullus præputiatus *veſcitor illo.*

Inſantes fœderati, ſunt ex altero ſaltem parente fideli. 1. Cor. 7. 14. *Maritus infidelis ſanctificatus eſt vxori, & vxor infidelis ſanctificata eſt viro: alioqui certè liberi veſtri impuri eſſent: nunc autem* ſancti *ſunt.* Rom. 11. 16. *Quod ſi primitiæ ſanctæ,* ſancta etiam maſſa: *& ſi radix ſancta eſt, etiam rami.* Geneſ. 17. 7. *Stabilio fœdus meum inter me & te, ac ſemen tuum poſt te, &c. me eſſe tibi Deum, & ſemini tuo poſt te.* 13. *Omnino circumciditor natus domi tuæ, & emptus pecunia tua: ſic erit fœdus meum in carne veſtra, in fœdus perpetuum.* Act. 16. 31. *At illi dixerunt: Crede in Dominum Ieſum Chriſtum, & ſervaberis* tu & domus tua.

Ἀπορία. Quomodo ſunt fidelium infantes in fœdere. Λυσις. Sancti parentes duplici modo conſiderandi. I. Quatenus erant filii Adami, & adhuc ſunt ex parte carnales. In hoc ſtatu filios gignunt ſuos, etiam filios iræ. Pater enim gignit filium non quatenus homo bonus, ſed quatenus homo: ideoque impurus impurum. Secundò, Spectandi parentes, vt filii Dei inſiti in

ſecundum

ſecundum Adamum. In hoc ſtatu, quamvis non poſſunt propagare fidem: Filii enim Dei non gignuntur tales, ſed ex gratia Dei Patris adoptuntur: tamen poſſunt credere & ſibi & aliis ex fœderis gratuiti formula: ſicut Adamus peccavit & ſibi & aliis: ſicut etiam in contractibus humanis parentes & ſibi & filiis hæredibus paciſcuntur. Hinc eſt quod Paulus dicit, parentes eſſe inſtar primitiarum quæ ſanctificant totam maſſam. Proinde fides parentum filiis etiam nondum per ætatem actu credentibus conducit ad obtinendum jus fœderis.

Baptizari in nomen Patris, &c. eſt adhibito externo ablutionis ſymbolo, aſcribi in familiam Dei, id eſt, Eccleſiam, eiuſque privilegiis donari. Gene. 48. 16. *Angelus ille, qui vendicat me ab omni malo, benedicat pueris iſtis, &* vocetur in eis nomen meum *& nomen patrum meorum Abraham, & Iſaaki; & fiant vt piſcis in multitudine, in medio huius terræ.* Iſa. 3.28. *Prehendent ſeptem mulieres virum eundem tempore illo, dicendo: Cibum noſtrum comedemus, & veſtimentum noſtrum induemus, tantummodò* invocetur nomen tuum ſuper nos. *Aufer hoc probrum.*

Hinc apparet, in hac Baptiſmi ablutione, mirandam proponi & obſignari ſtipulationem. Primò, Dei cum baptizato, quòd Pater velit eum in gratiam recipere; Filius redimere; Spiritus Sanctus abluere & regenerare. Secundò, baptizati cum Deo, quòd velit neminem agnoſcere, invocare, colere, niſi hunc verum Iehovam, qui eſt Pater, Filius, & Spiritus Sanctus.

Externa

Externa Baptiſmi materia, eſt aqua. Non enim quavis materia, ſed aqua naturali baptizandum eſt. Id veteris Eccleſiæ judicium fuit. Cùm enim quidam miniſter, aqua deficiente, arenam ſumpſiſſet,eaq; quendam baptizaſſet; poſtea repetitus eſt ille Baptiſmus, quaſi nullus prior fuiſſet. *Nicephor. hiſtor. lib. 3. cap. triceſimo tertio.*

Externa baptiſmi forma eſt ablutio baptizati,iuxta præſcriptum verbi Dei, per Miniſtrum verbi facta.Rom.10.14.

Modus abluendi antiquus, fuit per ritum immerſionis, vt docet Paulus ad Romanos capite ſexto, & concilium Laodicenum, & Neocæſarienſe: verum in Eccleſia Chriſtiana, frigidioribus præſertim locis, merſionis loco, aſperſio recepta eſt, ob infantium imbecillam valetudinem: nam pauciſſimi nunc dierum adulti baptizantur. Neque hoc mirum debet videri, mutatum eſſe Sacramentalem ritum: quia charitas & neceſſitas diſpenſant cum ceremoniis, eaſq; ἐπιεικείᾳ quadam temperant.

Vnio ſive συζυγία partium Baptiſmi ſic eſt. Elementum aquæ,quo deterguntur corporis ſordes convenientiſſima analogia adumbrat ſanguinem Chriſti, & per Synecdochen totum Chriſtum. 1.Ioh.1.7. *Sanguis Ieſu Chriſti filij eius* [καθαρίζει] *purgat nos ab omni peccato.*

Actio Miniſtri eſt,Ablutio baptizati elemento aquæ: obſignat actionem Dei duplicem. I. Inſitionem ſive incorporationem in Chriſtum. Galat. 3. 27. *Nam quicunq; in Chriſtum baptizati eſtis, Chri-*

ſtum

ſtum induiſtis. 1. Co. 12. 13. Per vnum ſpiritum nos omnes *in vnum corpus baptizati* ſumus. II. Spiritualem regenerationem. Tit. 3. 5. *Non ex operibus iuſtis quæ fecerimus nos, ſed ex ſua miſericordia ſervavit nos* [διὰ λουτροῦ παλιγγενεσίας] *per lavacrum regenerationis & renovationis ſpiritus ſancti.*

Ablutionis tres partes; Immerſio, Mora in aqua, Emerſio.

Immerſio ſive aquæ aſperſio, obſignat. I. Aſperſionem ſanguinis in remiſſionem omnium peccatorum, & imputationem iuſtitiæ Chriſti. Act. 22. 16. *Surgens baptizator &* abluitor *à peccatis tuis invocato nomine Domini.* 1. Cor. 6. 11. Et *hæc eratis vnuſquiſque, ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed iuſtificati eſtis in nomine Domini Ieſu, & per Spiritum Dei noſtri.* II. Mortificationem peccati, vi mortis Chriſti. Rom. 6. 3. *An ignoratis nos quotquot baptizati ſumus in Chriſtum Ieſum, in mortem eius eſſe baptizatos? 6. Illud ſcientes veterem illum noſtrum hominem cum eo crucifixum eſſe, vt* aboleatur corpus peccati, *ne poſthac nos ſerviamus peccato.*

Mora in aqua obſignat ſepulturam peccati, id eſt, continuam auctionem mortificationis, vi mortis & ſepulturæ Chriſti. Rom. 6. 4. *Sepulti ſumus igitur cum eo per baptizmum in mortem &c.*

Emerſio ex aqua obſignat Spiritualem vivificationem ad novam vitam in omni ſanctitate & iuſtitia, quæ fit vi reſurrectionis Chriſti. Rom. 6. 4. *Sicut excitatus eſt Chriſtus ex mortuis in gloriam Patris: ita & nos nova vita incedamus.* 5. *Nam ſi cum eo*

plantati

Externus Baptiſmus.	Res ſenſibilis		Aqua.	Unio ſigni & rei ſignificatæ.	Sanguis Chriſti, & per Synecdoch. totus Chriſtus.		Res ſpiritualis.	Internus Baptiſmus.
	Actiones ſenſibiles, & externę.	Miniſtri, ablutio ſordium corporis in Nomine, &c.	Aſperſio, vel immerſio in aquam.		1. Remiſſio peccatorum, & imputatio juſtitiæ Chriſti. 2. Mortificatio peccati, vi mortis Chriſti.	Dei, ablutio ſpiritualis, id eſt, regeneratio.	Actiones ſpirituales & internæ	
			Mora in aqua.		Progreſſio & auctio mortificationis.			
			Emerſio ex aqua.		Vivificatio & ſanctificatio vi reſurrectionis Chriſti.			
		Recipientis.	Dare ſe abluendum.		Conſecrare ſe Deo: & diabolo, carni, mundo abrenunciare.	Recipientis.		
			Accipere ablutionem.		Sentire internam ſpiritus ablutionem.			

ſtum ind
omnes *i*
tualem
iuſtis qu
vit nos [d
rationis
Ablut
Emerſio.
Imme
perſione
catorum
16. *Surg*
vocato no
vnuſquiſq
iuſtificati
Dei noſtr
tis Chriſt
baptizati
baptizato
hominem
peccati, *n*
Mora i
continua
ſepulturæ
eo per bapt
Emerſi
tionem a
tia, quæ f
cut excit
ita & no

plantati coaluimus conformatione mortis eius, nimirum etiam reſurrectionis conformatione coaleſcemus.

Actio baptizati duplex. Prima eſt, Siſtere ſe abluendum coram miniſtro & Eccleſia. Significat eum Deo ſe conſecrare: & carni, diabolo, mundo abrenunciare. 1. Pet. 3. 21. *Cui rei nunc reſpondens exemplar baptizmi nos quoque ſervat (non quo carnis ſordes abijciuntur per reſurrectionem Ieſu Chriſti: ſed* ſtipulatio bonæ conſcientiæ *apud Deum.*

Altera eſt, recipere externam aquæ ablutionem: ſignificat, baptizatum recipere internam ablutionem, quæ fit Chriſti ſanguine, vel ſaltem eam offerri.

Iteratio Baptiſmi nullo modo admittenda eſt, vt enim ſemel naturali generatione naſcimur: ita ſemel tantùm renaſcimur. Ideoque qui ab hæretico paſtore nondum depoſito (ſervata forma externa) baptizati ſunt, non ſunt in Eccleſia Dei rebaptizandi: præſertim, ſi poſtea ſacram communionem receperint, ſed tantùm de vera fide docendi ſunt. *Euſeb. Eccleſiaſt. Hiſtor. lib. 7. cap. 8. Erat apud nos frater quidam fidelis antiquitùs, ante etiam quàm ego Epiſcopus ordinarer, imò & antequam deceſſor meus Heraclas: Is cum intereſſet his qui baptizantur, & audiret vel quid interrogentur, vel quid reſpondeant, flens acceſſit ad me, & procidēs ad pedes meos, cōfiteri cæpit ſe baptiſma ab hæreticis aliter ſuſcepiſſe, quod tamē ſecūdū ea quæ nunc videret à nobis miniſtrari, nec baptiſma duceret, eò quod eſſet repleta blaſphemijs omnis illa cōfeſſio: ſimul*

ſimul & hoc addebat, ſe in tantum pro hoc errore ſtimulari, vt ne oculos quidem ad deum auderet erigere: propter quod exorabat ſe mundari, & purificari eccleſiaſtico baptiſmate, vt & gratiam poſſit conſequi ſpiritus Sancti. Quod ego facere auſus non fui, ſed dixi poſſe ei ſufficere tam multi temporis communionem, quam in Eccleſia conſecutus eſt, per hoc, quod à nobis Euchariſtiæ ſuſcipiens donum, Reſponderet Amen: ex quo & per ſingula potuiſſet ipſa Sacramentorum virtute purgari. Cohortabar igitur eum, debere confidere fidei ſuæ, & conſcientiæ iam purgatæ, & ante omnia quod tam diu in Sacramentis nobis iam particeps fuerit. Auguſt. lib. cap. 2. contra Petiliani literas.

Rectus vſus Baptiſmi ſic eſt: Quando intus in corde ſentis irritatis concupiſcentiis inclinare te ad peccatum aliquod, ſancta meditatio habenda eſt de ſolenni voto, quod Deo in Baptiſmo nuncupaſti.

Deinde, ſi ex infirmitate lapſus es vel etiam relapſus, recurre viciſſim ad Baptiſmum, vt illic te colligas, animumq; recipias. Nam in eo ſemel adminiſtrato, peccatorum remiſſio non præteritorum tantùm, ſed etiam præſentium & per omnem vitam futurorum eſt data. 1.Pet.3.20. Ephe.5.25,26,27. Vnde Baptiſmus verè Sacramentum pœnitentiæ dici poteſt, & metuenti naufragium fidei ſcalmus eſt. Marc.1.4. 1.Tim.1.19. Rom.6.4.6.

Tertiò, vide nunquam animo conquieſcas, donec regenerantem vim Baptiſmi ſenſeris, id eſt, efficaciam mortis Chriſti peccatum mortificantis, & reſurrectionis virtutem, in renovatione ſpiritus.

CAP.

CAP. 34.

De Cœna Domini.

COEna Domini eſt Sacramentum, quo adhibito pane & vino, Chriſti *σύμφυτοι* in eodem continuò nutriuntur ad vitam æternam. 1. Cor. 11:23,24,25. Rom. 6.5.

Analogia partium cœnæ Dominicæ ita eſt.

Elementa panis & vini ſigna ſunt & ſigilla corporis & ſanguinis Chriſti.

Actio miniſtri ſymbolum eſt actionis Dei.

Actio miniſtri quadruplex.

Prima eſt acceptio panis & vini in manum ſuam. Obſignat actionem Dei Patris, qua Filium ab æterno ſegregavit, & elegit ad munus Mediatoris inter Deum & homines præſtandum. Ioh. 6.27. *Hunc enim Pater* obſignavit; *id eſt, Deus.*

Secunda eſt benedictio, qua acceptum panem & vinum, recitatione promiſſionis & precibus in eum finem conceptis, ab vſu communi ad ſacrum actu ſeperat. Obſignat actionem Dei, qua Chriſtum, mediationi deſtinatum, ad eandem plenitudine temporis præſtandam, actu mittit.

Tertia eſt fractio panis & effuſio vini: obſignat paſſionem Chriſti, qua verè in cruce & animo & corpore pro noſtris peccatis contritus eſt.

Quarta, diſtributio panis & vini in manus recipientium. Obſignat actionem Dei Chriſtum omnibus offerentis, etiam hypocritis; fidelibus autem Chriſti membris verè exhibentis ad auctionem fidei & re-

ſipiſcentiæ.

Actio recipientis duplex.

Prima eſt receptio panis & vini in manum. Obſignat ſpiritualem recipientis actionem, id eſt, apprehenſionem Chriſti, quæ fit manu fidei, Ioh. 1. 12.

Secunda eſt manducatio panis & bibitio vini, vt nutritio corporis fiat. Obſignat applicationem Chriſti per fidem, vt ſenſus veræ vnionis & communionis, quæ eſt cum eo indies augeatur. 1. Cor. 10. 16. *Poculum benedictionis, cui benedicimus, nonnè Communio ſanguinis Chriſti eſt? Panis, quem frangimus, nonnè Communio corporis Chriſti eſt?*

Tranſubſtantiationis dogma, qua fingitur panis converti in corpus Chriſti, & vinum in ſanguinem, planè commentitium eſt. Ratio. I. In prima inſtitutione Cœnæ, quæ fuit ante paſſionem, corpus Chriſti vt *crucifixum* edebatur: jam, quomodo potuit, Chriſto nondum paſſo, corpus crucifixum edi corporali modo, cogitari non poteſt. II. Panis poſt conſecrationem diſtribuitur in partes: corpus autem Chriſti integrum à ſingulis recipitur. III. Panis *communio* eſt corporis Chriſti: ergo non ipſum corpus. IIII. Hoc modo Chriſti Corpus non ſolum fieret è ſubſtantia Mariæ virginis, ſed etiam è pane piſtoris. V. Serventur ad certum tempus elementa, panis erit mucidus, & vinum aceſcet; quod argumento nobis eſt, veram ibi panis & vini ſubſtantiam fuiſſe. VI. Tollit hæc opinio vnionem Sacramentalē, id eſt, analogiam inter ſignum & ſignatum

Idem quoque de Conſubſtantiatione ſentiendum

	Res ſenſibiles.	1. Panis. 2. Vinum		1. Corpus } 2. Sanguis } Chriſti.	Res ſpirituales.	
Actiones ſenſibiles, & externę.	Miniſtri.	Accipere panem & vinum in manum.	*Relatio Sacramentalis.*	Obſignare Chriſtum ad munus mediationis. Ioh.6. 27.	Dei.	Actiones ſpirituales & internę.
		Conſecrare panem & vinum recitatione promiſſionis, & precibus in eum finem conceptis.		Mittere Chriſtum ad præſtandam mediationem, ad quam ab æterno obſignatus eſt.		
		Frangere panem & effundere vinum.		Execrabilis paſſio Chriſti, & effuſio ſanguinis.		
		Dare panem & vinum in manum recipientis.		Offerre Chriſtum omnibus etiam hypocritis, ſed Chriſtianis verè exhibere.		
	Recipientis Chriſtiani.	Recipere panem & vinum in manum.		Apprehendere Chriſtum per fidem.	Recipientis Chriſtiani.	
		Edere panem, & vinum bibere, vt nutritio corporis fiat.		Applicare ſibi Chriſtum, vt vera vnio & communio cum Chriſto augeatur.		

ſipiſcentiæ.

Actio re

Prima eſ

nat ſpiritua

henſionem

Secunda

nutritio co

ſti per fidem

quæ eſt cum

lum benedi

ſanguinis C

Communio

Tranſub

converti in

planè com

ſtitutione

pus Chriſti

potuit, Chr

corporali

poſt conſe

autem Chr

Panis *comn*

ſum corpus

ſolum fiere

pane piſtor

lementa, p

argumento

ſtiam fuiſſe

mentalē, id

Idem q

dum, qua fingitur coëxiſtentia, per quam corpus Chriſti eſt vel in, vel cum, vel ſub pane. Ratio. I. Tota actio Cœnæ fit in memoriam Chriſti: memoria verò non eſt, niſi corporalitèr abſentis. II. Act. 3. 21. Quem oportet quidem cœli capiant, vſque ad tempora reſtitutionis omnium. III. Eſſentialis proprietas eſt cuiuſque magnitudinis, ideoque etiam corporis Chriſti, alicubi ſitum & circumſcriptum eſſe. IIII. Si corporalis eſſet manducatio, impii perinde comederent carnem Chriſti atque fideles: at carnem eius comedere, eſt in eum credere, & habere vitam æternam. V. Abſurdum eſt, exiſtimare Chriſtum ſedentem inter diſcipulos proprium corpus accepiſſe manibus ſuis, idque integrum in pane ſingulis porrexiſſe.

Sancta præparatio ad Cœnam Domini requirit:

Primò, cognitionem præcipuè Dei, & lapſus noſtri, & reſtitutionis in fœdere per Chriſtum promiſſæ. 1. Cor. 11. 26. *Quotieſcunque enim ederitis panem hunc, & poculum hoc biberitis, mortem Domini* annuntiabitis *vſquequò venerit.*

Secundò, veram fidem in Chriſtum: nam in Sacramento quiſq; tantum accipit, quantum credit ſe accepturum. Hebr. 4. 2. *Etenim nobis evangelizatum eſt, ſicut & illis: at non profuit illis auditus ſermo, vt qui* [συγκεκραμένος] *fide contemperatus, non fuerit ipſis qui audierant.* Deinde veram reſipiſcentiam de peccatis. Eſa. 66. 3. *Qui iugulat bovem, ac ſi percuteret virum: qui mactat parvam pecudem, ac ſi* decollaret

canem: *qui offert munus, ac ſi ſanguinem porci; qui adolet thus, ac ſi muneraretur idolum: etiam iſti eligunt vias ſuas, & abominationibus ſuis anima eorum delectatur.* Pſal. 26. 6. *Lavo innocentia manus meas, & circumeo altare tuum, Iehova.*

Tertiò, renovatam & fidem & reſipiſcentiam ob recentes lapſus ex infirmitate admiſſos: quia novum quodvis peccatum requirit novum actum & fidei & reſipiſcentiæ: & iſta renovatio declaranda eſt conciliatione cum proximo facta de injuriis & offenſis. Matth. 5. 23. *Igitur ſi munus tuum attuleris ad altare, & illic memineris fratrem tuum habere* aliquid contra te, 24. *Omitte illic munus tuum coram altari, & abi:* primùm, *reconciliator fratri tuo, & tum veniens offer munus tuum.* Hæc ſi attuleris, à Sacramento ob creberrimas infirmitates ne abſtineas.

Si ſentis tibi cor eſſe pravum & rebelle, ſciendum eſt, ſenſum pravæ diſpoſitionis optimam diſpoſitionem eſſe. Luc. 4. 18. *Spiritus Domini ſupra me, propterea quòd unxit me: ut evangelizem pauperibus, miſit me, ut ſanem contritos corde, ut prædicem captivis dimiſſionem, & cæcis viſus recuperationem, & confractos emittam in libertatem.* Matth. 15. 24. *Ipſe verò reſpondens dixit: non ſum miſſus niſi ad* oves perditas *domus Iſrael.* Cœna remedium eſt ægris & laſſatis animis: ergo non tam afferendum cor mundum eſt, quâm in ea quærendum.

Si magnum ſentis defectum fidei, obnixè orato Deum ut fidem augeat. Mar. 9. 24. *Pater verò pueri ſtatim clamans cum lachrymis, dixit, Credo, Domine,*

mine: ſuccurre incredulitati meæ.

Hoc ſi minùs ipſe præſtes, vtere ſubſidio fidelium, qui te quaſi paralyticum humeris deportent, Chriſtoque ſiſtant. Mar. 2. 3. *Tunc veniunt ad eum ferentes paralyticum, qui à quatuor portabatur.* 4. *Et cùm non poſſent ei appropinquare propter turbam, detexerunt tectum ædium in quibus erat, eoq; perfoſſo, funibus demiſerunt grabatum in quo Paralyticus iacebat.*

Si hæc non attuleris, reus eris corporis & ſanguinis Chriſti; ſimili planè ratione, ac is qui violat coronam vel nummum regis, reus eſt læſæ maieſtatis. 1. Cor. 11. 27. *Itaque quiſquis ederit panem hunc, aut biberit hoc poculum Domini indignè, reus tenebitur corporis & ſanguinis Domini.*

Qui verò ſe impœnitentes ſenſerint, nec ſine pœnitentia debent ad cœnam accedere, ne judicium ſibi edant & bibant; neque pœnitentiam, cum qua accedant, differre, ne damnationem ſibi accerſant.

CAP. 35.

De gradibus executionis decreti Electionis.

DIctum eſt de externis mediis exequendi decreti Electionis. Sequuntur deinceps executionis gradus.

Gradus duo ſunt. Amor Dei; &, amoris Declaratio. Epheſ. 1. 6. *Ad laudemglorioſæ ſuæ gratiæ, qua nos gratis effecit ſibi* gratos in illo dilecto. 9. *Patefacto*

nobis myſterio voluntatis ſuæ, ſecundum gratuitam ſuam benevolentiam, quam propoſuerat in ſeſe.

Amor Dei eſt, quo Deus homines in ſe corruptos, in Chriſto tamen electos, gratis amat. 1. Ioh. 4. 19. *Nos diligimus eum, quoniã ipſe prius dilexit nos.* Rom. 5. 8. *Commendat autem ſuam charitatem erga nos Deus, quòd quum adhuc eſſemus peccatores, Chriſtus pro nobis mortuus ſit.* 10. *Nam ſi cùm inimici eſſemus, reconciliati fuimus Deo per mortem filij eius, multò magis reconciliati ſervabimur per vitam ipſius.*

Amoris declaratio duplex. Prima, in electis infantibus; altera, in adultis.

Declaratio divini amoris in infantibus iſta eſt. Electi infantes vel in vtero, vel ſtatim atque nati ſunt ratione abdita & ineffabili per ſpiritum Dei Chriſto inſiti, morientes ſalvantur. 1. Cor. 12. 13. *Etenim per vnum Spiritum nos* omnes *in vnum corpus baptizati ſumus: ſive Iudæi, ſive Græci, ſive ſervi, ſive liberi: & omnes vna potione potati ſumus in vnum Spiritum.* Luc. 1. 35. *Et reſpondens Angelus, dixit ei; Spiritus ſanctus ſuperveniet in te, & virtus altiſſimi inumbrabit te: proptereà id etiam quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius Dei.* 41. *Et factum eſt, vt audivit Elizabet ſalutationem Mariæ,* ſaliit fœtus in vtero *eius: & repleta eſt Spiritu ſancto Elizabet.* 64. *Apertum eſt autem os eius illicò, & lingua eius loquebatur, benedicens Deo.* 80. *Ipſe autem puerulus creſcebat, & corroborabatur ſpiritu: fuitq́; in deſertis ad eum vſq́; diem, quo ſe oſtenderet apud Iſraelem.*

Rationem ſalutis infantium abditam & ineffabilem

lem dico,quia I. carent actuali fide, qua Chriſtum recipiant. Hæc enim neceſſariò præſupponit notitiam gratuitæ promiſſionis, quam is qui credit ſibiipſi applicet, quæ certè infantibus nullo modo convenit. Et quidem ſi fidem haberent infantes, vel amittunt eam, qnando adoleſcunt omnes, vel non oſtendunt; quorum vtrumque falſum eſt ſi modò vera eſt illorum fides. Imo in iis tãadultis nulla erant jndicia fidei, niſi ex auditu prędicationis Evangelii poſtea vocentur. II. In his etiã regeneratio tantùm eſt, quoad internas qualitates & inclinationes, non quoad motus vel actiones mentis, voluntatis, affectuum. Ergo carent illis pavoribus conſcientiæ, qui præcedunt in adultis, vt occaſio quædam pœnitentiæ; carent etiam illa lucta carnis & ſpiritus, qua fideles adulti mirum in modum exercentur.

CAP. 36.

De primo gradu declarationis amoris Dei.

DEclaratio amoris divini in adultis, quatuor præcipuè gradus continet. Rom. 8. 30. 1. Cor. 1. 30.

Primus gradus eſt vocatio efficax, qua peccator ſeparatus à mundo, receptus eſt in Dei familiam. Epheſ. 2. 17. *Et veniens evangelizavit pacem vobis, qui procul eratis, & iis qui procul erant.* 19. *Nempe igitur non amplius eſtis hoſpites & inquilini, ſed* concives *ſanctorum, ac* domeſtici *Dei.*

Partes habet duas. Prima eſt electio, quæ eſt ſeparatio peccatoris è perdita maſſa generis humani. Ioh. 15. 19. *Si ex mundo fuiſſetis, mundus quod ſuum eſt amaret: Quia verò ex mundo non eſtis, ſed ego* elegi vos ex mundo, *propterea odit vos mundus.*

Secunda, eſt reciproca donatio, qua Deus Pater ſalvandum peccatorem Chriſto; Chriſtumque viciſſim peccatori actu & efficaciſſimè donat: ita vt dicat is, Hæc res, nempe Chriſtus Deus & homo, mea eſt, & illa vti frui poſſum. Simile eſt in coniugio. Maritus dicit, Hæc fœmina eſt vxor mea, quam pater eius mihi dedit, vt eam verè meam & habeam & regam. Vxor verò dicit, Hic vir eſt maritus meus, qui ſe mihi dedit, meque vt vxorem fovet. Rom. 8. 32. *Proprio filio non pepercit, ſed pro nobis* tradidit *eum.* Iſa 9. 6. *Sed puer naſciturus eſt nobis, filius* dabitur *nobis, &c.* Ioh. 17. 2. *Sicut dediſti ei authoritatem in omnem carnem, vt quotquot* dediſti ei, *det eis vitam æternam.* 6. *Patefeci nomen tuum hominibus quos* dediſti mihi ſelectos è mundo: *tui erant, & eos mihi dediſti, & ſermonem tuum ſervarunt.* 7. *Nunc noverunt omnia quæ dediſti mihi à te eſſe.* Ioh. 10. 29. *Pater meus, qui eas dedit mihi, maior omnibus eſt: neq; quiſquam poteſt eas rapere e manu Patris mei.*

Atque hinc naſcitur miranda illa vnio, quæ eſt inſitio in Chriſtum, & cum eodem coalitio: vt Chriſtus ſpeciali ratione caput ſit, peccator membrum. Iohan. cap. 17. verſ. 20. *Non pro eis autem rogo tantùm, ſed & pro iis qui per ſermonem eorum credituri ſunt in me.* 21. *Vt omnes unum ſint, ſicut*

cut tu pater in me, & ego in te, vt & ipſi in nobis vnum ſint: *vt credat mundus me à te miſſum eſſe.* Eph.5.30. *Quoniam membra ſumus corporis eius,* ex carne eius, & ex oſſibus *eius.* Ioh.15.1. *Ego ſum vitis illa vera, & Pater meus agricola eſt.* 2. *Omnem palmitem in me non ferentem fructum purgat, vt plus fructus adferat.* Epheſ.2.20. *Superſtructi ſuper fundamentum Apoſtolorum ac Prophetarum, cuius imus angularis lapis eſt ipſe Ieſus Chriſtus,* 21. *In quo totum ædificium congruenter coagmentatum creſcit, vt ſit templum ſanctum Domino.* 22. *In quo &* vos vnà ædificamini *vt ſitis habitaculum Dei per ſpiritum.*

Hæc vnio realis & maximè arcta eſt, non tamen per contactum vllum, vel commixtionem, vel ferruminationem animæ ad animam, vel etiam per nudam conſenſionem animorum, ſed per communionem & efficaciam eiuſdem ſpiritus: qui infinitus eſt & poteſt perinde res maximè diſjunctas vnire: ſicut eadem anima caput & pedes conjungit. Epheſ. 2.22. 2.Pet.1.4. *Ex eo quòd maxima nobis ac precioſa promiſſa donata ſint, vt per hæc efficeremini* divinæ conſortes naturæ, *elapſi ex corruptione quæ eſt in mundo per cupiditatem.* Philip.2.1. *Si qua igitur conſolatio eſt in Chriſto, ſi quod ſolatium charitatis, ſi qua* communio ſpiritus, *ſi qua viſcera ac miſerationes, &c.*

Res vnitæ. In hac vnione non anima noſtra ſola cum Chriſti anima, vel caro cum carne: ſed tota cuiuſque fidelis perſona cum tota Chriſti θεανθρώπου perſona verè coniungitur.

Modus vnionis. Fidelis homo primùm & immediatè

diatè vnitur carni ſeu humanæ naturæ Chriſti : deindè interventu carnis ipſi verbo ſeu τῷ λόγῳ. Nam ſalus & vita pendet à Deitatis plenitudine quæ eſt in Chriſto : ſed non communicatur nobis niſi in carne, & per carnem Chriſti. Ioh. 6. 53. *Niſi ederitis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem non habebitis vitam in vobis.* 56. *Qui edit carnem meam & bibit meum ſanguinem in me manet, & ego in eo.*

Vinculum. Vnio hæc fit per Spiritum Dei, Chriſtum nobis applicantem: & noſtri reſpectu per fidem, Chriſtum oblatum recipientem. Et hac de cauſa, ſpiritualis dicitur.

Chriſtus, quia caput eſt fidelium, conſiderandus eſt vt publicus homo communem omnium electorum perſonam gerens. Hinc fideles dicuntur vnà cum Chriſto crucifigi, mori, ſepeliri. Rom. 6. verſ. 4. 5, 6. vivificari, Epheſ. 2. verſ. 5. excitari, collocari in cœlis. verſ. 6. Coloſſ. 3. 1. non tantùm propter ſpem, ſed etiam quia revera jam hæc omnia in Chriſto feciſſe reputantur: ſicut Adamo primùm peccante, omnes eius poſteri eodem actu revera ſunt lapſi.

Membrum Chriſti variè diſtinguitur; eſtq; vel coram hominibus, vel coram Deo.

Coram hominibus membra ſunt, qui fidem extrinſecus profitentes, membra Chriſti eſſe piè ab eccleſia æſtimantur. Verùm hi, & ſeipſos & eccleſiam fallentes, reprobi eſſe poſſunt: ideoque non magis ſunt membra Chriſti apud Deum, quam humores noxii in humano corpore, vel lignea tibia corpori artificioſè affixa.

Rurſus membra coram Deo, vel deſtinatione talia ſunt, vel actu.

Deſtinatione, vt qui ab æterno electi, ſed nondum aut nati aut vocati ſunt. Ioh. 10.16. *Alias etiam oves habeo, quæ non ſunt ex hac caula: illas quoque oportet me adducere.*

Actu membrum Chriſti eſt, vel vivum vel demortuum.

Vivum eſt, homo quiſque electus Chriſto per fidem & ſpiritum inſitus, eius efficaciam & ſentiens & exerens.

Demortuum, quod Chriſto revera inſitum, vim & efficaciam Spiritus vivifici nullam ſentit. Simile eſt tibiæ, quæ vera hominis pars eſt ſed ἀτροφίᾳ laborat. Tales ſunt fideles ij qui tentationibus & peccatis gravioribus ſuccumbunt ad tempus: tales excommunicati: qui quoad ipſam inſitionem membra manent; vtcunque & quoad externam Eccleſiæ communionem, & quoad efficaciam ſpiritus membra non ſunt, donec reſipiſcentia tacti reviviſcant.

Vocationis exequutio ſuis conſtat mediis.

Primum eſt, ſalutaris auditio verbi [a] quando homini in peccatis mortuo & de ſalute ne cogitanti quidem extrinſecus enunciatur verbum Dei: [b] lex primò oſtendens peccatum, & peccati pœnam damnationem: tum Evangelium oſtendens ſalutem in Chriſto, cum conditione fidei: & intus [c] oculi illuminantur, [d] cor & aures aperiuntur, vt audiat & verè intelligat verbum Dei prædicatum. [a] Ezech. 16. 6.

Tranſiens

Tranſiens autem iuxta te, cum viderem te præbentem conculcandam te in ſanguine tuo, dixi tibi, in ſanguine tuo vive, iterumq́ dixi tibi in ſanguine tuo, vive. Iſa. 55. 1. *Heus, quiſquis ſitit, venite ad iſtas aquas, & cui nulla eſt pecunia venite, comparate, & comedite, venite, inquam, comparate abſque pecunia & abſque pretio vinum & lac.* Ioh. 1. 12. *Quotquot autem eum acceperunt, dedit eis hanc dignitatem, vt filij Dei fierent, nempe ijs qui credunt in nomen eius.* [b] Rom. 7. 7. *Immo peccatum non cognovi niſi per legem, nam etiam cupiditatem non noſſem, niſi lex dixiſſet, non concupiſces.* [c] Ioh. 2. 27. *Sed vnctio quam vos accepiſtis ab eo, manet in vobis: nec neceſſe habetis, vt quiſquam doceat vos: verum ſicut eadem vnctio docet vos de omnibus, quæ & verax eſt & non mendax, & ſicut docuit vos, manebitis in eo.* [d] Act. 16, 14. *Quædam autem mulier nomine Lydia, quæ purpuram vendebat in vrbe Thyatyrorum, Deum colens, nos audivit: cuius Dominus* adaperuit cor, *vt attenderet ea quæ dicebantur à Paulo.* Pſal. 40. 6. *Sacrificio & munere non delectatus*, aures perfodiſti *mihi, &c.* Ioh. 6. 44. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me,* traxerit eum: *ego verò ſuſcitabo eum vltimo illo die.* Eſa. 54. 7. *Nam vt vxorem derelictam & dolentem animo revocat te Iehova: & vxorem adoleſcentiæ, quamvis ſpreta ſis, ait Deus tuus.*

Secundum, eſt emollitio cordis, quod penitùs conterendum eſt, vt ſit idoneum ad recipiendam ſalutarem gratiam. Ezech. 11. 19. *Nam indam ipſis cor vnum & ſpiritum novum ponam in medio veſtri: amovens, inquam, cor lapideum à carne eorum, indam eis cor*

cor carneum.

Ad cor emolliendum quatuor inſerviunt. I. Cognitio legis Dei. II. Cognitio peccati tum originalis & actualium: tum pœnarum peccati. III. Compunctio cordis, quæ eſt ſenſus iræ divinæ ob eadem peccata. IIII. *Sancta* deſperatio de propriis viribus, quod ad ſalutem attinet. Act. 2. 37. *His autem auditis*, compuncti ſunt corde, *& dixerunt ad Petrum & reliquos Apoſtolos, Quid faciemus viri fratres?* 38. *Petrus autem ait ad eos, Reſipiſcite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum in nomine Ieſu Chriſti, in remiſſionem peccatorum: & accipietis donum ſpiritus ſancti.* Luc. 15. 14. *Omnibus verò ab eo conſumptis, orta eſt fames valida in regione illa: & ipſe cœpit victu deſici.* 15. *Abijt igitur & adhæſit vni ex civibus regionis illius: qui miſit eum in agros ſuos, vt paſceret porcos.* 16. *Et deſiderabat implere ventrem ſum ſiliquis, quas edebant porci: & nemo ei dabat.* 17. *Quùm autē ad ſe rediiſſet, dixit; Quot mercenarij patris mei abundant panibus? ego verò fame pereo.* 18. *Surgens, proficiſcar ad patrem meum, & dicam ei, Pater, peccavi in cœlum & adverſus te, &c.* Matth. 15. 24. *Ipſe verò reſpondens, dixit, Non ſum miſſus, niſi ad oves perditas domus Iſrael.*

Tertium, eſt fides, quæ eſt miranda & ſupernaturalis facultas cordis, Chriſtum à Spiritu ſancto applicatum apprehendentis, & ad ſe recipientis. Iohan. 1. 12. & 6. 35. *Dixit autem eis Ieſus, ego ſum panis ille vitæ;* qui venit ad me, *nequaquam eſuriet: &* qui credit *in me non ſitiet vnquam.* Rom. 9. 30. *Quid igitur dicemus?*

dicemus? Gentes qui non ſectabantur iuſtitiam, apprehendiſſe iuſtitiam, *Iuſtitiam autem eam quæ eſt ex fide.*

Chriſti receptio eſt, quando quiſque ſibi ſpeciatim applicat Chriſtum eiuſque merita, per internam perſuaſionem cordis, quæ non aliundè exiſtit, quàm ex efficaci (vt ita loquar) certioratione ſpiritus ſancti de miſericordia Dei in Chriſto Ieſu. 1. Cor. 2. 12. *Nos verò non ſpiritum mundi accepimus, ſed ſpiritum qui eſt ex Deo: vt* ſciamus *quæ Deus eſt nobis gratificatus.* Ezech. 12. 10. *Vt effundam ſuper domum Davidis, & ſuper habitatores Ieruſchalaimorum* ſpiritum gratiæ & deprecationum, *reſpicientq́ ad me quem transfixerunt, &c.* Rom. 9. 16. *Qui ipſe ſpiritus* teſtatur *vnà cum noſtro ſpiritu, nos eſſe filios Dei.* Ephe. 1. 13. *In quo ſperaſtis, & vos audito ſermone veritatis, id eſt, Evangelio ſalutis noſtræ. In quo etiam poſteaquam credidiſtis,* obſignati eſtis *ſpiritu promiſſionis ſancto.* 2. Cor. 1. 22.

In ortu fidei quinque ſunt gradus ſive motus cordis, invicem connexi & à Chriſtianis præcipuè notandi.

Primus, eſt notitia Evangelii per illuminationem Spiritus ſancti. Eſa. 53. 11. *Servus meus notitia ſui iuſtificabit multos.* Ioh. 17. 3.

Huic annexa eſt in humilitatis, attenta conſideratio promiſſionum Evangelii, ex intimo ſenſu inopiæ ſuæ: eam quoque ſequitur in illuminatis omnibus, fides generalis, qua præbent aſſenſum Evangelio. Hebr. 4. 2. *Etenim nobis evangelizatum eſt, ſicut & illis: at non profuit illis auditus ſermo, vt qui fidei*

mixtus

mixtus non fuerit ipſis qui audierant. 1. Tim. 1. 19 *Retinens fidem & bonam conſcientiam: qua repulſa, nonnulli fidei naufragium fecerunt.* 1. Tim. 2. 4. *Qui quoſvis homines vult ſervari, & ad agnitionem veritatis venire.*

Hæc ſi plenior eſt, & perfectior appellatur πληροφορία τῆς συνέσεως, Coloſſ. 2. 2. *Vt conſolationem accipiant eorum corda, ipſis charitate compactis, & omni* opulentia certò perſuaſæ intelligentiæ, *ad cognitionem myſterij Dei & Patris, & Chriſti.* Rom. 14. 14. *Novi & perſuaſum habeo per Dominum Ieſum, nihil eſſe impurum per ſe: ſed ei qui exiſtimat aliquid eſſe impurum, id ei impurum eſſe.* Luc. 1. 1. *Quoniam multi aggreſſi ſunt componere narrationem earum rerum, quarum plena fides nobis facta eſt, &c.* 1. Theſſ. 1. 5. *Quoniam Evangelium noſtrum conſtitit apud vos, non locutione duntaxat, ſed etiam virtute, cùm in ſpiritu ſancto, tum in* certa perſuaſione multa*: ſicut noſtis quales fuerimus inter vos veſtra cauſa.*

Secundus, Spes veniæ, qua peccator, etſi nondum ſentit remiſſum eſſe peccatum, remiſſibile tamen eſſe credit. Luc. 15. 18. *Surgens* proficiſcar *ad patrem meum, & dicam ei, Pater, peccavi in cœlum & adverſum te,* 19. *Neque amplius ſum dignus vocari filius tuus: fac me vt vnum ex mercenarijs tuis.*

Tertius, Eſuries & vehemens expetitio gratiæ, quæ eſt oblata in Chriſto Ieſu. Ioh. 6. 35. & 7. 37. Revel. 21. 6. *Et dixit mihi, actum eſt: ego ſum α & ω initium & finis: ego* ſitienti *dabo ex fonte aquæ vivæ gratis.* Matt. 5. 6. *Beati qui* eſuriunt & ſitiunt *iuſtitiam, quoniam*

niam ipſi ſaturabuntur.

Quartus, Acceſſus ad thronum gratiæ, vt, apprehenſo ibidem Chriſto, inueniamus miſericordiam apud Deum. Hebr. 4. 16. *Accedamus igitur cum fiducia ad thronum gratiæ, vt conſequamur miſericordiam, & gratiam inueniamus ad opportunum auxilium.*

Eius partes ſunt duæ: Prima eſt humillima confeſſio peccatorum: quæ particularium eſſe debet, ſi nota ſint peccata: generalis tantùm ſi ignota: & eam iam actam immediatè ſequetur peccatorum remiſſio coram Deo. Pſal. 32. 5. *Peccatum meum notum faciam tibi, & iniquitatem meam non tegam (inquiebam) confitebor defectiones meas Iehouæ: & tu ſuſtuliſti iniquitatem peccati mei. Selah.* 2. Sam. 12. 13. *Tum dixit Dauid ad Nathanem, peccaui Iehouæ: quapropter dixit Nathan ad Dauidem: etiam Iehoua tranſtulit peccatum tuum; non es moriturus.* Luc. 15. 2. *Dixit autem ei filius, pater, peccaui in cœlum & aduerſum te, neq; amplius ſum dignus vocari filius tuus.*

Secunda eſt deprecatio pro remiſſione peccatorum, cum gemitibus inexplicabilibus, & cum perſeuerantia. Luc. 15. 21. Act. 8. 22. *Reſipiſce igitur ab iſta malitia tua, & roga Deum ſi fortè remittatur tibi cogitatio cordis tui.* Rom. 8. 26. *Itidem autem & Spiritus vnà ſublenat infirmitates noſtras. Quid enim precemur vt oportet, non nouimus: ſed ipſe Spiritus interpellat pro nobis ſuſpiriis inenarrabilibus.* Hoſ. 14. 2. *Conuertere Iſrael, quando corruiſti propter iniquitatem tuam,* 3. *Sumite vobiſcum verba, & reuertimini ad Iehouam, dicite*

ei, omnem condona iniquitatem, & acceptum confer bonum.

Quintus, ſpecialis perſuaſio cordi à Spiritu ſancto impreſſa, qua promiſſiones evangelicas quiſque ſibi ſpeciatim applicat. Matth. 9. 2. *Et ecce obtulerunt ei Paralyticum in lecto proiectum: quùmq; vidiſſet Ieſus fidem eorum, dixit Parlytico, confide fili, remiſſa ſunt* tibi peccata *tua.* Matth. 15. 28. *O mulier magna eſt tua fides, fiat tibi ſicut vis.* Gal. 2. 20. *Vivo per fidem illam filij Dei, qui* dilexit me, *& tradidit ſeipſum* pro me.

Hæc perſuaſio, & eſt, & eſſe debet etiam ante experientiam. Mat. 15. 22. *Ecce mulier Chananæa à finibus illis egreſſa, clamavit, dicens ei, miſerere mei Domine, fili David: filia mea malè à dæmonio vexatur.* 23. *Ipſe verò non reſpondit ei quicquam. Tunc accedentes diſcipuli eius rogarunt eum dicentes, dimitte eam: nam clamat poſt nos.* 24. *Ipſe verò reſpondens, dixit; non ſum miſſus, niſi ad oves perditas domus Iſrael.* 25. *Illa autem venit, & adoravit eum dicens, Domine, ſuccurre mihi.* 26. *Ipſe verò reſpondens, dixit; non eſt bonum accipere panem liberorum, & obijcere catellis.* 27. Ipſa *autem dixit*, etiam Domine. *Etenim catelli veſcuntur micis, quæ cadunt è menſa dominorum ſuorum.* Ioh. 20. 29. *Dicit ei Ieſus, Quia vidiſti me, Thoma, credidiſti: beati* qui non viderunt & crediderunt. Heb. 11. 1. *Eſt autem fides, illud quod facit ut extent quæ ſperantur, & quod demonſtrat quæ non videntur.* In Philoſophia procedimus ab experientia ad aſſenſionem; vt in phyſicis, credo aquam eſſe calidam, quia manus immerſa calorem experientia percipit. In exercitiis fidei

contrarium eſt: primùm, aſſenſio præbenda verbo Dei, & reſiſtendum dubitationi ac diffidentiæ, & poſtea ſequetur experientia, & ſenſus lætitiæ. 2. Chron.20.20. *Deinde ſurgentes mane exiverunt in deſertum Tekobhæ: quibus exeuntibus, conſiſtens Iehoſchaphat dixit, audite me Iehudæi & habitatores Ieruſchalaimorum, firmè credite Iehovæ Deo veſtro, & confirmabimini; firmè credite Prophetis eius, & proſperabimini.* Malè ergo faciunt, qui indulgent dubitationi, quia in ſeipſis nondum ſentiunt inſignes motus divinos.

Hæc de ortu fidei: cuius præterea ſunt gradus inſignes duo, infimus & ſupremus.

Infimus, eſt ὀλιγοπιστία, quæ eſt parva vel infima fides, velut granum ſinapis & linum fumigans, quod præ debilitate nec calorem, nec flammam, ſed tantùm fumos emittit. Mat. 8.25. *Et accedentes diſcipuli excitaverunt eum, dicentes, Domine, ſerva nos, perimus.* 26. *Et dicit eis, quid timidi eſtis,* ô exigua fide *præditi: &c.* Mat.17.20. *amen, quippe dico vobis, ſi habeatis fidem* quantulum eſt granum ſinapis, *dicetis monti huic, demigra hinc illuc, & demigrabit: & nihil impoſſibile erit vobis.* Iſa.42.3. *Arundinem quaſſatam non franget, & ellychnium ipſum fumigans non extinguet, ad veritatem proferet iudicium.*

Infirma fides eſt, quando ex illis quinque gradibus, vel notitia, vel applicatio promiſſionum valde infirma eſt: cæteris quidem firmis. Rom.14.2. *Alius quidem credit veſcendum eſſe quibuſvis: alius autem* fide infirmus *edit olera.* 3. *Qui edit non edentem pro nihilo*

nihilo nè habeto; & qui non edit, edentem ne condemnato: Deus enim eum aſſumpſit. Apoſtoli credentes Chriſtum eſſe illum filium Dei viventis: tamen mortem & reſurrectionem ignorabant. Mat. 16. 16. Mat. 17. 23. Ioh. 24. 11. Luc. 6. 45. *Ipſi verò ignorabant dictum illud, eratq; ipſis occultum, adeò vt illud non ſentirent: & timebant eum interrogare de hoc dicto.* Act. 1. 6. *Quum igitur illi conveniſſent, interrogarunt eum, Domine, num hoc tempore reſtitues regnum Iſraeli?* Mat. 9. 24. *Pater verò pueri ſtatim clamans cum lachrymis dixit, credo, Domine,* ſuccurre incredulitati *meæ.*

De hac tenendæ ſunt 2. regulæ. I. Serium credẽdi ſtudium & deſiderium reconciliationis cum deo naſcentis fidei ſemen eſt. Matt. 5. 6. *Beati qui* eſuriunt & ſitiunt *iuſtitiam: quoniam ipſi ſaturabuntur.* Reve. 21. 6. *Et dixit mihi, Actum eſt: Ego ſum Alpha, & Omega, initium & finis, ego* ſitienti *dabo ex fonte aquæ vivæ gratis.* Pſal. 145. 19. Placitum *timentium ſe efficit, & vociferationem eorum audiens ſalutem dat eis.* Nam in his qui incipiunt, primùm credere & renaſci, mens & voluntas otioſa non quieſcit, ſed mota à ſpiritu ſancto luctatur cum dubitatione & diffidentia, & conatur aſſentiri promiſſionibus Evangelii, & ſibi firmiter applicare, & in ipſo ſenſu infirmitatis petit juvari divinitùs: & hoc ordine donatur fides.

II. Deus non aſpernatur exiguam fidem, modò paulatim creſcat, & media quibus incrementa dantur, non repudiet. Luc. 17. 5. T*unc dixerunt Apoſtoli Domino,* Adde nobis fidem. 6. *Dixit autem dominus, ſi haberetis fidem quantulum eſt granũ ſinapis,*

diceretis huic Sycamino, eradicator, & plantator in mari: & obediret vobis. Ergo fides exuſcitanda eſt meditatione verbi,& ardenti precatione, atque cæteris fidei exercitiis.

Summus gradus fidei eſt πληροφορία τῆς πίστεως, quæ eſt non ſolùm vera & certa,ſed etiam plena perſuaſio cordis, qua Chriſtum multò firmius apprehendens Chriſtianus plenè ſtatuit Deum amare ſe & ſibi ſpeciatim Chriſtum eiuſque gratias omnes ad ſalutem pertinentes,dare. Rom.4.20. *Adverſus promiſſionem autem Dei non diſceptavit infidelitate: ſed* robuſtus factus eſt fide *tributa gloria Deo.* 21. *Ac* [πληροφορηθεὶς] plenè perſuaſum habens *eum quod promiſerat poſſe etiam praſtare.* Rom.8. 38. *Nam mihi perſuaſum eſt, neque mortem, neque vitam, neque Angelos, neque principatus, neque poteſtates, neque inſtantia, neque futura, &c. neque vllam rem creatam poſſe nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro.*

Iſte gradus ſequitur poſt ſenſum,obſervationem, experientiā habitam de amore Dei. Pſal.23.6. Vtiq; *bonum & benignitas proſequentur me omnibus diebus vitæ meæ; & quietus vero in domo Iehovæ, quamdiu longa erunt tempora.* cum verſ.1.2,3,4,5. 1. Sam.17. 32. *Dicente verò Davide ad Schaulem, ne concidat animus vllius propter iſtum: ſervus tuus iturus eſt & pugnaturus contra Peliſchtaum iſtum.* 33. *Dixit Schaul ad Davidem, non prævaleres eundo ad Peliſchtaum iſtum, vt pugnes contra eum: puer enim es, ipſe verò vir bellicoſus à pueritia ſua.* 34. *Tum dixit Davíd ad Schaulem, paſcente ſervo tuo patri ſuo gregem:*

cum

eum accedens Leo aut vrſus afferet parvam pecudem è grege, 35. *Egreſſus perſequebar illum, vt percuterem eum, & eriperem ex ore eius, inſurgentem verò in me prehendebam eum barba, & percutiens morte afficiebam eum.* 36. Tum leonem, *tum vrſum percuſſit ſervus tuus: & eſſet Peliſchtæus præputiatus iſte vt vnus ex eis, cum probro afficeret acies Dei viventis.*

Ἀπορία. An juſtificans fides decalogo præcipiatur? Λύσις. Præcipitur lege fidei, id eſt, Evangelio: non lege operum, id eſt, lege morali. Rom. 3. 27. Ratio I. Quod non revelat lex, non præcipit: fidem hanc juſtificantem nunquam novit nedum revelat lex. II. Lex moralis ante lapſum Adamo plenè inſita; in quo tamen fides juſtificans, vel Chriſtum apprehendens non fuit. *Obiect.* Incredulitas damnatur lege. *Reſp.* Incredulitas, quæ eſt in Deum, damnatur lege: incredulitas autem, quæ eſt contra Meſſiam damnatur Evangelio. Quemadmodum enim non in lege, ſed in Evangelio patefit, incredulitatem in filium Mediatorem, eſſe peccatum: ita etiam non per legem arguitur incredulitas in Meſſiam, ſed per Evangelium, in quo iubemur audire illum, & in illum credere. Matth. 17. 5. 1. Ioh. 3. 23. Proinde apertum eſt, hoc peccatum, non credere in Chriſtum, expreſſè & diſtinctè declarari & damnari ab Evangelio. Et licet per legem ſit agnitio peccati, tamen non omne quod arguit & oſtendit peccatum aliquod, lex operum eſt vel ad eam pertinet. *Obiect.* II. Ceremoniæ ad Decalogum pertinent. *Reſp.* Ceremoniæ fortè poſſunt referri ad legem; vt exempla, tamen revera

ſunt Evangelii appendices.

CAP. 36.

De ſecundo gradu declarationis amoris Dei.

SEcundus gradus eſt iuſtificatio, quâ credentes iuſti coram Deo per obedientiam Chriſti accep-tantur. 2.Cor.5.21. *Fecit enim vt qui non novit peccatum, pro nobis* peccatum eſſet, *vt nos efficeremur* iuſtitia Dei *in eo.* 1.Cor.1.30. Rom.5.17, 18, 19. *Etenim ſi per vnam offenſam mors regnavit per vnum, multò magis iij, qui redundantem illam gratiam & donum iuſtitiæ accipiunt, in vita regnabunt per vnum Ieſum Chriſtum. Nempe igitur ſicut per vnam offenſam reatus venit in omnes homines ad condemnationem: ita per vnam iuſtificationem beneficium redundavit in omnes homines ad iuſtificationem vitæ. Sicut enim per inobedientiam vnius hominis, peccatores conſtituti ſunt multi, ita per vnius obedientiam, iuſti conſtituentur multi.*

Ἀπορία. Vtrum Chriſtus obedientiam legi præſtitit pro ſe vel pro nobis. Λύσις. I. Non pro ſe, vt quidam non rectè volunt. Nam caro Chriſti vnita τῷ λόγῳ hypoſticῶς & in ſeſe plenè ſanctificata; à primo conceptionis momento æterna vita beari digniſſima fuit: ergo illa omni, quæ conceptionem ſequuta eſt, obedientia, Chriſtus ipſe ſibi nihil eſt

meritus,

meritus. II. Pro nobis, id eſt, fidelibus omnem iuſtitiam legis implevit. Hinc dictus eſt, *Finis legis in iuſtitiam omni credenti.* Rom. 10.

Obiect. I. Chriſtus obligatur ad præſtandam legem pro ſe, ex eò quod homo eſt. *Reſpon.* Non obligatur naturâ ſed voluntate propria. Nam non fuit merus homo, ſed Deus ſimul & homo: & licet Chriſtus non niſi in carne aſſumpta ſit paſſus, legemque implevit, tamen propter hypoſtaticam vnionem paſſio hæc & obedientia totam ὅλως conſideratam perſonam reſpicit, & proinde illius obedientia fuit indebita. Imo quatenus caro Chriſti recepta eſt in vnitatem perſonæ Verbi, & ita ſuper omnes Angelos & dignitate,& ſanctitate evecta; ab hac naturæ obligatione videatur eximi.

Obiect. II. Si Chriſtus pro nobis obedientiam legi præſtitiſſet, nos ad eam non amplius obligamur: ſicuti nec pœnas æternas pro peccatis ſuſtinemus, quas Chriſtus in cruce pertulit. *Reſpon.* Servato in obedientia legis eodem reſpectu conſequentia vera eſt, alias non item. Nam quid impedit quo minus, Chriſto obedientiam præſtante, quatenus nimirum ea ſatisfactio eſt legis; fideles etiam ad obedientiam obligari, non quatenus ſatisfactio eſt, ſed quatenus eſt vel documentum fidei, vel teſtimonium gratitudinis erga Deum, vel ædificatio proximi: ſicuti CHRISTO æternas pro noſtris peccatis pœnas perpetiente, nos quoq; pœnas, quatenus

vel δοκιμασίαι ſunt vel τιμωρίαι, patimur. *Obiect.* III. Lex vel iuſtitia divina non ſimul vtrumque exigit, nempe & obedientiam & pœnam. *Reſp.* In ſtatu hominis integro obedientiam tantùm poſtulat iuſtitia Dei: ſed in corrupto ſtatu, requirit & pœnam & obedientiam. Pœnam, quòd violata lex; Obedientiam, vt iuſtitia legalis impleatur. Gal. 3. 10.

Eius partes duæ ſunt, Remiſſio peccatorum, & Imputatio iuſtitiæ. Remiſſio peccatorum eſt, qua reatus & pœna peccati à credente per Chriſti paſſionem removetur. Coloſſ. 1. 22. *Vos quondam abalienatos reconciliavit, &c. In corpore illo carnis ſuæ, per mortem: vt ſiſteret vos ſanctos & inculpatos, & irreprehenſos coram ſe.* 1. Pet. 2. 2. *Qui peccata noſtra pertulit in corpore ſuo ſuper lignum, vt peccatis mortui viveremus iuſtitiæ: cuius vibicibus* ſanati *eſtis.*

Imputatio iuſtitiæ, qua per iuſtitiam Chriſti credentes obtecta peccati culpa iuſti cenſentur. 2. Corinth. 5. 21. Pſal. 32. 1. *Beatus levatus à defectione, cuius tectum eſt peccatum.* Rom. cap. 4. totum, vbi Apoſtolus vndecies imputationem inculcat. Philipp. 3. 9. *Et comperiar in eo, non habens meam iuſtitiam, nempe quæ eſt ex lege, ſed eam quæ per fidem Chriſti, id eſt*, juſtitiam quæ eſt ex Deo per fidem.

Forma iuſtificationis, eſt quædam tranſlatio peccatorum credentis in Chriſtum, & viciſſim iuſtitiæ Chriſti in credentem, per reciprocam imputationem facta; vt apparet in iſto diagrammate.

Chriſtus



Hæc obedientia Chriſti appellatur iuſtitia Dei & Chriſti. Dei, I. non quòd Deo inſit, ſed quòd à Deo ſit. Nam à Deitate filii vim ſuam & meritum accipit. Vnde illud Hieremiæ, *Iehova iuſtitia noſtra.* II. Deus eam ſolam acceptat pro nobis, quia ſola nos facit ad Dei tribunal conſiſtere, vt habeamus abſolutionem à peccatis, & acceptationem ad vitam æternam. Chriſti, quoniam extra nos Chriſti humanitati ſubiectivè ineſt.

Obiect. I. Nemo iuſtus eſt aliena iuſtitia. *Reſpon.* Hæc iuſtitia & aliena eſt & noſtra. Aliena, quia Chriſto ineſt vt ſubiecto : noſtra, quia ex fundamento prædictæ vnionis Chriſtus cum omnibus

nibus eius bonis eius noſter eſt. *Obiect.* 11. Imputatio iuſtitiæ apud Patres non invenitur; vnde annis ab hinc quinquaginta excogitata fuiſſe videatur. *Reſpon.* Falſum & impium. Auguſt. tracta. 3. in Iohan. *Omnes qui per Chriſtum iuſtificati, iuſti* non in ſe ſed in illo. Barnarn. Serm. ad milites templi, cap. 11. *Quomodo mors hominis illius pro altero valuit? quia & iuſtus erat. Mors in Chriſti morte fugatur, & Chriſti* iuſtitia nobis imputatur. Et ſerm. 62. in Cant. *Vbi requies niſi in vulneribus Salvatoris? in æternum cantabo numquid iuſtitias meas? Domine memorabor tuæ iuſtitiæ ſolius: ipſa eſt enim & mea. Nempe factus es mihi tu iuſtitia à Deo. Numquid mihi verendum ne non vna ambobus ſufficiat? Non eſt pallium breve, quod non poſſit operire duos. Iuſtitia tua iuſtitia in æternum, & me & te pariter operiet largiter larga & æterna iuſtitia. In me operit multitudinem peccatorum, &c.* Auguſtin. de Spiritu & litera. cap. 9. & 26. *Sic intelligendum eſt, factores legis iuſtificabuntur, vt ſciamus aliter eos non eſſe factores legis niſi iuſtificentur: vt non iuſtificatio factoribus accedat,* ſed factores legis iuſtificatio præcedat, &c. *Ita dictum eſt, iuſtificabuntur, ac ſi diceretur, iuſti habebuntur, iuſti deputabuntur.*

Iuſtificationi annexa eſt Adoptio, per quam omnes ad eam prædeſtinati poteſtatem accipiunt, vt actu cenſeantur filii Dei per Ieſum Chriſtum. Ephe. 1.5. *Qui prædeſtinavit nos, quos adoptaret in filios per*

*Ieſum Chriſtum in ſeſe, pro benevolo affectu voluntatis ſua.*Ioh.1.12.

Hinc etiam multis privilegiis donantur. Primò, ſunt hæredes Dei. Rom. 8. 17. *Quòd ſi filij, etiam hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti: ſi modò ſimul cum eo patimur, vt ſimul cum eo glorificemur.*

Deinde, ſunt cohæredes Chriſti, & Reges. *ibid.*Revel. 1. 6. *Et fecit nos* Reges *&* Sacerdotes *Deo & Patri ſuo: ei, inquam, gloria, & robur in ſæcula ſæculorum.*

Tertiò, afflictiones omnes, etiam defectus atque lapſus, tantùm ſunt probationes vel caſtigationes paternæ ad bonum illorum. Rom. 8. 28. *Novimus autem, ijs, qui diligunt Deum, omnia ſimul conferre ad bonum, iis, qui ex propoſito ipſius ſunt vocati.* 36. 37. *Sicut ſcriptum eſt, cauſa tua occidimur totum diem, habiti ſumus velut oves deſtinatæ mactationi. Imo in his omnibus* pluſquam victores *ſumus, per eum qui dilexit nos.* Pſal.89.33,34. *Viſitabo quidem virga defectionem eorum, & plagis iniquitatem eorum. Sed benignitatem meam non irritam faciam ab eo, neque mentiar contra fidem meam.* 2.Corinth. 12. 7. *Et ne excellentia revelationum ſupra modum efferer, datus eſt mihi* ſtimulus infixus carni, *& Angelus* Sathan, *vt me colaphis cædat, nè ſupra modum efferar.* 2. Sam. 7. 14. *Ego ero illi in patrem, & ipſe erit mihi in filium, qui cum perverſè egerit, corripiam eum* virga hominum, *& plagis humanis.*

Quartò,

Quartò, dominium habent in omnes creaturas terræ, ita tamen vt in hac vita tantum habeant ius ad rem: ſed poſt hanc vitam habebunt etiam ius in re. 1.Cor.3.22,23.*Siue Paulus, ſiue Apollos, ſiue Cephas, ſiue mundus, ſiue vita, ſiue mors, ſiue præſentia, ſiue futura,* omnia, *inquam,* veſtra ſunt, *vos autem Chriſti, Chriſtus verò Dei.* Heb.2.7,8. *Feciſti eum paulò inferiorem Angelis: gloria, & honore coronaſti eum, & conſtituiſti eum ſuper opera manum tuarum,* omnia ſubieciſti ſub pedibus eius. *Enimverò per hoc quod ei ſubiecit omnia, nihil omiſit, quod non ſit ei ſubiectum: at nunc non videmus ei omnia eſſe ſubiecta.* 1.Tim.4.2,3,4. *Per hypocriſin falſiloquorum, quorum conſcientia cauterio reſecta eſt, prohibentium contrahere matrimonium, iubentium abſtinere à cibis,* quos Deus creauit, ad participandum cum gratiarum actione, fidelibus, *& ijs qui cognouerunt veritatem. Nam quicquid creavit Deus, bonum eſt, nec quicquam reijciendum eſt, ſi cum gratiarum actione ſumatur.*

Poſtremò, Angelos habent miniſtros ad commodum ſuum. Heb.1.14. *Nonnè omnes ſunt miniſtratores ſpiritus, qui miniſterij cauſa mittuntur propter eos, qui hæredes erunt ſalutis.* Pſal.34.8. *Caſtrametantur Angeli Iehovæ circa timentes eius, & eripit eos.* Vnde conſtat fideles tantùm habere ſanctum vſum bonorum Dei: quia I. eorum perſonæ Deo placent in Chriſto; in quo vitam & bonorum per Adamũ amiſſorum reſtitutionem habent, vt iis ſalua conſcientia poſſint vti. II. Et etiam vtuntur iis cum gratiarum actione ad fines ordinatos à deo.

CAP. 38.

De tertio gradu declarationis amoris Dei.

TErtius gradus eſt ſanctificatio, qua credentes liberati à tyrannide peccati paulatim intrinſecus renouantur in ſanctitate & iuſtitia. 1. Ioh. 3.9. *Quiſquis natus eſt ex Deo, peccatum non committit: quoniam ſemen ipſius in eo manet, nec poteſt peccare, eo quòd ex Deo natus eſt*. Rom. 8. 1. *Nulla igitur nunc eſt condemnatio iis, qui ſunt in Chriſto Ieſu, id eſt qui non ſecundum carnem incedunt, ſed* ſecundum ſpiritum.

Sanctificationis partes ſunt: Mortificatio, & Viuificatio.

Mortificatio peccati, qua peccati vis paulatim debilitatur & interimitur. Rom. 6. 2, 3, 4, 5. *Abſit: qui mortui ſumus peccato, quomodò adhuc viuemus in eo? An ignoratis nos quotquot baptizati ſumus in Chriſtum Ieſum, in mortem eius eſſe baptizatos? Sepulti igitur ſumus vnà cum eo per baptiſmum in mortem: vt ſicut excitatus eſt Chriſtus ex mortuis in gloriam patris, ità & nos noua vita ambulemus. Nam ſi cum eo plantati coaluimus, conformatione reſurrectionis coaleſcemus.* Gal. 5. 24. *Qui enim ſunt Chriſti*, carnem crucifixerunt *cum affectibus & concupiſcentiis.*

Eius remedium, eſt mors & ſepultura Chriſti, à quibus vis procedit, quæ ab initio faciens lethale vulnus vim graſſandi peccato adimit, & quaſi in ſepulchro

pulchro facit mori & computreſcere.

Vis mortis Chriſti eſt vis quædam à divinitate Chriſti in illius humanitatem iam morientem promanans, qua peccatum noſtrum ſibi pro nobis ſponſori imputatum, quoad pœnam & reatum in eadem humanitate expugnavit, vt in nobis ſimiliter membris illius eadem vi corruptionem peccati aboleret.

Vivificatio eſt, qua ſanctitas inhærens & inchoata, perpetuò & paulatim augetur. Primò, accipimus primitias Spiritus, tum earum continuam auctionem. Epheſ. 4. 23, 24. *Renovari verò ſpiritu mentis veſtræ: & induere novum illum hominem, qui ſecundum Deum conditus eſt ad iuſtitiam & ſanctitatem veram.* Epheſ. 2. 1. *Et vos vnà vivificavit, cum eſſetis mortui in offenſis & peccatis.* Galat. 2. 20. *Vnà* cum Chriſto crucifixus ſum, *vivo autem non amplius ego, ſed vivit in me Chriſtus: & vitam quam nunc vivo in carne, vivo per fidem filij Dei, qui dilexit me & tradidit ſemetipſum pro me.* Rom. 8. 23. *Neque verò illa ſolùm, ſed & ipſi qui* primitias ſpiritus *habemus, noſipſi, inquam, apud noſipſos ſuſpiramus, adoptionem expectantes, id eſt, redemptionem corporis noſtri.* 1. Cor. 15. 45. *Ita enim ſcriptum eſt, factus eſt prior Adam animal vivens, poſterior autem Adam factus eſt* ſpiritus vivificus.

Remedium, eſt virtus à reſurrectione Chriſti emanans in eos, & faciens vt in novam vitam reſurgant. Philip. 3. 10. *Vt cognoſcam eum, &* vim reſurrectionis ipſius, *& communionem perpeſſionum ipſius, dum conformis fio ipſius morti.*

Vis

Vis reſurrectionis Chriſti eſt, qua primùm in carne ſua victor mortis & peccati cœpit vivere Deo, & exaltari ſupra omne nomen: deinde in membris mortuo & ſepulto peccato facit vt exiſtat ſtudium & propoſitum vivendi ex voluntate Dei.

Vtriuſque efficiens eſt, Spiritus ſanctus efficaciter ſe in credentes inſinuans, & in iis applicando vim mortis & reſurrectionis Chriſti, ſanctitatem creans. Rom. 8.9, 10. *Vos autem non eſtis in carne, ſed in ſpiritu: ſiquidem* Spiritus Dei habitat in vobis, *quod ſi quis ſpiritum Chriſti non habet, is non eſt eius. Porrò, ſi Chriſtus in vobis eſt, corpus quidem mortuum eſt propter peccatum, ſpiritus autem vita eſt propter iuſtitiam.*

Sanctitas rurſus pro varietate facultatum hominis multiplex eſt. 1. Theſſ. 5.23. *Ipſe autem Deus pacis author* ſanctificet vos totos: *& integer veſter ſpiritus, & anima, & corpus inculpate in adventum Domini noſtri Ieſu Chriſti ſerventur.*

I. Sanctitas vel renovatio mentis, eſt eius illuminatio in agnitionem voluntatis Dei. Coloſſ. 1.9. *Propterea & nos ex quo die id audivimus, non deſivimus pro vobis orare, & petere vt* impleamini omni agnitione voluntatis *eius, cum omni ſapientia & intelligentia ſpirituali.* 1. Cor. 12.8. *Nam huic quidem per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ, alij verò ſermo cognitionis, per eundem ſpiritum.*

Eſtque ſpiritualis, vel intelligentia vel ſapientia. Intelligentia ſpiritualis eſt, qua notam verbi Dei veritatem agnoſcimus. Sapientia eſt, qua veritas eadem ad res & actiones particulares rectè adminiſtrandas,

pro

pro circumſtantiis perſonarum, locorum, temporum applicatur.

Vtriuſque effecta ſunt.

I. Diſcretio boni & mali. Hebr. 5. 14. *Sed adultorum ſolidus eſt cibus, eorum videlicet qui propter habitum, ſenſus habent* exercitatos ad diſcretionem *boni & mali.* Philip. 1. 10. *Vt dignoſcatis quæ diſcrepant, vt ſitis ſinceri, & inoffenſo curſu pergatis ad diem vſque Domini.* II. Dijudicatio ſpirituum. 1. Iohan. 4. 1. *Dilecti, ne cuivis ſpiritui credite, ſed* probate ſpiritus *an ex Deo ſint, nam multi Pſeudoprophetæ venerunt in mundum.* 1. Theſſ. 5. 21. *Omnia explorate: quod bonum fuerit retinete.* Act. 17. 11. *Fuerunt autem iſti generoſiores iis Iudæis, qui erant* T*heſſalonicæ, vt qui receperint ſermonem cum omni alacritate,* quotidiè ſcrutantes ſcripturam, *an hæc ita ſe haberent.* III. Meditationes de verbo & operibus Dei. Pſal. 1. 2. *Sed in lege Iehovæ eſt oblectatio eius: & de lege illius meditatur interdiu ac noctu.* Pſal. 119. 15. *De mandatis tuis* meditor, *& intueor ſemitas tuas.* Pſal. 107. totus. IIII. Agnitio internæ cæcitatis. Pſal. 119. 33. Doce me, *Iehova, viam ſtatutorum meorum, quam cuſtodiam in finem vſque.*

II. Sanctitas memoriæ eſt, vis cuſtodiendi rem bonam menti oblatam, & eiuſdem reminiſcentia. Pſal. 119. 11. *In animo meo* recondo *ſermonem tuum, vt non peccem in te.* Pſal. 16. 7. *Benedicam Iehovæ, qui conſulit mihi; etiam per noctes erudientibus me renibus meis.* Luc. 2. 51. *Et mater omnia* hæc conſervabat *in corde ſuo.*

III. *San-*

III. Sanctitas conſcientiæ, eſt vis excuſandi hominem de peccatis omnibus in Chriſto remiſſis, & de vita cum integritate acta. 1. Tim. 1. 19. *Retinens fidem, & bonam conſcientiam: qua repulſa, nonnulli fidei naufragium fecerunt.* 1. Cor. 4. 4. Nullius *enim rei mihi* conſcius ſum: *ſed non per hoc iuſtificatus ſum: ſed Dominus is eſt qui me dijudicat.* Act. 23. 1. *Intentis autem oculis in conſeſſum, Paulus ait, ego* omni conſcientia bona *(viri fratres) ſervivi Deo ad hunc vſque diem.* Act. 4. 16. *In hoc igitur ipſe me exerceo, vt conſcientiam habeam ſine offendiculo apud Deum & apud homines ſemper.* Pſal. 26. 1, 2, 3. *Iudicem meum age, Iohova, quoniam ego in integritate mea ambulo, & Iehovæ confido, me non vacillaturum.* Proba me, Iehova, *& tenta me, renes meos & animum meum. Nam benignitas tua coram oculis meis eſt, & continenter ambulo in veritate tua.*

Hinc oritur interna pax Dei, & externa in vultu alacritas. Philip. 4. 7. *Et* pax Dei *quæ ſuperat omnem intellectum, præſidio erit cordibus veſtris, & mentibus veſtris in Chriſto Ieſu.* Prov. 28. 1. *Fugit improbus quiſque, nemine perſequente: iuſti autem ſunt ſimiles* iuveni leoni confidenti.

IIII. Sanctitas voluntatis, qua incipit velle bonum, & malum nolle. Eſt ergò partim à peccato liberata, partim ſerva peccati. Phil. 2. 13. *Deus enim is eſt, qui efficit in vobis & vt velitis, & vt efficiatis pro gratuita ſua benevolentia.* Rom. 7. 18. *Novi enim non habitare in me (ideſt, in carne mea) bonum. Nam velle adeſt mihi, ſed vt quod bonum eſt perficiam, non aſſequor.*

V. Sanctitas affectionum, eſt earũm recta commotio. 1. Theſſ. 5. 23.

Hac laude inprimis ſunt illuſtres. I. Spes, qua cum ſuſpiriis expectamus complementum redemptionis. Rom. 8. 23. Spei confirmatæ & vivæ ſua quoque eſt πληροφορία. Hebr. 6. 11. *Cupimus vt vnuſquiſque veſtrum idem ſtudium ad finem vſque oſtendat,* [πρὸς τὴν πληροφορίαν τῆς ἐλπίδος] *ad plenam ſpei certiorationem.* 1. Pet. 1. 3. *Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Ieſu Christi, qui ex multa ſua miſericordia regenuit nos* in ſpem vivam, *per reſurrectionem Ieſu Chriſti ex mortuis.* II. Timor offenſionis Dei ob miſericordiam. 1. Pet. 1. 17. *Itaque ſi patrem cognominatis eum qui citrà perſonarum reſpectum iudicat ex cuiuſq; opere, cum timore verſamini commorationis veſtræ tempore.* III. Vilis æſtimatio omnium præ Chriſto Ieſu. Philip. 3. 7, 8. *Sed quæ erant mihi lucra, ea duxi propter Chriſtum damnum eſſe. Quinetiam certè duco omnia damnum eſſe propter eminentiam cognitionis Chriſti Ieſu domini mei: propter quem omnibus iſtis meipſum multavi, eáq; duco* pro ſtercoribus, *vt Chriſtum lucrifaciam.* IIII. Amor erga Deum in Chriſto, qui ſit inſtar mortis, & ſicut ignis qui non poteſt extingui. Cant. 8. 6, 7. *Impone me vt ſigillum animo tuo, vt ſigillum brachio tuo. Nam fortis eſt vt mors amor, durum eſt vt ſepulchrum zelus: prunæ eius prunæ ſunt, ignisq; flammæ divinæ, &c.* V. Zelus fervidus erga gloriam Dei. Rom. 9. 3. *Optarim enim ego ipſe anathema eſſe ſeparatum à Chriſto, pro fratribus meis, cognatis, inquam, meis ſecundum carnem.* VI. Angor excru-

cru-

crucians animum ob peccata, & ſua & aliorum. Pſal. 116. 136. *Rivi aquarum deſcendunt ex oculis meis, propter eos qui non obſervant legem.* 2. Pet. 2. 7, 8. *Et iuſtum Lot nefariorum libidinoſa converſatione* fatigatum *eripuit. Iuſtus enim ille quum habitaret inter eos, indies animam ſuam iuſtam iniquis illorum factis & videndo, & audiendo excruciabat.* VII. Exuperantia gaudii ſpiritus ſancti. Rom. 14. 17. *Non enim eſt regnum Dei eſca & potus, ſed iuſtitia, & pax, & gaudium per ſpiritum ſanctum.*

VI. Sanctitas corporis, per quam aptum eſt, vt ſit inſtrumentum animi in bono perficiendo. Rom. 19. *Hominum more loquor, propter infirmitatem carnis veſtræ. Itaque ſicut ſtitiſtis membra veſtra ſerva impuritati & iniquitati adpatrandam iniquitatem: ita nunc ſiſtite membra veſtra ſerva iuſtitiæ ad ſanctimoniam.*

CAP. 39.

De reſipiſcentia, & eius fructibus.

E Sanctificatione exoritur reſipiſcentia: Quia nemo ſeriò reſipiſcit, niſi qui ſeipſum abnegans peccatum odit ex animo, & iuſtitiam amplectitur. Et hoc nemo vlla ex parte præſtare vult aut poteſt, niſi qui regeneratus & juſtificatus eſt coram Deo, & vera fide imbutus. Ergo vtcunque primùm in converſis appareat: tamen fidem & ſanctificationem quoad naturæ ordinem ſequitur. Hinc etiam conſtat eam legali contritione veræ

converſionis occaſionem, & quandam præparatio-nẽ præbente, ex Evangelii prædicatione omnino reſipiſcentiam exiſtere.

Reſipiſcentia eſt, quando quis convertit ſe ad Deum. Act.26.20. *Sed iis qui ſunt Damaſci primùm, & Hieroſolymis, & per omnem regionem Iudææ, deinde & gentibus, annuntiavi* [μετανοεῖν] *vt reſipiſcerent, &* converterent ſe ad Deum, *opera facientes digna iis qui reſipuiſſent*. 1.Ioh.3.3. *Et quiſquis habet hanc ſpem in eo ſitam*, purificat ſe, *ſicut ille purus eſt*.

Hæc autem fit, quando quiſquiam actus à ſpiritu ſancto, ſtatuit, vult, deſiderat, conatur peccata ſua relinquere, & vitam novam agere. Pſal.119.112. *Inclino animum meum ad faciendum ſtatuta tua: in ſæculum, in finem vſque*. 1.Ioh.3.3. Act. 11.23. *Qui cum adveniſſet & vidiſſet gratiam Dei, gaviſus eſt, & hortatus eſt omnes, vt* propoſito cordis *permanerent in Domino*. 1.Ioh.5.18. *Renatus* conſervat *ſeipſum*.

Reſipiſcentiæ fructus eſt Chriſtiana converſatio, in qua eduntur opera digna iis qui reſipiſcunt. Matt. 3.8. *Ferte igitur fructum dignum iis qui reſipiſcunt*.

Chriſtiana converſatio eſt, qua Chriſtum imitantes, Deo novam obedientiam per eum præſtamus. Matth. 11.29. T*ollite iugum meum ſuper vos*, & diſcite à me, *quòd mitis ſim & humilis corde: & invenietis requiem animabus veſtris*. 1.Pet.4.1. *Quùm igitur Chriſtus paſſus ſit pro nobis carne, vos quoq; eadem cogitatione armamini, nempè quod qui paſſus eſt in carne, deſtitit à peccato*. 1.Pet.2.21. *Nam ad hoc vocati eſtis, quoniam & Chriſtus paſſus eſt pro vobis*, relinquens

quens vobis exemplar, *vt inſequeremini veſtigia ipſius.* 1. Pet. 3. 10, 11. *Itaque qui vult vitam diligere, & videre bonos dies, coërceat linguam ſuam à malo, & labia ſua ne loquantur dolum: declinet à malo, & faciat bonum: quærat pacem, & perſequatur eam.*

Novæ obedientiæ partes ſunt; Abnegatio noſtri, & obedientia Chriſti. Matth. 16. 24.

Abnegatio noſtri, eſt vel Chriſtiana militia; vel tollerantia crucis.

CAP. 40.

De Chriſtiana militia.

CHriſtiana militia eſt, de bello ſpirituali ritè gerendo.

Ejus partes ſunt, Apparatus, & Conflictus.

Ad apparatum adhibenda eſt panoplia Dei. Eph. 6. 13. *Quapropter induite univerſam armaturam Dei, vt poſſitis occurrere malo, & præparati exiſtentes in omni re conſiſtatis.*

Eius partes ſunt præcipuè ſex. I. Veritas. II. Iuſtitia. III. Obedientia Evangelica. IIII. Fides. V. Verbum Dei. VI. Preces aſſiduæ & ferventes cum vigilantia. Epheſ. 6. 14. *State igitur lumbis circumcinctis* veritate, & *induti* thorace iuſtitiæ. 15. *Calceatis pedibus præparatione* Evangelii pacis. 16. *Inſuper aſſumpto* ſcuto fidei, *quo poſſitis omnia iacula mala illius ignita extinguere.* 17. Galeam *etiam*

ſalutarem accipite,& gladium ſpiritualem, hoc eſt verbum Dei. 18. *Omni prece & ſupplicatione precantes omni tempore per ſpiritum, & illi ipſi rei invigilantes cum omni perſeverantia.* 1. Pet. 5. 8, 9. *Sobrij eſtote: vigilate: nam adverſarius veſter Diabolus, tanquam Leo rugiens, obambulat quærens quem devoret.*

Conflictus, eſt actio mutua ſpiritualiter confligantium.

Certantes ſunt, tentator & miles Chriſtianus. Eph. 6. 12. *Quia colluctatio veſtra non eſt adverſus carnem & ſanguinem, ſed adverſus principatus, & adverſus poteſtates, & adverſus poſſeſſores mundi huius tenebroſi, & adverſus ſpiritus malos, qui ſunt ſub cœlis.*

Tentator, eſt vel Princeps, vel Subſidiarius. Princeps, eſt Satanas cum ſuis angelis, qui ſpirituales ſunt nequitiæ in cœleſtibus. Subſidiarius, eſt caro & mundus.

Horum actio, tentatio eſt; qua inſtigatur homo ad malum animæ ſaluti noxium. 1. Pet. 2. 11. *Dilecti mei, peto à vobis, tanquam advenis & tanquam incolis, voſipſos ſeparate ab omnibus concupiſcentiis corporis, quæ* gerunt bellum *adverſus animam.*

In milite, duo conſideranda ſunt: Antiſtaſis, & Lapſus. Epheſ. 6. 13.

1. Antiſtaſis eſt, qua miles tentationi reſiſtit per gratiam intus agentem. 1. Ioh. 2. 14. *Scripſi vobis, patres, quoniam noſtis eum qui eſt à principio. Scripſi vobis, adoleſcentes, quia fortes eſtis, &* verbum Dei habitat in vobis, *& illum malum viciſtis.* 1. Pet. 5. 8. Epheſ. 6. 16. Pſal. 91. 13. *Super ferocem Leonem & aſpidem*

-dem incedes, conculcabis iuvenem Leonem & draconem.

Ad hanc firmandam iſta inſerviunt prophylacti-ca. I. Tentatus ad peccatum, non ſolùm abſti-neto, ſed etiam contrarium diligenter facito. Ioh. 8.44. II. Aſſerenti Satanæ nunquam aſſentien-dum; ſiue dicat verum, ſiue accuſet falſò, ſive blan-diatur. Iohan.8.44. *Vos ex patre accuſatore illo eſtis, & deſiderium patris veſtri vultis facere, qui à principio homicida eſt, & in* veritate non ſtetit, *quia veritas non eſt in eo, & quando loquitur mendacium, de ſuo loquitur; quia* mendax eſt, *etiam pater ipſius mendacij.* Marc. 1.24. *Dicens, ah, quid nobis tecum Ieſu Nazarene? veniſti, vt perderes nos, novi te quis ſis, nimirum ſan-ctus ille Dei.* 25. Et *obiurgavit* eum Ieſus, *dicens, ob-muteſce.* Act.16.17. *Et veniebat poſt Paulum & poſt nos, & clamabat, ac dicebat, hi homines ſervi ſunt Dei excelſi, & evangelizant vobis viam ſalutis.* Hoc au-tem fecit ad multos dies, ſed Paulus moleſtè fe-rens, &c. Auguſt. ſerm. 241. III. Tentatio vna expectanda eſt ex altera, etiam tum maximè, quando hoſtis, quaſi actis induciis, quieſcit: nam Diabolus otium malitiæ ſuæ nunquam facit. 1. Pet.5.8.

Lapſus eſt, quo miles ex infirmitate deficit ho-ſtium impetu victus. Galat. 6. 1. *Fratres, etiamſi* præoccupatus *fuerit homo in aliqua offenſa, vos ſpiri-tuales inſtaurate huiſmodi hominem cum ſpiritu man-ſuetudinis, conſiderans vnuſquiſque temetipſum, ne*

&

& tu tenteris.

Huc pertinet remedium ſpirituale, quod ad κατάρτισιν faciendum eſt aptum, & hic duo ſemper cogitanda ſunt. Galat. 6. 1. I. Si adſit promptus animus, quiſque acceptus eſt pro ea gratia, quam habet, non pro ea quam non habet. 2. Cor. 8. 12. *Si enim voluntas adſit, prout eſt ei, ita accepta eſt, nequaquam ſecundum id quod non eſt.* II. In iis omnibus, qui volunt piè vivere in Chriſto, potentia Dei perficienda eſt per infirmitates. 2. Cor. 12. 9. *Et dixit mihi, Sufficit tibi gratia mea, nam* potentia mea per infirmitatem *ad finem ſuum adducitur: libentiſſimè igitur gloriabor potius de infirmitatibus meis, vt tanquam in tabernaculo inhabitet in me potentia Chriſti.* 10. *Propterea oblector in infirmitatibus, in contumelijs, in neceſſitatibus, in perſequutionibus, in anguſtiis pro Chriſto: quum enim infirmus ſum, tum potens ſum.*

CAP. 41.

De primo conflictu.

Conflictus eſt triplex.

I. Primus conflictus eſt circa vocationem.

Hîc tentatio, eſt Diaboli conatus in mente excæcanda, & corde indurando, ne verbum Dei ſit ad ſalutem efficax. Matth. 13. 4. *Et quum ſeminaret, fuit quod caderet iuxta viam; & venerunt aves & comederunt eum.* 5. *Et aliud cecidit ſuper petram, ita vt non eſſet*

eſſet terræ multum: & eadem hora exortum eſt, proptereà quòd nulla eſſet profunditas terræ. 6. Quùm autem ortus eſt ſol, calorem ſenſit, & quia non erat ei radix, exaruit. 7. Et aliud cecidit in locum ſpinarum, & aſcenderunt ſpinæ & ſuffocaverunt ipſum. 19. Omnis qui audit ſermonem regni, & non intelligit ipſum, venit malus & rapit *ſermonem ſeminatum in corde eius: hoc eſt quod ſeminatum erat iuxta viam.*

Antiſtaſis in Vocandis, fit per Spiritum Dei, qui dat aures vt audiant, & verbum cordi inſerit, vt regenerationis fiat immortale ſemen. Pſal.40 6. Ioh. 6. 44. Act. 16. 14. Iacob. 1. 21. *Propter hoc longè removete à vobis omnem impuritatem & facem malitiæ, & cum manſuetudine* recipite [τὸν ἔμφυτον λόγον] *ſermonem inſitum in vobis ipſis, qui poteſt ſervare ipſas animas veſtras.* 1. Pet. 1. 22. *Qui igitur animas veſtras* purificaſtis, auſcultando *veritati per ſpiritum, cum charitate fraterna ſimulationis experte, ex puro corde alij alios diligite impensè.* 1. Ioh. 3. 9. *Quiſquis natus eſt ex Deo, peccatum non committit, quoniam* ſemen ipſius *in eo manet: nec poteſt peccare, eo quòd ex Deo natus eſt.*

Anſtiſtaſis in Vocatis, eſt quando in corde honeſto ſermonem auditum cum fide miſcent. Luc. 8. 15. *Id autem quod in terram bonam, ij ſunt, qui corde* demiſſo & bono *audiunt ſermonem & retinent, & dant fructus per patientiam.* Heb. 4. 2.

Hîc prophylactica ſunt. 1. Præmeditatio de vi & vſu verbi. Eccles. 5. 1. *Obſerva pedem vtrumque tuum cùm adis domum ipſius Dei, vt præſtò ſis ad audiendum potius, quàm ad dandum* donarium ſtolidorum,

aut ſacrificium: nam hi non advertunt ſe facere malum. 2. *Ne acceleres ore tuo, & animus tuus ne feſtinet proferre quicquam coram ipſo Deo: nam Deus ipſe in cœlis eſt, tu autem ſuper terram: idcirco ſunto verba tua pauca.* II. Mentis attentio. Act. 16. 14. III. Cordis eſuries. Iohan. 7. 37. *Vltimo autem die illo magno feſti ſtetit Ieſus & clamavit, dicens, ſi quis ſitit, veniat ad me & vivat.* IIII. Innocentia vitæ. Pſal. 26. 6. V. Abjectio pravorum affectuum. Iacob. cap. 1. verſ. 21. *Sermo Dei* cum lenitate *recipiendus. Et affectus* mentem *diſtrahunt.* VI. Cordis internus concentus cum audito verbo. Act. 2. 37. VII. Occultatio verbi in corde ne peccemus. Pſal. 119. 11. *In animo meo* recondam *ſermonem tuum, vt non peccem in te.* VIII. Tremor ob Dei præſentiam in conventu Eccleſiæ. Eſa. 66. 2. *Atqui omnia iſta fecit manus mea, & per eam exiſtunt omnia iſta, dictum Iehovæ: ſed in hunc intueor in pauperem & contritum ſpiritu, ac* trepidantem ad verba mea. Act. 10. 33. *Et eadem* hora miſit *ad te: tuq; benè feciſti, quòd adveneris: & ecce, nos omnes* in conſpectu Dei *adſumus, vt audiamus quicquid mandatum eſt tibi à Deo.*

Lapſus, eſt tepor in verbo recipiendo, & eiuſdem neglectus, vel etiam ad errorem defectio. Horum remedium eſt ſubiectio, fratrum & miniſtrorum cenſuris facienda. Apoc. 3. 15. *Novi opera tua, nempe te neque frigidum eſſe, neque fervidum; vtinam frigidus eſſes, aut fervidus.* Gal. 6. 2. 1. Tim. 1. 20. *Sicut Hymenæus & Alexander, quos tradidi Satanæ,*

tanæ, ne ſint blaſphemi.

CAP. 42.

De ſecundo Conflictu.

SEcundus conflictus eſt circa fidem.

Tentatio eſt illuſio injecta cordi à Diabolo, vt, non es electus; non es iuſtificatus; fidem non habes; damnandus es ob peccata. Matth. 4. 3. *Et quum veniſſet ad eum tentator, dixit,* ſi filius es Dei, *dic vt iſti lapides panes fiant.*

Illuſionum quoque iſtarum procatarctica ſunt: I. Res adverſæ, vt pericula, damna, perſequutiones, ſcandala triſtiſſima. Pſal. 73. 12. *Ecce iſtos improbos, vt tranquilli in ſæculo augeant vires.* 13. *Vtique* inaniter purifico animum *meum, & lavo in munditia manus meas.* Iob. 13: 23. *Quot mihi iniquitates & peccata ſint: defectionem meam & peccatum meum notum fac mihi:* 24. *Quare faciem tuam abſcondas, &* reputes me inimicum *tibi?* 25. *An folium impulſum exagitares, aut ſtipulam aridam perſequereris?* II. Recordatio peccati præteriti. Iob. 13. 26. *Quòd reſcribis contra me amaritudines, & efficis vt poſſideam hæreditariò iniquitates pueritiæ meæ.* III. Senſus mortis iam inſtantis.

Antiſtaſis.

Antiſtaſis fit per veram fidem, Chriſtum eiuſque merita ſingula ſpeciatim applicantem, hoc modo: credo me non damnandum, ſed electum in Chriſto, & iuſtificatum eſſe, & omnia mea peccata mihi remiſſa eſſe firmiter ſtatuo. Eſa.53.11. *Exemptum moleſtia ſeipſum videns ſatiabitur*, cognitione ſui iuſtificabit *iuſtus ſervus meus multos, quorum iniquitates ipſe baiulaverit*. Rom. 8. 38. *Nam* mihi perſuaſum eſt, *neque mortem, neque vitam, neque Angelos, neque principatus, neque poteſtates, neque inſtantia, neque futura*. 39. *Neque ſublimitatem, neque profunditatem, neque vllam rem aliam creaturam poſſe nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro.*

Prophylacticon eſt, in tentatione non aſpicere fidem, ſed obiectum fidei, Chriſtum. Philip. 3. 12. *Nedum vt iam metam apprehenderim, aut iam perfectus ſim: ſed perſequor experiens an quoque apprehendam, cuius etiam rei cauſa* apprehenſus ſum à Chriſto *Ieſu*. 14. *Vnum autem ago, ea quidem quæ à tergo ſunt obliviſcens, ad ea verò quæ à fronte ſunt contendens, ſcopum verſus feror ad palmam ſupernæ vocationis Dei in Chriſto Ieſu*. Iohan. 3. 14. *Prout autem Moſes extulit ſerpentem in deſerto, ita extolli oportet filium hominis*, vt qui credit in eum, &c.

Lapſus, eſt dubitatio, vel deſperatio de electione, & de miſericordia Dei. Pſal. 17. 7. *Recordor muſicæ pulſationis meæ nocte: cum animo meo meditor, & perſcrutatur animus meus, dicens*: 8. *An in ſæcula repelleret Dominus, aut non pergeret benè velle amplius?* 9. *An deficeret in æternum benignitas eius? deſineret*

ſermo

ſermo in quamque generationem? ſic David etiam de ſe. Pſal.22.1. *Mi Deus fortis, mi Deus fortis, quare dereliquiſti me; longinquus à ſalute mea, à verbis rugitus mei?*

Remedium eſt duplex. Primum, operatio Spiritus ſancti exuſcitantis fidem & augentis. Philip.1.6. *Perſuaſum habens hoc ipſum, fore, vt qui cœpit in vobis opus bonum, perficiat vſque ad diem Ieſu Chriſti.* Luc. 17. 5. *Tunc dixerunt Apoſtoli Domino*: adde nobis fidem.

Alterum, eſt ſancta meditatio, quæ multiplex eſt. I. Mandatum eſſe Dei, vt credamus in Chriſtum. 1. Ioh.3.23. *Hoc eſt igitur eius mandatum, vt credamus nomini filij eius Ieſu Chriſti, & diligamus alij alios, ſicut mandavit nobis.* II. Promiſſiones Evangelicas indefinitas eſſe, & neminem excludere, niſi quis fortè ſeipſum excluſerit. Eſa.55.2. *Heus* quiſque *ſitit, venite ad iſtas aquas, & cui nulla eſt pecunia, venite, comparate & comedite, venite, inquam, comparate abſque pecunia, & abſque pretio vinum & lac.* Matt.11.28. *Venite ad me* omnes, qui fatigati *eſtis & onerati, & ego faciam vt requieſcatis.* Iohan. 3.15. *Vt* quiſquis credit *in eum non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Et baptiſmi atq; Cœnæ Domini Sacramenta promiſſiones indefinitas ſingulis ſigillatim applicant: ideoq; multum faciunt ad perticularem πληροφορίαν. III. Dubitationes & deſperationes grauiſſima eſſe peccata. IIII. Contra ſpem ſub ſpe credendum cum Abrahamo. Rom.4.18. *Qui Abraham* contra ſpem ſub ſpe *credidit, vt fieret pater multarum gentium, ſecundum id*

quod ei dictum fuerat, ita erit ſemen tuum. V. Et miſericordiam Dei, & efficaciam obedientiæ Chriſti θεανθρώπου eſſe infinitam. Eſa. 54. 10. *Quamvis hi montes recederent, & hi colles dimoverentur, attamen benignitas mea à te non recedet, & fœdus pacis meæ non dimovebitur, ait miſerator tuus Iehova.* Pſal. 103. 11. *Sed quàm alti ſunt cœli ſupra terram, prævalet benignitas eius erga timentes eum.* 1. Ioh. 2. 1. *Filioli mei, hæc ſcribo vobis, vt ne peccetis, quod ſi quis etiam peccarit,* advocatum *apud Patrem habemus, Ieſum Chriſtum iuſtum.* 2. *Et ipſe* eſt propitiatio *pro peccatis noſtris: nec pro noſtris ſolùm, ſed etiam pro totius mundi peccatis.* Pſal. 130. 7. *Expectationem habeat Iſrael in Iehova, quia apud Iehovam eſt benignitas, &* plurimum apud eum redemptionis. V I. Obedientiam deo debitam affectu potius, quàm effectu ęſtimandã eſſe. Rom. 8. 5. *Nam qui ſecundum carnem ſunt, quæ carnis ſunt ſapiunt, qui verò ſunt ſecundũ ſpiritum, quæ ſpiritus ſunt.* 7. *Propterea quòd intelligentia carnis, inimicitia eſt adverſus Deum; legi enim Dei non ſubijcitur, nam ne poteſt quidem.* Rom. 7. 20. *Quod ſi id facio, quod ego nolo, non amplius ego id perpetro, ſed peccatum quod in me habitat, id perpetrat.* 21. *Comperio igitur volenti mihi facere bonum, hanc legem impoſitam eſſe, quod mihi malum adiaceat.* 22. *Delector enim lege Dei, quoad interiorem hominem.* Malac. 3. 17. *Parcam ijs, quemadmodum* quis parcit filio *qui colit eum.* V I I. Remiſſo peccato vel vno, eſſe omnia remiſſa: quia remiſſio ſemel data, abſque vlla præ-

ſcriptione

ſcriptione temporis, in æternum eſt data. Rom. 11. 29. *Nam dona illa, & illa vocatio eiuſmodi ſunt, vt eorum ipſum pœnitere non poſſit.* Act. 10.43. *Huic etiam omnes Prophetæ teſtimonium dant*, remiſſionem peccatorum *accepturum per nomen eius quemvis qui crediderit in eum.* V I*I I.* Lapſu non tolli gratiam & fidem, ſed illuſtrari. Rom. 5. 20. *Lex verò præter ì introiit, vt augeretur offenſa; ſed vbi auctum eſt peccatum, ibi* ſuperabundavit *gratia.* 2.Cor.12. 7. *Et ne excellentia revelationũ ſupra modum efferrer, datus eſt mihi ſurculus infixus carni nempe Angelus Satan vt me colaphis cædat. Super hoc ter Dominum rogavi, vt abſcederet â me: & dixit, ſufficit tibi gratia mea.* *I*X. Cuncta Dei opera eſſe in mediis contrariis. 2. Cor. 12. 9. *Potentia Dei per infirmitatem perficitur.*

CAP. 43.

De tertio Conflictu.

TErtius conflictus, eſt circa ſanctificationem.

Tentatio, eſt ſollicitatio ad peccatum, prout natura cuiuſque & occaſio tulerit. 1.Chron.21. 1. *Inſtans autem adverſarius contra Iſraelem, incitavit Davidem ad numerandum Iſraelem.* Iohan. 13. 2. *Et cœna facta, cum Diabolus iam* immiſiſſet in cor *Iudæ filij Simonis Iſcariotæ, vt proderet eum.*

In

In hac tentatione Diabolus peccatum admittendum mirè extenuat, partim fucatè opponendo miſericordiam Dei, partim peccati pœnas occultando.

Deinde, præbent ei ſubſidium. Primò, Caro quæ concupiſcit adverſus ſpiritum, quâ gignendo pravos motus & affectus, quâ bonos obruendo. Galat. 5. 17. *Nam caro concupiſcit adverſus ſpiritum, ſpiritus autem adverſus carnem, hæc autem inter ſe oppoſita ſunt, ut non quæcunque volueritis eadem faciatis.* 19. *Porrò, manifeſta ſunt opera carnis: quæ ſunt adulterium, ſcortatio, impuritas, protervia.* 20. *Idololatria, veneficium, inimicitiæ, lis, æmulationes, iræ, contentiones, diſſidia, hæreſes,* 21. *Invidiæ, cædes, ebrietates, comeſſationes, & his ſimilia: quæ prædico vobis, ſicut prædixi, eos videlicet qui talia agunt, regni Dei non fore hæredes.* Iacob. 1. 14. *Sed vnuſquiſque tentatur, dum à propria cupiditate abſtrahitur & ineſcatur.* II. Mundus, qui voluptate, vtilitate, gloria, pravis exemplis ad inobedientiam abducit. Epheſ. 2. 3. *Inter quos, & nos omnes converſati ſumus olim in cupiditatibus carnis noſtræ, facientes quæ carni & cogitationibus libebant, eramuſque naturâ filij iræ, vt etiam reliqui.* 1. Ioh. 2. 16. *Quoniam quicquid eſt in mundo, cupiditas carnis & libido oculorum, & faſtus vitæ non eſt ex patre, ſed ex mundo eſt.*

Antiſtaſis fit per concupiſcentiam ſpiritus qui bonos motus & affectus gignit & excitat, pravos autem diſpellit. Galat. 5. 17, 22. *At fructus ſpiritus eſt charitas, gaudium, pax, lenitas, benignitas, bonitas, fides, manſuetudo, temperantia.* 23. *Qui enim ſunt Chriſti, carnem crucifixerunt cum affectibus & concupiſcentijs.*

26.

26. *Ne ſimus inanis gloriæ cupidi, alij alios provocantes, alij aliis invidentes.*

Prophylactica ſunt:

Nullum peccatum leve exiſtimare. Galat. 5. 9. *Paulum fermenti totam maſſam corrumpit.* Rom. 6. 23. *Nam ſtipendium peccati mors, donum autem Dei eſt vita æterna, in Chriſto Ieſu Domino noſtro.* II. Occaſiones peccatorum fugere: de his illud, longè, tardè, citò. 1. Theſſ. 5. 22. *Ab omni* ſpecie mali *abſtinete.* Iud. 23. *Alios verò terrore ſervate, ex flamma rapientes: odio habentes vel eam tunicam, quæ à carnis* contactu *ſit maculata.* III. Parvis peccatis ſubigendis aſſueſcere, vt tandem vincantur vel maxima. Rom. 13. 4. IIII. Vocationi incumbere, & in ea ſemper aliquid operosè agere. V. Carni laſcivienti opponere legem, judicia Dei, vltimum judicium, præſentiam Dei glorioſam, &c. Prou. 28. 14. *Beatus homo qui* admodum pavet jugiter; *qui autem obdurat animum ſuum, ruet in malum.* Gene. 39. 9. *Nullus eſt ei in hac domo maior me, neque ſubtraxit à me quicquam præter te, quatenus vxor eius es; quomodo ergo facerem malum hoc maximum, & peccarem in Deum.*

Hic locum habent Prophylactica.

Contra iniuſtam iram ſive privatam cupiditatem vindictæ. Meditatio. I. Providentia divina obvenire nobis injurias ad bonum. 2. Sam. 16. 10. II. Bonitatem Dei plura nobis peccata condonare, quam nos hominibus poſſumus. III. Officium eſſe Chriſtianæ dilectionis remittere aliis. IIII. Quos Chriſtus ſua morte redemit, nos non debemus

cupere perditos. V. Periculum iræ Dei ſi non condonemus aliis: *remitte & remittetur*. V I. Ignorare nos circumſtantias factorum, animum & conſilia illorum, quibus indignamur.

Frena ſiue remedia externa. I. Imitatio clementiæ Dei improbos diutiſſimè tollerantis. *Diſcite à me quòd mitis ſum*. I I. Moræ interpoſitio inter iram & exequutionem. Athenodorus Auguſto præcepit vt iratus integrum alphabetum ante recitaret quàm quidquam in alium vel loqueretur vel faceret. III. Diſceſſio ab iis locis in quibus ſunt ij quibus iraſcimur. IIII. Vitatio contentionis vel vocis vel facti. *Nihil facite per contentionem*.

Contra prauas illas cupiditates diuitiarum & honoris. I. Deus viuificat timentes ſe in fame. Pſal. 33.18,19. II. Quæſtus magnus pietas eſt cum animo ſua ſorte contento. 1.Tim.6.6. III. Carnis reſurrectionem & vitam æternam expectamus, ergo de vita præſenti haud anxiè ſolliciti eſſe debemus. IIII. Servi ſumus in domo patris: ergo quod convenit nobis benignè largietur. V. Mira ambitioſi cæcitas: extolli cupit vt ruat graviùs: metuit humiliari, ne exaltetur. V I. Adam Deo ſimilis fieri cupiens ſe & poſteros in exitium præcipitavit. VII. Ambitioſus, prædo eſt, qui Deo ſoli debitam laudem ad ſe rapere conatur.

Contra cupiditates carnis. I. Qui vult Chriſti diſcipulus eſſe debet ſuam crucem tollere quotidie, Luc. 9.23. II. Qui ſunt ſecundum ſpiritum, quæ ſpiritus ſunt ſapiunt. Roman. 8.5. III. Qui ſecundum

dum carnem vivunt, moriuntur, Rom. 8. 13. IIII. Debemus nos gerere vt municipes cœlorum. Philip. 3. 20. V. Sumus templum Dei. 1. Cor. 3. 6. Membra noſtra ſunt membra Chriſti. 1. Cor. 6. 15. Et ſpiritum Chriſti in nobis habitantem habemus quem non debemus triſtitia afficere. Ephes. 4. 30. Vide plura in explicatione mandati ſeptimi.

Lapſus eſt, quum quis præoccupatus ad offenſam aliquam deficit. Gal. 6. 1.

Hic Satanas peccatum admiſſum mirè exaggerat, & peccatorem adhibitis Dei iudiciis accuſat atque terret. Matth. 27. 3. Tunc *Iudas, qui eum prodiderat*, videns ſe damnatum *eſſe, pœnitens, retulit triginta argenteos numos ad principes ſacerdotes & ſeniores*, 4. *Dicens, peccavi, prodito ſanguine innoxio; at illi dixerunt, quid ad nos? tu videris.* 5. *Proiectis ipſe verò illis numis argenteis in templum, ſeceſſit: & abiens* ſtrangulavit *ſeſe.*

Remedium, eſt reſipiſcentia renouata cuius initium eſt dolor ſecundum Deum ob idem peccatum, fructus verò ſeptem præcipuè ſunt. 2. Corin. 7. 9. *Nunc gaudeo, non quòd triſtitiâ affecti fueritis, ſed quòd triſtitiâ affecti fueritis ad reſipiſcentiam, nam* triſtitia affecti fuiſtis ſecundum Deum, *vt nulla in re detrimento ſitis affecti per nos.* 10. *Nam qui ſecundum Deum eſt dolor, is reſipiſcentiam efficit ad ſalutem, cuius nunquam pœniteat, at mundi dolor mortem efficit.* 11. *Ecce enim iſtud ipſum, quòd ſecundum Deum triſtitia affecti fuiſtis, quantum in vobis effecit ſtudium,*

imò defenſionem, imò indignationem, imò timorem, imò vehemens deſiderium, imò zelum, imò vindicationem, per omnia teſtatum feciſtis vos eſſe puros in hoc negotio. I. Studium ſive propoſitum bene agendi ex præſcripto verbi Dei. II. Α'πολογία, id eſt, confeſſio peccati coram Deo cum deprecatione culpæ. Pſal. 32. 5. *Peccatum meum notum faciam tibi, & iniquitatem meam non tegam, inquiebam, confitebor defectiones meas Iehovæ: & tu ſuſtuliſti pœnam peccati mei.* 2.Sam. 12.13. *Tum dixit David ad Nathanem: peccavi Iehovæ, quapropter dixit Nathan ad Davidem: etiam Iehova transtulit peccatum tuum, non es moriturus.* III. Indignatio contra ſeipſum concepta propter offenſam. IV. Timor non tam pœnæ quàm offenſionis Dei. Pſal. 130. 3. *Si iniquitates obſervaveris, jah; Domine, quis poſſit conſiſtere?* V. Deſiderium plenæ renovationis à peccato. VI. Zelus in Deo diligendo, & præceptis eius amplectendis. VII. Vindicta, qua caro domatur, ne in poſterum talis offenſa fiat.

CAP. 44.

De tollerantia Crucis.

TOlerantia Crucis eſt de cruce ritè perferenda.

Crux eſt afflictionum certa menſura cuique fidelium à Deo deſtinata. Matth. 26. 24. T*unc dixit Ieſus diſcipulis ſuis, Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam,*

ſuam, & ſequatur me. Coloſſ. 1. 24. *Qui nunc gaudeo de iis, quæ patior pro vobis, & reliquias afflictionum Chriſti viciſſim expleo in carne mea pro corpore ipſius, id eſt, Eccleſia.*

Hæc animo prompto ſuſcipienda tum eſt, quum fuerit à Deo impoſita.

Suſtinenda quoque eſt cum patientia & perſeverantia. Coloſſ. 1. 11. *Omni robore corroborati, ſecundum glorioſam vim ipſius, ad omnem tolerantiam & animi lenitatem cum gaudio.* Luc. 21. 19. *Per patientiam veſtram poſſidete animas veſtras.*

Patientiæ prophylactica ſunt. I. Corroboratio Spiritus ſancti. Philip. 4. 1. *Omnia valeo per Chriſtum, qui me corroborat.* Philip. 1. 29. *Quia vobis datum eſt in Chriſti negotio, non ſolùm in eum credere, ſed etiam* pro eo affligi. II. Sancta meditatio, quæ multiplex eſt.

I. Fideles non affligi caſu, ſed conſilio & providentia Dei res omnes optima ratione diſponentis. Gene. 45. 4, 5. 2. Sam. 16. 10. Pſal. 117. 71. *Bono mihi fuit me affligi, vt* diſcerem ſtatuta tua.

Hinc conſtat afflictiones piis eſſe inevitabiles. Act. 14. 21. *Oportet vos per multas afflictiones intrare in regnum Dei.* Matth. 7. 13. *Anguſta eſt via & ſtricta eſt porta quæ ducit ad vitam.* Ioh. 16. 20. *In mundo oppreſſionem habebitis.*

II. Afflictiones vtcunque acerbæ ſunt, vtiles tamen eſſe & bonas. Quia faciunt vt coram Deo de peccatis humiliati, pacem & ſanctimoniam conſequamur. 2. Cor. 1. 9. *Sed ipſi apud nos decretum mor-*

tis, nè conſideremus *in nobiſipſis, ſed in Deo, qui mortuos excitat*. Iſa 26.16. *Iehova, in ipſa anguſtia* viſitaverunt te, *fuderunt ſubmiſſam orationem, caſtigatione tua premente ipſos*. Hoſ. 5.15. *Abiens revertar in locum meum, donec reos peragant ſe & quærant faciem meam; cum anguſtia fuerit ipſis*, quærant me *diluculo*. Pſal.78.34. *Cum occidebat eos, ſi requirebant eum, vt converſi manè* quærebant Deum *fortem*. Ierem.31. *Omninò audio Ephraiimum condolentem ſibi, dicendo, Caſtigaſti me, vt caſtigarer tanquam vitulus non aſſuetus*: converte me vt convertar, *quia tu es Iehova Deus meus*. Heb. 12.11. *Omnis autem caſtigatio in præſens quidem non videtur eſſe gaudij, ſed triſtitiæ: at poſteà* fructum tranquillum triſtitiæ reddit *iis, qui per eam fuerint exercitati*. Pſal.30.6. *Cum momento fuit in ira ſua, vita adeſt benevolentiâ eius: veſperi facit vt diverſetur fletus, manè verò adeſt cantus*. 2.Cor.12.8. *Super hoc ter dominum rogavi, vt abſcederet à me, & dixit mihi, ſufficit tibi gratia mea: nam potentia mea per infirmitatem perficitur*. Iob.42.6. *Idcirco aſpernor illa, atque* pœnitet me *in pulvere &* in cinere. Ioh.15.2. *Omnem palmitem ferentem fructum* purgat, *vt plus fructus adferat*. 1.Pet.1.6. *Qua in re exultatis paululum nunc* (ſi eſt opus) *in variis tentationibus triſtitia affecti*. 2.Cor.1.4. *Deus author omnis conſolationis, conſolans nos in omni afflictione noſtra, vt poſſimus poſitos in quavis oppreſſione conſolari ea ipſa conſolatione qua nos ipſos Deus conſolatur*. Rom.5.3. *Gloriamur in afflictionibus ſcientes quod* afflictio tollerantiam efficiat. Heb.2.10. *Princeps noſtrorum Chriſtus per afflictiones* conſecra-

conſecratus. Chirurgis permittimus, vt nos morbidos & in lectis poſitos vinciant, vrant cauteriis, & mēbra nouaculis diſcerpant: tandē etiam amicis verbis & ſæpe etiā magno argenti numero donatos dimittimus: & cur non etiā teterrimos animi morbos afflictionibus curantem Deum multo æquius feramus.

Atq; ex his conſtat afflictiones piorum adoptionis ſigna eſſe, Heb. 12.6. *Quem diligit dominus caſtigat & flagellat quemcunq; filium recipit.* 7. *Si caſtigationem ſuſtinetis, Deus ſeſe vobis* exhibet vt filiis.

Et iis etiā regia via ad regnū Dei. Iac. 1. 12. *Beatus vir qui tollerat tentationem: quoniam cum probatus erit accipiet coronā vitæ, quā promiſit dominus iis â quibus diligitur.* 2. Cor. 4. 17. *Momentanea levitas afflictionis noſtræ excellenter æternū pōdus gloriæ* cōficit nobis.

III. Promiſiſſe Deū auxiliū, mitigationē pœnarū, præſentiā ſuā, & liberationē. Phil. 1.29. 1. Cor. 10.13. *Fidelis eſt Deus, qui non ſinet vos tentari* ſupra quod poteſtis, *ſed præſtabit vna cum tentatione euaſionē, &c.* 2. Sam. 7. 14. Pſal. 50. 15. *Atq; invoca me tempore anguſtiæ,* eripiā te, *vt honore afficias me.* Pſal. 121. 4. *Non dormitabit neq; dormiet qui cuſtodit Iſrael.* Iſai. 43. 2. *Quum tranſies per aquas tecum ero & flumina non operient te: quum ambulaveris per ignem non combureris, & flamma non ardebit te; quia ego Iehova Deus tuus, ſanctus Iſraelis, ſervator tuus.*

IIII. Chriſtum nobiſcum afflictionum omnium eſſe ſocium. 1. Pet. 4. 13. *Imò quod in eo* conſortes eſtis afflictionum Chriſti, *gaudete: vt cum patefiet eius gloria gaudeatis exultantes.* 2. Cor. 4. 10. *Quolibet*

tis, nè conſideremus *in nobiſipſis, ſed in Deo, qui mortuos excitat.* Iſa 26.16. *Iehova, in ipſa anguſtia* viſitaverunt te, *fuderunt ſubmiſſam orationem, caſtigatione tua premente ipſos.* Hoſ. 5.15. *Abiens revertar in locum meum, donec reos peragant ſe & quærant faciem meam; cum anguſtia fuerit ipſis,* quærant me *diluculo.* Pſal.78.34. *Cum occidebat eos, ſi requirebant eum, vt converſi manè* quærebant Deum *fortem*. Ierem.31. *Omninò audio Ephraiimum condolentem ſibi, dicendo, Caſtigaſti me, vt caſtigarer tanquam vitulus non aſſuetus:* converte me vt convertar, *quia tu es Iehova Deus meus.* Heb. 12.11. *Omnis autem caſtigatio in præſens quidem non videtur eſſe gaudij, ſed triſtitiæ: at poſteà* fructum tranquillum triſtitiæ reddit *iis, qui per eam fuerint exercitati.* Pſal.30.6. *Cum momento fuit in ira ſua, vita adeſt benevolentiâ eius: veſperi facit vt diverſetur fletus, manè verò adeſt cantus.* 2.Cor.12.8. *Super hoc ter dominum rogavi, vt abſcederet à me, & dixit mihi, ſufficit tibi gratia mea: nam potentia mea per infirmitatem perficitur.* Iob.42.6. *Idcirco aſpernor illa, atque* pœnitet me *in pulvere &* in cinere. Ioh.15.2. *Omnem palmitem ferentem fructum* purgat, *vt plus fructus adferat.* 1.Pet.1.6. *Qua in re exultatis paululum nunc* (ſi eſt opus) *in variis tentationibus triſtitia affecti.* 2.Cor.1.4. *Deus author omnis conſolationis, conſolans nos in omni afflictione noſtra, vt poſſimus poſitos in quavis oppreſſione conſolari ea ipſa conſolatione qua nos ipſos Deus conſolatur.* Rom.5.3. *Gloriamur in afflictionibus ſcientes quod* afflictio tollerantiam efficiat. Heb.2.10. *Princeps noſtrorum Chriſtus per afflictiones* conſecra-

conſecratus. Chirurgis permittimus, vt nos morbidos & in lectis poſitos vinciant, vrant cauteriis, & mẽbra nouaculis diſcerpant: tandẽ etiam amicis verbis & ſæpe etiã magno argenti numero donatos dimittimus: & cur non etiã teterrimos animi morbos afflictionibus curantem Deum multo æquius feramus.

Atq; ex his conſtat afflictiones piorum adoptionis ſigna eſſe, Heb. 12.6. *Quem diligit dominus caſtigat & flagellat quemcunq; filium recipit.* 7. *Si caſtigationem ſuſtinetis, Deus ſeſe vobis* exhibet vt filiis.

Et iis etiã regia via ad regnũ Dei. Iac. 1. 12. *Beatus vir qui tollerat tentationem: quoniam cum probatus erit accipiet coronã vitæ, quã promiſit dominus ijs â quibus diligitur.* 2. Cor. 4. 17. *Momentanea levitas afflictionis noſtræ excellenter æternũ põdus gloriæ* cõficit nobis.

III. Promiſiſſe Deũ auxiliũ, mitigationẽ pœnarũ, præſentiã ſuã, & liberationẽ. Phil. 1. 29. 1. Cor. 10. 13. *Fidelis eſt Deus, qui non ſinet vos tentari* ſupra quod poteſtis, *ſed præſtabit vna cum tentatione euaſionẽ, &c.* 2. Sam. 7. 14. Pſal. 50. 15. *Atq; invoca me tempore anguſtiæ,* eripiã te, *vt honore afficias me.* Pſal. 121. 4. *Non dormitabit neq; dormiet qui cuſtodit Iſrael.* Iſai. 43. 2. *Quum tranſies per aquas tecum ero & flumina non operient te: quum ambulaveris per ignem non combureris, & flamma non ardebit te; quia ego Iehova Deus tuus, ſanctus Iſraelis, ſervator tuus.*

IIII. Chriſtum nobiſcum afflictionum omnium eſſe ſocium. 1. Pet. 4. 13. *Imò quod in eo* conſortes eſtis afflictionum Chriſti, *gaudete: vt cum patefiet eius gloria gaudeatis exultantes.* 2. Cor. 4. 10. *Quolibet*

 mortifi-

mortificationem Domini Ieſu *in corpore circumferentes, vt etiam vita illa Ieſu in corpore noſtro mortali manifeſta fiat.* Coloſſ. 1. 24.

V. Angelos adeſſe defenſores timentibus Deum. Pſal. 34. 8. 2. Reg. 6. 16. *Cui dixit, ne metuito, nam plures ſunt qui nobiſcum, quàm qui cum illis ſunt.*

CAP. 45.

De Invocatione Dei.

HActenus de abnegatione noſtri, ſequitur profeſſio Chriſti, quæ reſpicit vel ipſum Chriſtum, vel Chriſti membra, id eſt, fideles. Matth. 25. 40. *Et reſpondens Rex, dixit iis: Amen dico vobis, quatenus id feciſtis vni ex iſtis fratribus meis minimis,* mihi feciſtis.

Profeſſio, quæ in ipſum Chriſtum directè fertur, eſt vel perpetua, vel in periculis tantùm.

Perpetua; eſt Invocatio Dei, quæ ſemper facienda eſt per Mediatorem Chriſtum. 1. Cor. 1. 2. *Eccleſiæ Dei quæ eſt Corinthi, ſanctificatis in Chriſto Ieſu, vocatis Sanctis, cum omnibus qui* invocāt nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti, *in quovis loco, Domini, inquam, tum ipſorum, tum noſtri.* Act. 9. 14. *Quinetiam hoc loco habet poteſtatem à principibus ſacerdotum, vinciendi omnes qui invocant nomen tuum.* Coloſſ. 3. 17. *Et quicquid egeritis ſermone aut facto, in nomine Domini Ieſu facite, gratias agentes Deo, & Patri* per eum.

Invocatio eſt, vel precatio, vel gratiarum actio. Philipp. 4. 6. *De nulla re ſolliciti eſtote: ſed omni in re*

precibus

precibus & ſupplicatione cum gratiarum actione, petitiones veſtræ innoteſcant apud Deum.

Precationis partes ſunt duæ, Petitio & Aſſenſus. Marc. 11.24. *Propterea dico vobis, quæcunq; precantes* petitis, credite *vos accepturos, & erunt vobis.*

Petitio eſt, qua iuxta verbum Dei imploramus opem eius de neceſſariis quæ deſunt. 1. Ioh. 5. 14. *Et hæc eſt fiducia quam apud* Deum *habemus, ipſum, ſi quid petierimus* ſecundum voluntatem eius, *nos audire.*

In ſingulis petitionibus exprimenda ſunt duo: ſenſus indigentiæ noſtræ & deſiderium gratiæ Dei, indigentiam ſupplentis. 1. Sam. 1. 10. *Cumque illa eſſet* amara animo, ſupplicavit *Iehovam & vehementer flevit.* Dan. 9. 4, 16. *Et orans Iehovam Deum meum, confeſſus ſum: ac dixi, obſecro, Domine Deus fortiſſime, maxime, & ſumme reverende, ſervans fœdus & benignitatem amantibus ipſum, & obſervantibus præcepta ipſius. Domine ſecundum totam iuſtitiam tuam ſummam, avertat ſe iam ira tua & æſtus tuus à civitate tua Ieruſchalaimis, monte ſanctitatis tuæ: nam* propter peccata noſtra *& propter iniquitates patrum noſtrorum, Ieruſchalaima, & populus tuus opprobrio ſunt omnibus circumſtantibus nos.* Pſal. 130. 1. Ex profunditatibus *inclamavi te, Iehova.* 1. Sam. 1. 15. *Sed reſpondens Hanna dixit, nequaquam Domine mi: mulier ægra animo ſum, & vinum aut potum inebriantem non bibi, ſed effundo deſiderium animi mei coram Iehova.* Pſal. 143, 6. *Pando manus meas ad te, anima mea, vt* terra feſſa, *ſitiente tui.*

Aſſenſus eſt, quo Deum & petitiones iam factas opportunè

opportunè conceſſurum & credimus & apud Deum teſtamur. 1. Ioh. 5. 5, 14, 15. *Quod ſi ſcimus eum audire nos, quicquid petierimus, ſcimus nos habere petitiones, quas ab eo petimus.* Mat. 6. 13. *Et ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos à malo. Quia tuum eſt regnum, potentia, & gloria in ſæcula,* Amen.

Fideles, vtcunque in precibus ſuas infirmitates oſtendunt, eximium tamen ſenſum percipiunt gratiæ diuinæ; præſertim quandò fervidè & continenter Deum invocant. Iac. 5. 16. *Confitemini alij aliis offenſas, & orate alij pro aliis vt ſanemini, multùm enim valet deprecatio* iuſti efficax. Luc. 1. 13. *Dixit autem ei Angelus, nè timeas Zacharia, nam exaudita eſt deprecatio tua.* Iona. 4. 1. *Quòd quùm malè haberet Ionam, peſſimè;* & accenſa eſſet ira *eius.* 2. *Oravit Iehovam dicens, quæſo Iehova, an hoc non erat verbum meum, dum eſſem adhuc in terra mea? Idcircò anteverteram fugiendo Tarſum: ſciebam enim te Deum fortem, gratioſum, & miſericordem, longanimem, & amplum benignitate, ac pœnitentem mali eſſe.* Rom. 8. 26, Gen. 19. 18. *Dixit verò Lot ad eos, ne quæſo, Domini mei. &c.* Pſal. 6. 1, 2, 3, 4. *Iehova, ne in ira tua reprehendas me: neq; in æſtu tuo caſtiges me: Gratiam fac mihi Iehova, quia languidus ſum: cura me, Iehova, quia conturbata ſunt oſſa mea. Et anima mea conturbata eſt valde, tu ergo, Iehova, quouſquè? Revertere, Iehova, eripe animam meam, ſerva me propter benignitatem tuam.* Pſal. 8. 9. Pſal. 20. 5. Pſal. 35. 9, 18, 28. Pſal. 16. 7.

Gratiarum actio eſt, qua cum lætitia & exultatione cordis Dei laudes celebramus, pro beneficiis vel

acceptis

acceptis vel promiſſis, Pſal. 45.1. Ebullit animus *meus verbum bonum: dicturus ſum ego poëmata mea de Rege, lingua mea & ſtylo, vt Scriba promptus*. Epheſ, 5.20. *Gratias agentes de omnibus ſemper in nomine domine noſtri Ieſu Chriſti, Deo & patri*. Pſal. 36.89. *Quam pretioſa eſt benignitas tua, Deus, cum filij hominum ad vmbram alarum tuarum ſeſe recipiunt, vberrimè explentur pinguedine domus tua: & de torrente deliciarum tuarum bibendum das eis.*

CAP. 46.

De Apologia & Martyrio.

PRofeſſio Chriſti in periculis eſt vel oris, vel facti.

Oris eſt Apologia Chriſtiana. Rom. 10.10. *Corde enim creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem*. Pſal. 22.23. *Enarrabo nomen tuum fratribus meis: in media congregatione laudabo te.*

Apologia eſt, quandò coram infidelibus, in quibus reſipiſcentiæ ſpes eſt, periclitata Dei gloria, quoties opus eſt, veritatem Chriſtianæ religionis, cum timore & manſuetudine præparati confitemur. 1. Pet. 3.15. *Sed Dominum Deum ſanctificate in cordibus veſtris. Eſtote autem ſemper* parati ad reſpondendum *cuilibet petenti rationem eius ſpei, quæ in vobis eſt, cum lenitate & reverentia.* Act. 7. cap. totum. Mat. 7. 6. *Nè date quod ſanctum eſt canibus, nec proiicite margaritas veſtris coram porcis: nè quandò conculcent eas pedibus ſuis, & converſi lacerent vos.*

Profeſſio

Profeſſio facti, eſt Martyrium. Martyrium eſt quandò Chriſtianus pro doctrina fidei, pro iuſtitia, pro fratrum ſalute, etiam mortem ab adverſariis Chriſti illatam ſuſcipit. Marc.6.18,27, 28. *Dicebat enim Iohannes Herodi; non licebit tibi habere vxorem fratris tui. Et ſtatim Rex miſſo ſpiculatore, imperavit, vt adferetur caput eius. Ille verò abijt ac decollavit eum in carcere, attulitq́; caput eius in patina, & dedit illud puellæ, & puella dedit illud matri ſuæ.* 2. Cor. 12.15. *Ego verò libentiſſimè impendam, & expendar pro animabus veſtris, etiamſi abundè vos diligens, minus diligar.*

Interim fuga Chriſtianis permittenda eſt, ſi ſpiritu confirmati non ſunt. Matth.10.23. *Quum autem perſequentur vos in ea vrbe*, fugite in aliam. *Amen enim dico vobis, nequaquam obieritis vrbes Iſraelis, quin venerit filius hominis.* Ioh.10.39. *Rurſus ergo ſtudebant eum prehendere, ſed* exivit *ex eorum manu.* Act.9. 30. *Quod cum cognoviſſent fratres, deduxerunt eum Cæſaream & emiſerunt Tarſum.* 1.Reg.18.23. *Nonnè indicatum eſt Domino, quid fecerim, cùm occideret Iezebel Prophetas Iehovæ? vt* occultavi *è Prophetis Iehovæ, centum viros, quinquagenos viros in vna ſpelunca, & ſuſtentavi eos pane & aqua?* Act. 20.22. *Et nunc ecce, ego* vinctus ſpiritu *proficiſcor in Ieruſalem.*

CAP.

CAP. 47.

De Ædificatione, & Eleemoſina inter fideles.

PRofeſſio Chriſti, quæ reſpicit eius membra, id eſt, Sanctos & Fideles, eſt vel ædificatio, vel eleemoſyna.

Ædificatio eſt, omne id officium erga fratres, quo vel augentur in Chriſto, vel in eo magis coaleſcunt. Rom. 14. 19. *Nempe igitur, quæ ad pacem faciunt, ſectemur, & ad mutuam ædificationem.*

Huc pertinent.

I. Sanctum exemplum. Matth. 5. 16. *Ita ſplendeat lux veſtra coram hominibus, vt* videat *veſtra bona opera, &* glorificent *patrem veſtrum qui eſt in cœlis.* 1. Pet. 2. 12. *Et converſationem veſtram habeatis honeſtam inter Gentes: vt pro eo, quòd loquuntur adverſus vos, velut maleficos, ex bonis operibus quæ ſpectarint,* glorificent *Deum die viſitationis.*

II. Exhortatio. Hebr. 3. 13. *Sed exhortamini alij alios quotidie, quoad appellatur dies hodiernus, ne quis ex vobis induretur fraude peccati.* Rom. 1. 12. *Hoc eſt ad communem exhortationem percipiendam apud vos, per* mutuam fidem *veſtram ſimul & meam.*

III. Conſolatio. 1. Theſſ. 14. *Precamur autem vos, fratres, monete inordinatos, conſolamini qui puſillo animo ſunt, ſublevate infirmatos, patientes eſtote erga omnes.* Iacob. 5. 15. 1. Theſſ. 4. 18. *Itaque conſolamini alij alios iſtis ſermonibus.*

IIII. Admonitio. Rom. 15. 14. *Perſuaſum autem*

autem habeo, & ipſe ego de vobis, fratres mei, quod ipſi per vos pleni ſitis bonitate, impleti omni cognitione, & qui poſſitis etiam vos mutuò movere. 1. Theſſ. 5. 14.

Admonitionis præſtandæ ſanctus modus eſt, ſi ſpiritu comitatis & quaſi conſcius eiuſdem infirmitatis fratrem omnem de culpa certò cognita, è verbo Dei ſtatim monueris. Galat. 6. 1. *Fratres, etiamſi præoccupatus fuerit homo in aliqua offenſa, vos ſpirituales* [καταρτίζετε] inſtaurate *huiuſmodi hominem* cum ſpiritu manſuetudinis: *conſiderans* temetipſum, *ne & tu tenteris.* Mat. 5. 7. *Hypocrita eiice primùm* trabem illam ex oculo tuo, *& tum diſpicies vt eiicias feſtucam ex oculo fratris tui.* 2. Tim. 4. 2. *Prædica ſermonem, inſta tempeſtive, intempeſtive: argue, obiurga, exhortare* cum omni lenitate & doctrina. Matth. 18. 15. *Si verò peccaverit in te frater tuus, veni & argue eum* inter te, & ipſum ſolum, *ſi te audierit, lucratus es fratrem tuum.* Iob. 32. 6, 7. *Itaq; reſpondit Elihu filius Baraccelis Buzita, dicens minimus ſum ætate, vos autem decrepiti: idcircò veritus ſum, ac timui oſtendere ſententiam meam vobis. Dicebam* prouecti ætate loquentur: *& annoſi notam facient ſapientiam.* Rom. 15. 14. 2. Tim. 4. 2. Leuit. 19. 17. *Ne odio habeto fratrem tuum in corde tuo, libere corripito proximum tuum, neq; ferto in eo peccatum.*

Eleemoſyna ſanctorum propria eſt, qua diuites pauperum inopiam ex abundantia ſua, iuxtà vires ſuas, & etiam ſuprà vires ſubleuant. 2. Corinth. 8. 3. *Nam pro viribus teſtor, &* ſupra vires *voluntarij fuerunt.* Act. 2. 44, 45. *Omnes autem qui credebant, erant*

rant eodem loci, & habebant omnia communia: & poſſeſſiones ac facultates vendebant, & diſpertiebant ea omnibus, prout cuiq́ opus erat.

CAP. 43.

De quarto gradu declarationis amoris Dei: & de ſtatu electorum, quando ſunt mortui.

QVartus gradus declarationis amoris Dei, eſt glorificatio. Rom. 8. 30.

Glorificatio, eſt perfecta ſanctorum transformatio in imaginem filij Dei. Philip. 3. 24. *Qui transformabit corpus noſtrum humile, vt* conforme fiat *corpori ſuo glorioſo, pro efficacitate, qua poteſt etiam ſubiicere ſibi omnia.* 1. Cor. 15. 44. *Seminatur corpus animale, excitatur corpus ſpirituale: eſt corpus animale; & corpus ſpirituale.* 45. *Ita etiam ſcriptum eſt, factus eſt prior homo Adam animal viuens; poſterior autem Adam factus eſt ſpiritus viuificus.* 9. *Et ſicut geſtauimus imaginem terreni, geſtabimus etiam* imaginem cœleſtis. Pſal. 17. 15. *Ego in iuſtitia videam vultum tuum,* ſatiabor *cum expergiſcar ſimilitudine tua.*

Initium glorificationis, eſt in morte: abſolutio & complementum fit in vltimo iudicio.

Mors electorum, eſt ſomnus in Chriſto, [a] in quo fit ſeparatio corporis & animæ: corporis, [b] vt putreſcendo fiat capax gloriæ: animæ, [c] vt plenè ſanctificata, [d] immediatè poſt ſeparationem in cœlum

lum transferatur. [a] 1.Cor. 15.18. *Nempè & qui* obdormierunt *in Christo, perierunt.* Act.7.60. *Poſitis autem genibus clamavit voce magna, Domine, ne ſtatuas eis hoc peccatum: & quum hoc dixiſſet* obdormiuit. [b] 1.Cor. 15.36. *Demens, quod tu ſeminas, non viviſcit, niſi mortuum fuerit.* [c] Apoc.21.27. *Non intrabit in eam quicquam quod inquinat, aut abominandum quippiam patrat, vel mandacium loquitur: ſed qui ſcripti ſunt in libro vitæ agni.* Rom.7.25. *Gratias ago Deo per Ieſum Chriſtum dominum noſtrum. Nempe igitur ipſe ego mente quidem ſervio legi Dei, carne verò legi peccati.* [d] Luc.23.42. *Dixitq́; Ieſu, domine, memento mei quum veneris in regnum tuum.* 43. *Tum dixit ei Ieſus: Amen dico tibi,* hodie *mecum eris in paradiſo.* Apoc.14.13. *Tunc audivi vocem e cœlo dicentem mihi, Scribe,* beati *poſthac mortui, ii inquam, qui domini cauſa moriuntur: Etiam, dicit ſpiritus: quoniam* requieſcunt à laboribus ſuis, *& opera eorum ſequuntur eos.*

Contra timorem mortis Prophylactica ſunt. I. Mors pios à Satanæ, peccati, mundi, carnis, æternæ damnationis tyrannide, à periculis & damnis innumeris liberat, & ſub Chriſti præſidio tutos ac fælices collocat. *II.* Chriſtus morte ſua, mortem nobis & ſepulchrum ſanctificavit. III. Chriſtus piis lucrum eſt, tam in morte quam in vita. Philip. 1.12. *IIII.* Conſolationes, quas ſuggerit Spiritus Chriſti fidelibus, multis gradibus ſuperant dolores mortis. V. Deſiderium clari & glorioſi conſpectus Dei, & præſentiæ ſanctorum eius, qui ante nos è vivis exceſſerunt. VI. Vice corporis ſuperinduemur gloria.

2.Cor.

2. Cor. 5. 1. VIII. Stimulus mortis, id eſt, peccatum, ademptus eſt ita vt ſerpens nocere non poſſit. 1. Cor. 15. 55. *Vbi tua ô mors victoria? vbi tuus ô ſepulchrum ſtimulus.* Hebr. 2. 15. *Et liberos redderet, quotquot metu mortis per omnem vitam obnoxij erant ſervituti.* VIII. Non tam de morte quam de ratione vitæ cogitandum: nam non poteſt male mori qui pie vixit, & vix bene moritur qui male vixit. IX. Præſentes adſunt angeli vt morientium ſanctorum animas in cœlum immediatè transferant.

Animæ in cœlum receptæ ibidem manent vſque ad vltimum iudicium, partim laudantes Deum, partim conſummationem regni gloriæ, plenamque fœlicitatem & expectantes & petentes. Apocal. 5. 8. *Quumq; accepiſſet librum, quatuor illa animalia, & viginti quatuor illi ſeniores ceciderunt corā agno, habentes ſinguli citharas, & phialas aureas, plenas ſuffituum, quæ ſunt preces ſanctorum. 9. Et cecinerunt canticum novum, dicentes, dignus es qui accipias librum, & aperias eius ſigilla: quoniam mactatus es & redimiſti nos Deo per ſanguinem tuum, ex omni tribu & lingua, & natione.* Apoc. 14. 2. *Et audivi vocem e cœlo tanquam vocem multarum aquarum, & tanquam ſonitum tonitruui magni: & vocem audiui citharœdorum pulſantium citheras ſuas. 3. Et canentium, quaſi canticum novum, ante thronum.* Pſal. 149. 1. *Halelu-iah cantatè Iehovæ canticum novum: laudem eius in congregatione eorum quos benignè accipit.* Apoc. 6. 10. *Clamabant autem voce magna, dicentes,* vſquequò, domine, *qui ſanctus es ac verax, non iudicas ac vindicas ſanguinem*

noſtrum de iis, qui habitant in terra?

CAP. 44.

De ſtatu electorum in vltimo iudicio.

VLtimum iudicium ſic erit.

I. Immediatè ante aduentum Chriſti, [a] cœlorum poteſtates concutientur, ſol & luna lucem non edent, ſtellæ videbuntur è cœlo cadere: [b] his viſis, electi viui lætabuntur, & reprobi contremiſcent. [a] Mat.24.29. *Statim autem poſt oppreſſionem dierum illorum, ſol obſcurabitur, nec dabit luna ſplendorem ſuum, & ſtellæ cadent è cœlo, & poteſtates cœlorum concutientur.* 30. *Tunc apparebit ſignum filij hominis in cœlo: & tunc omnis tribus terræ plangent, & videbunt filium hominis venientem in nubibus cœli cum potentia & gloria multa.* [b] Luc.21.26. *Examinatis hominibus præ timore & expectatione malorum inuadentium orbem terrarum. Nam poteſtates cœlorum agitabuntur.* 27. *Et tunc videbunt filium hominis venientem in nube cum potentia & gloria multa.* 28. *Quū autem hæc fieri incipiant, erigite & attollite capita veſtra.* 2.Tim.4.8. *Quod ſupereſt, repoſita eſt mihi iuſtitiæ corona, quam reddet mihi dominus in illo die, iuſtus ille iudex: non ſolùm autem mihi, ſed & omnibus qui* expectiuerint *illuſtrem illum ipſius aduentum.*

II. Tum cœlum conflagrans rotularum ſtridore præteribit, & elementa cum terra, & operibus quæ ſunt in ea exuſta peribunt. 2.Pet.3.12. *Expectantes & properantes*

properantes ad adventum diei Dei, in quo cœli confla-grantes ſoluentur,*& elementa æſtuantia liqueſcent.* 13. *Sed cœlos novos ac terram novam, ſecundum promiſ-ſum, expectamus, in quibus iuſtitia inhabitat.*

Eodē tēpore, quo hęc fiunt, *a* vltima tuba audietur per Archangelum inſonanda *b* Chriſtuſq́; aduenier ſubitò in nubibus cū potentia, & gloria, & comitatū Angelorū. *a* Mat. 24. 31. *Is verò mittet angelos ſuos cū tubæ voce magna, & cogēt electos eius à quatuor vētis, à cœlorum extremo ad eorū extremū.* 1. Th. 4. 16. *Nam ipſe dominus cum hortationis clamore & voce Archan-geli ac* dei tuba, *diſcendet è cœlo: & qui mortui fuerint in Chriſto, reſurgent primùm. b* Mat. 24. 30. 1. Theſſ. 4. 17 *Deinde nos viui, qui reliqui erimus, rapiemur ſimul cum eis in nubes, in occurſum domini, in aëra: & ita ſemper cum domino erimus.*

III. Iam ad auditam tubam electi mortui ſuis corporibus reſurgent: & corpora redacta in cinerem & lacerata virtute Dei reſtituentur, atq́; animæ è cœ-lorū ſede in corpora traducentur. Qui *a* viui tum tē-poris fuerint, in momento mutabuntur, & hæc muta-tio erit inſtar mortis. Tum erit redēptio corporis, *b* & omnia electorū corpora fient ſimilia glorioſo corpori Chriſti, ideoq́; erunt ſpiritualia, immortalia, glorioſa, omni impotentia & infirmitate vacua. *a* 1. Cor. 15. 52. *Et ictu oculi, ad vltimā tubam (canet enim tuba) & mor-tui ſuſcitabuntur incorrupti, & nos mutabimur.* Ro. 8. 23. 1. Cor. 1. 30. *b* 1. Cor. 15. 43. *Seminatur ignomini-oſum, excitatur glorioſum, ſeminatur infirmum, excita-tur potens.* 44. *Seminatur corpus animale, excitatur*

corpus ſpirituale: eſt corpus animale, & eſt corpus ſpirituale. 45. *Ita enim ſcriptum eſt, factus eſt prior homo Adam animal viuens: poſterior autem Adam factus eſt ſpiritus viuificus.*

IIII. Tum omnibus coactis ante thronum Chriſti, electos ſeparatos à reprobis & in aërem euectos ad dextram ſtatuet, iiſque in libro vitæ conſcriptis ſententiam dicet. Venite benedicti patris mei, & poſſidete regnum paratum vobis à fundamentis mundi. Matth. 25. 32. *Et ſtatuet oues quidem ad dextram ſuam, hœdos autem ad ſiniſtram.* 1. Theſſ. 4. 17. Apoc. 20. 12. *Et vidi mortuos magnos & puſillos ſtantes in conſpectu Dei, & libri aperti ſunt; & alius liber apertus eſt, qui eſt liber vitæ; iudicatiq; ſunt mortui ex iis quæ ſcripta erant in libris, ſecundum opera ipſorum.*

CAP. 50.

De ſtatu Electorum poſt vltimum Iudicium.

POſt vltimum Iudicium immediatè ſequetur æterna beatitudo in cœlis.

Beatitudo eſt, qua Deus ipſe eſt omnia in omnibus electis. 1. Cor. 15. 28. *Poſtquàm verò ſubiecta fuerint ei omnia, tunc & ipſe filius ſubijcietur ei, qui ſubiecit ipſi omnia, vt Deus ſit* omnia in omnibus. Eſtq; merces bonorum operum gratuita quidem propter imputatam electis Chriſti iuſtitiam. Rom. 6. 23. *Nam ſtipendium peccati mors eſt,* donum *autem*

Dei

Dei eſt vita æterna, in Chriſto Ieſu domino noſtro. 2. Tim.4.8. Apocal.22.12. *Ecce venio citò; & merces mea mecum eſt, vt reddam vnicuiq;* prout opus ipſius *erit.*

Beatitudinis partes duæ: vita æterna, & gloria completa.

Vita æterna eſt communio cum Deo qua [a] Deus ipſe per Chriſtum agnum electis vita eſt. Nam in cœlo non egebunt cibo, potu, ſomno, aëre, calore, frigore, reſpiratione, medicina, veſtimentis, luce ſolis & ſtellarum: ſed horum omnium vicem ſupplebit ſpiritus Dei, [b] à quo immediatè vivificati in æternum manebunt. [a] Ioh.14.23. *Reſpondit Ieſus, & dixit ei, Siquis diligit me, ſermonem meum ſervabit: & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & apud* eum manebimus. 1.Ioh.4.15. *Quiſquis confeſſus fuerit Ieſum eſſe filium Dei,* Deus in eo habitat *& ipſe in Deo.* 16. *Et nos cognovimus, & credimus charitatem quam habet Deus in nobis: Deus charitas eſt, & qui manet in charitate,* in Deo manet, *& Deus in eo.* Apoc.21.3. *Et audivi vocem magnam è cœlo dicentem, ecce, tabernaculum Dei, eſt cum hominibus &* habitabit cum eis: *& ipſi populi eius erunt, & ipſe Deus cum eis erit Deus ipſorum.* 23. *Neq; vrbs iſta eget ſole vel luna, vt luceant in ea: nam gloria Dei illuſtravit eam, &* lucerna eius eſt agnus. Apoc.22.2. *In medio autem foro eius, & ex vtraq; parte fluminis, erat arbor vitæ adferens fructus duodecim, per menſes ſingulos edens fructum ſuum, & folia ſua ad ſanitatem gentium.* 5. *Et nox illic non erit, neq; opus eſt eis lumine lucernæ,*

neq; lumine ſolis: quoniam dominus Deus illuſtrat eos: *& regnabunt in ſecula ſeculorum.* ᵇ1. Cor. 15. 45. Rom. 8. 11. *Sed ſi ſpiritus eius, qui excitavit Ieſum à mortuis, habitat in vobis, is qui excitavit Chriſtum ex mortuis,* viuificabit etiam mortalia corpora *veſtra per inhabitantem eius ſpiritum in vobis.*

Gloria completa, eſt mirabilis electorum excellentia, qua optimè ſe habebunt. Hæc gloria in tribus eſt. I. Quòd faciem Dei, id eſt, gloriam & maieſtatem intuebuntur. Apoc. 22. 4. *Et videbunt* faciem eius: *& nomen eius in frontibus ipſorum erit.* Pſal. 17. 15. *Ego in iuſtitia* videbo vultum *tuum: ſatiabor cum expergiſcar ſimilitudine tua.* II. Quòd erunt Chriſto ſimillimi, id eſt, iuſti, ſancti, incorruptibiles, glorioſi, honorabiles, clari, pulchri, fortes, potentes, agiles. 1. Ioh. 3. 2. *Chariſſimi, nunc filij Dei ſumus, ſed nondum patefactum eſt quod erimus: ſcimus autem fore, vt cum ipſe patefactus fuerit,* ſimiles ei ſimus; *quoniam videbimus eum ſicut eſt.* Phil. 3. 21. *Qui transformabit corpus noſtrum humile, vt* conforme fiat corpori ſuo *glorioſo, pro efficacitate, qua poteſt etiam ſubijcere ſibi omnia.* III. Quòd poſſidebunt hæreditatem regni cœlorum & etiam cœlum atque terram per ignem renouata. 1. Pet. 1. 4. *In hæreditatem, quæ nec perire poteſt, nec contaminari, nec marceſſere, nobis in cœlo ſervatam.* Mat. 25. 34. *Tum dicet rex eis, qui ad dextram ipſius erunt, venite benedicti patris mei:* poſſidete regnum paratum vobis *à iactis fundamentis mundi.* Rev. 5. 10. *Et feciſti nos Deo noſtro* reges & ſacerdotes: *& regnabimus ſuper terram.* Rev. 21. 7. *Qui vicerit, poſſidebit*

poſſidebit omnia: & ero ei Deus, & ipſe erit mihi filius.

Vtriuſque fructus duplex erit, lætitia ſempiterna, & perfectus Dei cultus. Pſal. 16. 11. *Facturus es, vt experiar ſemitam vitæ: ſatietatem gaudiorum ante faciem tuam, amœnitatem ad dextram tuam, in æternum.* Pſal. 36. 8. *Vberrimè explentur pinguedine domus tuæ & de torrente deliciarum tuarum bibendum das eis.* 9. *Quandoquidem penes te eſt fons vitæ, in luce tua fruamur luce.*

Cultus Dei partes, ſunt laus Dei, & gratiarum actio. Apoc. 21. 3. *Et audivi vocem magnam è cœlo dicentem, ecce,* tabernaculum Dei eſt cum hominibus *& habitabit cum eis: & ipſi populi eius erunt, & ipſe deus cum eis erit, Deus ipſorum.* cap. 5. 12. *Dicentes voce magna, dignus eſt agnus ille mactatus, qui accipiat virtutem, & divitias, & ſapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem.* cap. 11. 17. *Dicentes, gratias agimus tibi, domine Deus omnipotens, qui es, & qui eras, & qui venturus es: quia adeptus es poteſtatem tuam magnam & regnum iniuſti.*

Modus præſtandi hunc cultum eſt Deum, colere per Deum. In cœlo non erit templum, ceremonia, ſacramentum, ſed locum iſtorum ſupplebit ipſe Deus, & agnus, id eſt, Chriſtus. Apoc. 21. 22. *Nec templum vidi in ea: Dominus enim Deus omnipotens templum illius eſt, id eſt, agnus.*

Tempus, ſine vlla intermiſſione quotidianum eſt. Apoc. 7. 15. *Ideo ſunt ante thronum Dei, & ſeruiunt ei* die ac nocte *in templo eius: & qui inſidet throno habitabit cum eis.*

Corollarium.

Corollarium.

SIc Deus ſaluando Electos, & Iuſtitiam, & miſericordiam oſtendit: Iuſtitiam, quòd peccata Electorum in perſona filij vindicauit: miſericordiam, quòd iis peccatum propter filij merita remiſit. Epheſ. 1. 18. *Illuminatis oculis mentis veſtræ, vt ſciatis quæ ſit ſpes illa vocationis ipſius, & quæ opes gloriæ hæreditatis ipſius in ſanctis:* 19. *Et quæ ſit excellens illa magnitudo potentiæ ipſius in nobis qui credimus, pro efficacitate fortis roboris ipſius.* Cap. 3. 18. *Vt in charitate radicati & fundati, valeatis aſſequi cum omnibus ſanctis, quæ ſit illa* latitudo, & longitudo, & profunditas, & ſublimitas.

Hæc autem omnia ſic decreuit Deus, & tandem perficiet ad nominis ſui gloriam. Prov. 16. 4. *Omnes operatus eſt Iehova propter ſe, etiamq́; improbum ad diem mali.*

CAP. 51.

De ordine Cauſarum ſalutis iuxta Eccleſiam Romanam.

AD obtinendam ſalutem requiruntur duo: Prædeſtinatio & eius exequutio.

Prædeſtinatio, eſt præordinatio creaturæ rationalis ad gratiam in præſenti & ad gloriam in futuro. *Sebaſt. Cattaneus Enchirid. tract. 1. cap. vlt.*

Hæc quoad primos eius effectus, quæ ſunt vocatio, electio & ordinatio ad vitam æternam, in Deo ſolo

ſolo habet cauſam, nimirum eius voluntatem: tamen quoad eius vltimum effectum, quod eſt exequutio talis ordinis,& conſequutio vitæ æternæ,prædeſtinatio habet cauſam in homine: quia ſecundum communem opinionem prædeſtinatio Dei eſt è prævilis hominum operibus, id eſt, Deum ideo aliquem hominem, prædeſtinaſſe vel reprobaſſe quia previdet illum malè vel benè vſurum ſua gratia. Ad huius euidentiam ſeptem concluſiones ponantur.

I. Prædeſtinatio & reprobatio diuina non cogunt neque inferunt neceſſitatem voluntati hominis.

II. Omnes homines ſunt prædeſtinati, hoc eſt, ordinati & diſpoſiti à Deo ad vitam conſequendam.

III. Homo non ſaluatur neq; damnatur neceſſariò aut contingenter, ſed voluntariè.

IV. Deus aliquos prædeſtinavit & aliquos reprobauit.

V. Prædeſtinati à Deo prædeſtinatione abſoluta, quæ amitti non poteſt, infallibiliter morientur in gratia: prædeſtinati verò prædeſtinatione ſecundum præſentem iuſtitiam, quæ amitti poteſt per ſequens peccatum mortale, non infallibiliter ſaluantur, ſed ſæpè tales damnantur & amittunt coronam & gloriam. Hinc dicunt iuſtificatum poſſe fieri reprobum & perire. Torrenſis *Aug.confeſſ. 2. l.cap.4.ſect.20.* Quare prædeſtinatio non eſt certa poſtquam amitti poteſt.

VI. Numerus prædeſtinatorum ſoli Deo notus eſt,certus, & determinatus.

VII. Numerus prædeſtinatorum & reproborum abſolutè

abſolutè certus & determinatus, vt nec augeri nec minui poſſit.

Exequutio prædeſtinationis eſt, vel in Infantibus, vel in Adultis.

Infantibus meritum Chriſti per Baptiſmum ritè collatum, applicatur: ita vt totum id in peccato originali, quod veram & propriam peccati rationem habet, tollatur, non radatur tantùm aut imputetur. In renatis enim nihil odit Deus. *Concil. Trid. ſeſſ. 5. can. 5.*

Interim fateri oportet, manere in baptizatis concupiſcentiam velut fomitem; quæ cum ad agonem relicta ſit, nocere non conſentientibus non valebit.

Exequutio prædeſtinationis in Adultis, ſex habet gradus.

Primus eſt, vocatio qua homines, nullis eorum exiſtentibus meritis, à Dei per Ieſum Chriſtum præueniente gratia, ad conuertendũ ſe ad Deũ, vocantur.

Secundus eſt, Præparatio ad iuſtitiam, qua homines diſponunt ſe ad iuſtificationem per inſitas vires liberi arbitrij, poſtquam fuerint à ſpiritu ſancto excitatæ. Nam liberum arbitrium attenuatum tantùm, non extinctum eſt: ideoq; ſpiritui ſancto cor tangenti & illuminanti, liberè aſſentiendo, cooperatur.

Gradus præparationis octo ſunt. *Biel. lib. 4. diſt. 14. quæſt. 2.*

I. Primus, Fides quæ eſt notitia & aſſenſus, quo vera ſtatuimus ea, quæ de Deo & voluntate eius ſtatuuntur in verbo.

Fundamentum eſt iuſtificationis, cor præparando:

do: quia excitat liberum arbitrium ad ciendos tales motus quibus præparatur.

Primus actus fidei, eſt apprehendere abominationem peccati, & quid ſit eius ſtipendium.

II. Inde ſequitur timor iræ Dei & gehennæ incendij.

III. Inde peccata incipiunt diſplicere cum quadam deteſtatione.

Et hæc eſt Diſpoſitio de congruo non immediatè, nec ſufficiens, ſed valdè remota.

IIII. Poſtea fides conuertit ſe ad conſiderationem miſericordiæ diuinæ, & ſtatuit Deum paratum remittere debita per infuſionem charitatis illis, qui ſufficienter præparati ſunt & diſpoſiti.

V. Ex illa conſideratione ſequitur actus ſpei, per quem Deum incipiunt concupiſcere, vt ſummum bonum.

VI. Ex illo actu ſpei ſequitur amor, quo diligitur Deus ſuper omnia ex naturalibus.

VII. Ex illa dilectione ſequitur alia diſplicentia & deteſtatio peccati, non ob timorem damnationis, ſed propter Deum finaliter ſuper omnia dilectum.

VIII. Hos actus ſequitur propoſitum emendationis. Et hoc tandem eſt meritum congrui ſufficiens; ſeu immediata, ſufficiens & vltima diſpoſitio ad infuſionem gratiæ.

Tertius prædeſtinationis gradus, eſt Iuſtificatio prima, qua homines ex iniuſtis fiunt iuſti, non ſola

remiſſione

remiſſione peccatorum, ſed etiam ſanctificatione interioris hominis per voluntariam ſuſceptionem gratiæ & donorum.

Huius cauſa efficiens, eſt miſericordia Dei. Meritoria, paſſio Chriſti, qua hominibus iuſtificationem meruit. Inſtrumentum, baptiſmus. Forma, non iuſtitia, qua Chriſtus iuſtus eſt, ſed quam in homines infundit: ea verò eſt præcipuè ſpes & charitas.

Quartus gradus, Iuſtificatio ſecunda, qua homines ex iuſtis meliores fiunt. Huius cauſa eſt fides cooperans bonis operibus.

Obſeruatio legis renatis poſſibilis eſt: Ideoq; falſum eſt, iuſtum in omni opere bono venialiter peccare, &, quod abſurdius eſt, mereri pœnas æternas.

Quintus gradus, eſt Reparatio lapſi per Sacramentum pœnitentiæ, quæ ſecunda eſt poſt naufragium tabula. Reparationis hæc cauſa eſt, quod gratia iuſtificationis quolibet mortali peccato amittatur.

Vltimus gradus, eſt fructus iuſtificationis, id eſt, gloria vitæ æternæ, quam opera in gratia facta ex condigno merentur.

Meritum ex condigno eſt quando ſic debetur merces, vt niſi reddatur, iniuſtitia committetur: ex rigore iuſtitiæ debetur.

Ad conſtituendum meritum duæ conditiones requiruntur. 1ª. vt merces debeatur aliquo pacto. Et hæc condicio eſt in operibus reſpectu Dei. Deus enim in Scripturis præmium bene operantibus promiſit. 2ª. vt præter pactum quo debitor obligatur ſit etiam

Præ

io :

lif.

remiſſione peccatorum, ſed etiam ſanctificatione interioris hominis per voluntariam ſuſceptionem gratiæ & donorum.

Huius cauſa efficiens, eſt miſericordia Dei. Meritoria, paſſio Chriſti, qua hominibus iuſtificationem meruit. Inſtrumentum, baptiſmus Forma, non iuſtitia, qua Chriſtus iuſtus eſt, ſed quam in homines infundit: ea verò eſt præcipuè ſpes & charitas.

Quartus gradus, Iuſtificatio ſecunda, qua homines ex iuſtis meliores fiunt. Huius cauſa eſt fides cooperans bonis operibus.

Obſeruatio legis renatis poſſibilis eſt: Ideoq; falſum eſt, iuſtum in omni opere bono venialiter peccare, &, quod abſurdius eſt, mereri pœnas æternas.

Quintus gradus, eſt Reparatio lapſi per Sacramentum pœnitentiæ, quæ ſecunda eſt poſt naufragium tabula. Reparationis hæc cauſa eſt, quod gratia iuſtificationis quolibet mortali peccato amittatur.


Vltimus gradus, eſt fructus iuſtificationis, id eſt, gloria vitæ æternæ, quam opera in gratia facta ex condigno merentur.

Meritum ex condigno eſt quando ſic debetur merces, vt niſi reddatur, iniuſtitia committetur: ex rigore iuſtitiæ debetur.

Ad conſtituendum meritum duæ conditiones requiruntur. 1ª. vt merces debeatur aliquo pacto. Et hæc condicio eſt in operibus reſpectu Dei. Deus enim in Scripturis præmium bene operantibus promiſit. 2ª. vt præter pactum quo debitor obligatur ſit

etiam

Hypotheſis de diſtributione cauſarum ſalutis ex communi ſententia Papiſtarum.



pag. 301

etiam aliqua dignitas in opere ſeu aliqua proportio operis ad meredem.

Dignitas operis pendet. I. à Chriſto, qnia Chriſtus non ſolum meruit vt eius propriæ actiones eſſent meritoriæ, ſed etiam vt actiones membrorum ſuorum. II. à Spiritu ſancto: nam ſpiritus ſanctus inſpirat excitat & mouet ad agendum. III. à gratia habituali, quæ eſt quædam participatio eſſentiæ diuinæ.

Hæç de gradibus Prædeſtinationis exequendæ: ſequitur iudicium de particulari Prædeſtinatione.

Nemo, quamdiu in hac mortalitate viuitur, de arcano diuinæ prædeſtinationis myſterio vſqueadeò præſumere debet, vt certò ſtatuat ſe eſſe in numero prædeſtinatorum. Nam niſi ex ſpeciali reuelatione ſciri non poteſt, quos Deus ſibi elegerit. Seſſ. 6. c. 12.

Horum omnium ſumma eſt. Deus per gratiam quandam gratis datam ſiue preuenientem, quæ dicitur auxilium ſpeciale, mouet hominem vt ſe diſponat ad gratiam iuſtificantem; ſcilicet vt credat, timeat, pœniteat, diligat, proponat novam vitam &c. Deinde, ſi peccator per ſuum liberum arbitrium aſſentiatur huic motioni diuinæ, & conſequenter ſe debitè diſponat, ſtatim Deus remittit illi peccatum, & ſimul illi infundit gratiam iuſtificantem, per quam poſſit operari bona opera, & ſic mereri vitam æternam per illa. *Bellerm.*

ERRORES

ERRORES PAPISTARVM IN DIſtributione cauſarum ſalutis.

ATque ita doctrina Romanenſium eſt; blaſphema quidem ea & tanquam patibulum æſtimanda, quod torquendis & excarnificandis hominum conſcientiis extruitur. Hoc vt apertè conſtet, errores eius præcipuos notabo.

ERROR I.

Prædeſtinationem tantùm electorum eſſe: reprobos tantùm præſcitos.

Antitheſis.

Nomen prædeſtinationis per Synechdochen ſæpè in bonam partem ſumitur de electis & vocatis fidelibus, vt Rom. 8. 30. *Quos prædeſtinavit, eoſdem etiam vocavit, &c.* ſic Epheſij dicuntur *prædeſtinati in adoptionem filiorum Dei.* Epheſ. 1. 5. Poteſt tamen ad decretum Dei, ſiue ad vitam illud, ſiue ad mortem fuerit, communiter extendi. Ratio. I. Act. 4. 28. *Convenerunt aduerſus ſanctum filium tuum Ieſum, &c. vt facerent quæcunque manus tua & conſilium tuum* προώρισε, id eſt, *Præordinavit vel prædeſtinavit, vt fierent.* II. Aug. de bono perſev. c. 17. *Prædeſtinationẽ appellat futurorum operum diſpoſitionem.* Et l. 15. de civit. Dei. cap. 1. *Dividit genus humanum in duas civitates, quarum vna prædeſtinata eſt in æternum regnari cum Deo: altera prædeſtinata æternum ſupplicium ſubire cum diabolo.*

bolo. Et in Enchiridio ad Laurent. cap. 100. dicit *Deum malos iuſtè prædtſtinaſſe ad pœnam, bonos benignè prædeſtinaſſe ad gratiam.* Thomas parte 1. quæſt. 23. act. 1. ait, *Nihil referre ad rationem prædeſtinationis vtrum aliquis prædeſtinetur ad vitam æternam vel non.*

Deinde Reprobos præſcitos eſſe, & non prædeſtinatos, iniquum eſt: quia præſcientia Dei in re nulla, quæ futura eſt, à voluntate & decreto æterno Dei ſeperanda. Nam quod futurum à Deo præſcitur verè futurum eſt; idq; aut volente Deo, aut eodem nolente. Si volente, id decreuit & præordinauit Deus: ſi nolente quomodo eſt omnipotens? Et quidem malum ipſum, quamvis voluntate approbatiua Deus nolit; tamen liberam & ſpontaneam eius permiſſionem vult. Optime Auguſt. Enchir. ad Laur. ca. 100. *Quamvis quæ mala ſunt, in quantum mala ſunt non ſint bona, tamen vt non ſolum bona ſed etiam ſint & mala, bonum eſt: vt miro & ineffabili modo non fiat præter eius voluntatem, quod etiam contra eius fiat voluntatem, quia non fieret ſi non ſineret, nec vtiq; nolens ſinet ſed volens.*

ERROR II.

Prædeſtinationem mutabilem eſſe: nam ſecundum communem ſententiam Papiſtarum, quicunq; prædeſtinatur, contingentèr prædeſtinatur tam ex parte Dei quã ex parte hominis. Vnde ſequitur quòd prædeſtinatus

poſſit damnari & præſcitus, i. *deſtinatus ad damnationem ſalvari.*

Antithesis.

Contrarium omnino verum eſt: nimirum decretum Dei de cuiuſque hominis æterna ſalute vel damnatione, ab æterno definitum, ſtatum, & immutabile eſſe. I. Teſtimonia ſcripturæ: Rom. 11. 29. *Nam dona & vocatio Dei eiuſmodi ſunt* ἀμεταμέλητα, *vt eorum ipſum pœnitere non poſſit.* Mat. 24.24. *Surgent enim Pſeudochriſti & Pſeudopropheta & edent ſigna magna & miracula: ita vt ſeducant (ſi fieri poſſit) etiam electos.* Rom. 8. 33. *Quis intentabit crimina adverſus electos Dei.* 2. Tim. 2. 19. *Firmum ſtat fundamentum Dei, habens hoc ſigillum, Deus novit eos qui ſunt ſui.* II. Electio & reprobatio in Deo ſunt non in hominibus: quod autem in Deo eſt, immutabile eſt. Malac. 3. 6. *Ego Iehova non mutor.* Iſa. 46. *Conſilium meum ſtabit ac omnem voluntatem meam faciam.* III. Hoc poſito, neceſſe eſt præſcientiam Dei falli, potentiam infirmari & voluntatem mutari, quod dictu impium eſt: qui enim voluntatem vel conſilium mutat, ideò mutat, aut quia videt ſe melius conſilium potuiſſe capere, aut quia videt ſe prius conſilium non potuiſſe exequi, quorum vtrunq; â Deo alienum. IIII. Si ponamus Dei conſilium vllo modo mutabile eſſe, hac ratione efficietur incertam cuiq; ſuam prædeſtinationem relinqui; vnde illa nobilis & vnica πληροφορίας noſtræ baſis euertitur. Quare teneatur illud, firmam eſſe & immutabilem, tum electionem

nem tum reprobationem, ita vt nec electi fieri poſſint reprobi, nec reprobi electi; ac proinde nec illos damnari, nec iſtos ſervari poſſe.

Exceptio Papiſt. Prædeſtinatus non poteſt ſalvari vel præſcitus perire in ſenſu compoſito, ſed in diuiſo poteſt, vt albus non poteſt eſſe niger in ſenſu compoſito, quia nigredo repugnat albedini, ſed benè in ſenſu diuiſo, quia albus poteſt fieri niger. Similiter prædeſtinatus propter liberum arbitrium poteſt peccare & ſic damnari. *Reſp.* Hæc mera ſophiſmata ſunt, quia prædeſtinati ad finem, id eſt, ſalutem, neceſſariò prædeſtinantur ad media ſalutis, quibus non poſſunt non vti & iiſdem ad finem adduci.

ERROR III.

Omnes homines eſſe prædeſtinatos, hoc eſt, *diſpoſitos & ordinatos à Deo ad vitam æternam conſequendam,* Sebaſt. Cattaneus Enchirid. cap. de Prædeſt.

Antitheſis.

Manifeſtè falſum. I. Infantes qui primùm atq; nati ſunt moriuntur, quando per tempus in hac vita ſalutis mediis vti nõ poſſint, licet habeant vitam æternã, tamen adhibendo media non conſequuntur eam. II. Quod Deus actu facit, id ipſum decreuit facere: nihil enim agit aut imprudens, aut inuitus: actu verò magnam partem humani generis deſerit & ſub contumacia incluſam ſibi relinquit: Act. 14. 16. *Quiq; præteritis ætatibus ſiuit omnes gentes ſuis ipſarum viis incedere.*

incedere. Hinc etiam Eph. 2. omnes gentes dicuntur, *ἄθεοι ſine Deo in mundo*, Ergo decreuit certos homines deſerere in hac vita, & proinde non ordinauit omnes ad conſequutionem vitæ æternæ. Imò, ſi Deus vellet omnes ſaluari, non poſſet vllus perire: quia ipſum Dei velle eſt eius poſſe & facere: & ſi deſtinatus ad vitam pereat, deſierit velle quod ab æterno voluit, aut incipiet velle quod ante noluit, quod dici de Deo ſiue blaſphemia non poteſt. III. Paulus 2. Theſſ. 2. 10. Certos homines dicit eſſe ἀπολλυμένους; eoſque ab electis diſtinguit. v. 13. & Rom. 9. 21, 22. Non ſunt vaſa gloriæ & miſericordiæ ſolum, ſed etiam vaſa quædam ad iram in æterno Dei conſilio facta & coagmentata: quos autem Deus ad iram & interitum fecit, eoſdem ille nunquam ad vitam obtinendam diſpoſuit.

ERROR IIII.

Prædeſtinationem quoad vltimos eius effectus habere cauſam in homine, hoc eſt, in hominis libero arbitrio & operibus: quos enim præviderat Deus, gratiam in Chriſto oblatam recepturos, & ſecundum legem vitam acturos, eoſdem prædeſtinavit, non ex operibus ſed ex gratia, habendo tamen reſpectum ad opera, ſive ſecundum opera: vel (vt alij dicunt) ex prævıſis operibus: Vt, Deus ab æterno prævidit & præſcivit Petrum ſaluandum, & Iudam damnandum, quia ab æterno prævidit & præſcivit Petrum eſſe ſuſcepturum gratiam oblatam & ea benè vſurum: & prævidit Iudam eſſe quidem ſuſcepturum

cepturum gratiam oblatam, ſed ea poſtea perverſa eius voluntate perverſè vſurum.

Antitheſis.

Iſtud commentum de prævisis operibus euertit Paulus, quando dicit Epheſios, *Electos eſſe in Chriſto antequam iacerentur fundamenta mundi*; non quia præuidit eos ſanctos futuros, ſed *vt eſſent ſancti & inculpati coram Deo per charitatem.* Et 2. 10. *Eos conditos eſſe in Chriſto Ieſu ad bona opera, quæ præparauit Deus vt in iis incederent.* In his verò locis bona opera effecta ſunt prædeſtinationis: effectum autem præviſum non poteſt eſſe cauſa cauſæ ſuæ, quia cauſa omnis cognitionis & naturæ, ordine præcedit effectum ſuum. II. Tit. 3. 5. *Non ex operibus quæ fecimus, nos elegit & ſalvos fecit Deus, ſed ſecundum miſericordiam ſuam.* III. Nihil extra ſe Deus ſpectauit, quum nos eligeret, ſed nos elegit in ſeſe, Epheſ. 1. 4. & 9. Ergo opera futura non ſpectauit. IIII. Fatentur quidam è ſcholaſticis prædeſtinationem nihil ponere in prædeſtinato, ipſius ratione, propter quod Deus eum elegit aut prædeſtinavit. Thom. 19. 1. primæ quæſt. 23. art. 2. V. Electio tantùm eſt ex Deo miſerente. Roman. 9. v. 16. VI. Gratiam nullam in homine prævidit Deus niſi quam daret ipſe: vnde apparet in electione initium à gratia fieri. VII. Cùm Deo nihil ſit neque ſuperius, neque maius, voluntatis eius

aliquam extra vel ſupra ipſum cauſam ponere impium eſt: ideoque decreti eius de hominum ſalute cauſam impulſiuam, fidei & operum præſcientiam ſtatuendam eſſe, iure negamus.

ERROR III.

Baptiſmo ritè collato, peccati originalis non ſolùm reatum, ſed etiam corruptionem ſic elui, vt peccati rationem propriè non habeat.

Antitheſis.

Nos contra de peccato ſic diſtinguimus. Peccatum quoad reatum iræ Dei, & quoad pœnam ſimul vno actu in baptiſmo aboletur: ſed quoad illud vitium naturæ & corruptionem non ſtatim, ſed ſucceſſivè & paulatim extinguitur: prout renouatio quæ fit per Spiritum ſanctum paulatim incoatur & augetur. Ratio I. Paulus non adeo peccatum originale defleret, ſi amplius peccatum eſſe deſineret. *Video*, inquit, *aliam legem in membris meis rebellantem legi mentis meæ & captivum me reddentem legi peccati quæ eſt in membris meis: miſer ego homo quis me eripiet ex iſto corpore mortis.* II. Deinde, peccatum originis appellat, *peccatum ſumme peccans* Rom.7.13. Sic etiam dicitur, *peccatum circumſtans*, Heb.12.1. III. Concupiſcentia, radix eſt peccati actualis, & proindè ipſa quoque poſt baptiſmum propriè peccatum eſt. IIII. Niſi concupiſcentia peccati naturam habuerit, ceſſabit illud vehemens & incenſum certamen carnis

carnis & ſpiritus. *Baptiſmum abſolutè neceſſarium eſſe ad ſalutem, maximè verò parvulis.*

Antitheſis.

Baptiſmum abſolutè neceſſarium eſſe negamus. Ratio I. Sacramenta non conferunt gratiam, ſed iam à Deo collatam confirmant. Infantes fidelium naſcuntur ſancti, non quidem naturali generatione, ſed gratia Dei, & non fiunt tales baptiſmo: adulti etiam non niſi credentes baptizantur: credentes autem iuſti ſunt & reconciliati deo; atq; idcirco ſi priuarentur ſacram. ſine culpa ſua, perire tamen non poſſent. II. Deus octauum diem circumciſioni præciſè deſtinauit, non primum vel ſecundum. Iam autem plurimos infantes morte preuentos fuiſſe ante illum diem dubium certè non eſt, quos omnes damnatos affirmare nimis foret abſurdum. III. Totis quadraginta annis in deſerto circumciſio propter incertas caſtrorum mutationes & proinde propter diſcrimen vitæ, intermiſſa fuit: ſed vſum ſacramenti Moſes & Aaron nunquam omiſiſſent ſi ſacramentum fuiſſet abſolutè neceſſarium ad ſalutem. IIII. Antiquis patribus incognita fuit hæc opinio de neceſſitate baptiſmi: Nam permiſit religioſis hominibus Eccleſia, vt baptiſmum (licet hoc à nobis improbandum) differrent vel ad annos adultæ ætatis, vel ad mortem. Hinc Conſtantinus magnus non fuit baptizatus, niſi paulò ante mortem: & Valentinianus cunctatione ſua non baptizatus: quem tamen Am-

broſius ad cælestem vitam euocatum pronunciat. Bernardus quoque epiſt. 77. Non omnem baptiſmi priuationem, ſed eius contemptum, vel craſſam, negligentiam exitialem eſſe diſputat.

ERROR VII.

Hominem poſt peccatum Adæ habere liberum arbitrium tam ad benè quam ad malè faciendum, licet differenter: hoc eſt, ad male faciendum ſimpliciter ſine vllo auxilio extrinſeco: ad benè autem faciendum non niſi præveniente nos gratia Dei, quæ tamen gratia nulli homini deeſt: & cui gratiæ eſt in noſtro libero arbitrio conſentire & cooperari vel non. Et proinde liberi arbitrij vires ad bonum Deo acceptum attenuari tantum non extingui ante converſionem: ideoq́, poſſe eas operari præparationem ad iuſtificationem.

Antithesis.

Homo non renatus habet liberum arbitrium ad malum tantùm non ad bonum. Non poteſt velle fidem ſuam & conuerſionem non conuerſus. Ratio I. Homo dicitur non infirmus vel æger, ſed *mortuus in peccatis*, Epheſ. 2. 1. Coloſſ. 1. 13. Vt ergo qui corporaliter mortuus eſt non poteſt excitare ſe, vt faciat opera viuentium vel tum maximè quando eſt ab aliis adjutus. II. *Servus eſt diaboli & mancipium peccati*. Epheſ. 2. 2. Roman. 6. 13. Servus autem ab alterius tantùm nutu & voluntate pendet.

pendet. III. Quod nemo per ſe poteſt cognoſcere & credere, idem non poteſt velle: nemo verò poteſt cognoſcere & credere quæ ad regnum *Dei* pertinent. 1. Cor. 2. 14. *Animalis homo non percipit ea quæ ſunt Dei.* 2. Cor. 3. 5. *Non ſumus idonei ad cogitandum quicquam ex nobis ipſis, velut ex nobis ipſis.* IIII. Inimicum & ex diametro aduerſum bono, bonum non appetit: voluntas eſt inimica, & ex diametro aduerſa bono. Roman. 8. *Intelligentia carnis inimicitia eſt adverſus Deum. Nam legi Dei non ſubijcitur; imò ne poteſt quidem.*

Obiect. I. Prope eſt verbum in corde tuo & in ore tuo, vt facias illud. Deut. 30. *Reſp.* Facilè eſt legem præſtare non legaliter ſed Euangelicè: id eſt, quando quis per mediatorem implet, & ab eo accipiens ſpiritum Dei nouam obedientiam præſtare conatur.

Obiect. II. Dat Deus multa præcepta, quibus iubemur pœnitere, credere, obedire Deo, &c. In his ergo voluntas libera. *Reſp.* I. Monent tales loci non de viribus, ſed de officio & infirmitate: nec quid poſſint homines, ſed quid debeant, oſtendunt. II. Sunt organa ſpiritus ſancti, quibus ſaluandos renouat & conuertit. *Inſtantia.* Deus hæc præcipiens, non requirit impoſſibilia. *Reſp.* Non quidem hominibus integris, ſed lapſis: idq; ſua culpa, non Dei.

Obiect. III. Phil. 3. 12. *Operemini ſalutem, cum timore & tremore.* *Reſp.* Paulus de conuerſis loquitur qui habent liberum arbitrium ex parte.

Obiect. IIII. Si voluntas habet ſe merè paſſivè, ad

bonum cogitur. *Reſp.* Voluntas in ſe & per ſe paſſiua tantùm eſt in prima conuerſione; ſed ſi conſideretur vt eſt acta à ſpiritu ſancto, habet ſe activè. acta enim agit: non ergò cogitur, ſed ex nolente fit volens.

ERROR VII.

Spiritum ſanctum non dare velle, ſed tantùm voluntatem ligatam liberare & excitare: vt ipſa ſuis viribus ſe diſponat ad iuſtificationem.

Antitheſis.

Apertè falſum. Velle bona quæ ad regnum Dei pertinent, vt fidem, converſionem, novam obedientiam, merum ſpiritus ſancti donum eſt. Matth. 11. *Nemo novit patrem niſi filius, & cui filius voluerit revelare*, Luc.8. *Vobis datum eſt noſſe myſteria regni cœlorum*. Phil.2. *Deus eſt qui efficit in vobis vt velitis & faciatis*. 1. Cor. 12. 3. *Neminem poſſe dicere Ieſum dominum niſi per ſpiritum ſanctum.* Vltimò, qui ſecundum Deum *creandus* eſt ad iuſtitiam & ſanctitatem Eph.4.24. non poteſt ſe ad iuſtificationem ſiue novam illam creationem vllo modo diſponere. Impoſſibile eſt rem nondum creatam [illegible]ſponere ſe ad ſuam creationem.

ERROR VIII.

Preparationem ad gratiam, quæ fit viribus liberi arbitrij, poſſe ex congruo mereri iuſtificationem.

Antitheſis.

Antitheſis.

Olent hæc ſuperbiam plus quam ſatanicam. Quis enim crederet niſi inſaniat, cum, cui debita ſunt damnationum multæ myriades, potuiſſe mereri, vel tantillum gratię, prodigus filius in gratiam receptus non ex merito, ſed ex gratia. Luc. 15. 21. *Dixit autem ei filius, peccavi in cœlum & coram te, neq; amplius ſum dignus vocari filius tuus.*

ERROR IX.

Fides ſanctorum vel quæ iuſtificat, eſt qua quis credit beatitudinem promiſſam à Deo in generali, & qua aſſentitur aliis myſteriis circa eandem reuelatis à Deo.

Antitheſis.

Fides eſt non tantùm notitia hiſtoriæ Euangelij & generalis aſſenſus: ſed etiam vis quædam promiſſiones Dei de Chriſto, apprehendens & ſigillatim applicans, qua quis firmiter ſtatuit ſibi remiſſa peccata eſſe, ſeq; Deo reconciliatum. Ratio I. Particularis certitudo de gratia Dei eſt de natura fidei. Eph. 3. 12. *In quo habemus libertatem & aditum* cum fiducia *per fidem ipſius.* Rom. 4. 20. *Ad hanc promiſſionem autem Dei non addubitavit incredulitate: ſed corroboravit ſeſe fide, tributa gloria Deo.* 21. Ac plenè perſuaſum habens *eum quod promiſerat præſtare poſſe.* Heb. 10. 22. *Credamus vero corde, & certa perſuaſione fidei.* II. Particularis dubitatio reprehenditur. Mat. 14. 31. *O parvæ fidei quare dubitaſti?* Luc. 12. 29. *Ne ſuſpenſo & dubio omnino eſtote.* III. Quod quis à Deo in precibus petit, debet certò credere ſe idem

receepturum

recepturum. Mar. 11. 24. Fideles autem in precibus adoptionem, iuſtificationem, vitam æternam petunt: ergo ij ſingulatim debent certò credere ſe hæc beneficia recepturos. IIII. Rom. 5. 1. *Iuſtificati ergo pacem habemus apud Deum:* pax autem ibi nulla eſſe poteſt, vbi non eſt particularis certioratio de gratia Dei. V. Quod ſpiritus ſanctus particulariter teſtatur, id etiam particulariter credendum eſt: Spiritus autem ſanctus particulare teſtimonium præbet de fidelium adoptione. Rom. 8. 16. Gal. 4. 6. Hoc ergo pari ratione credendum.

Quòd dicunt, neminem habere particularem fiduciam, niſi ex ſpeciali reuelatione, vt Abrahamus & Paulus; falſum eſt. Nam horum fides ponitur in Scripturis, vt exemplar quod omnes imitemur. Hoc nomine Abrahamus *pater credentiũ eſt dictus*. Et Paulus de ſe idem teſtatur. *Verùm ideo miſertus eſt mei, vt in me primo oſtenderet Ieſus Chriſtus omnem lenitatem, vt eſſem exemplar credituris ipſi ad vitam æternam.* 1. Tim. 1. 16. Quòd etiam dicunt certos nos eſſe poſſe certitudine morali, non autem certitudine fidei, figmentum eſt. Nam Rom. 8. 16. *Spiritus adoptionis συμμαρτυρεῖ Spiritui noſtro.* Vbi habentur duo teſtes de noſtra adoptione ſpiritus noſter & ſpiritus Dei. Spiritus noſter teſtatur de adoptione moraliter è ſanctificatione & fructibus eius. Et proinde Spiritus Dei alio modo, nimirùm intus dictando & applicando promiſſiones, id eſt, certitudine fidei.

Obiect. Iubemur operari ſalutem cum timore. *Reſp.* Timor hic non eſt, quoad miſericordiam Dei

remittentis

remittentis peccata noſtra, ſed quoad nos & naturam noſtram, quæ perpetuò prona eſt ad lapſum & defectionem à Deo.

Obiect. II. Reſpectu miſericordiæ Dei ſperanda ſalus, ſed reſpectu indignitatis noſtræ, dubitandum eſt. *Reſp. I.* Non licet omnino dubitare de gratia: quia dubitatio non eſt de natura fidei, ſed innata corruptio. II. Si ſpectemus noſtram indignitatem res extra dubium ponenda, & planè de ſalute deſperandum eſt.

Obiect. III. Multa ſunt ignota peccata, quæ nemo poteſt ſcire an ſint remiſſa. *Reſp.* Qui verè & certò nouerit ſibi vel vnum peccatum remiſſum eſſe, omnia coram Deo peccata remiſſa habet, ſiue nota illa ſiue ignota fuerint.

Obiect. IIII. Nemo audet iurare vel mori pro hac propoſitione: *Ego ſum in gratia vel iuſtus.* *Reſp.* Quibus ineſt fides ἀνυπόκριτος, ij legitimè vocati & de adoptione iurabunt & pro ea morientur.

Obiect. V. Cum hac fide proteſtantium poteſt ſtare peccatum mortale & propoſitum perſeuerandi in peccato mortali. *Reſp.* Falſum. Act. 15.9. Sincera fides cor purificat.

Prætereà, dicunt ſophiſtæ hanc fidem, quæ eſt tantùm notitia & illuminatio mentis de veritate verbi Dei, eſſe radicem & fundamentum iuſtificationis; quidni ergo diabolus iuſtus fuerit, vtpote qui verbi notitiam habet eique aſſenſum credendo præbet: qui tamen etiamſi fidem habeat,

ne

ne fidelis quidem dici poteſt. *Excipient*, Diaboli fidem charitatis expertem eſſe, quæ forma eſt fidei: ſed hoc eorum anile commentum. Charitas enim effectum eſt fidei. 1.Tm.1.5. Effectum verò cauſam ſuam non informat.

ERROR X.

Dilectionem Dei, ordine & tempore præcedere iuſtificationem & reconciliationem cum Deo.

Antithesis.

At contra, niſi prius erimus perſuaſi de amore Dei erga nos, Deum non amamus. Nos diligimus eum quoniam ille prior dilexit nos. 1.Ioh.4. 19.Deinde, inimicus Dei non poteſt Deum diligere: qui nondum eſt iuſtificatus vel Deo reconciliatus, inimicus Dei eſt.Rom.5.9,10.Et non ante actum iuſtificationis quiſquam ex inimico fit amicus Dei.

ERROR XI.

Formalem iuſtificationis cauſam eſſe iuſtitiam infuſam vel inhærentem, qua efficiuntur homines iuſti coram Deo formaliter.

Antitheſis.

Nos contra tenemus, materialem cauſam iuſtificationis eſſe obedientiam Chriſti in paſſione & legis impletione: formalem verò cauſam imputationem eſſe, quæ eſt actio patris, Chriſti obedientiam vt noſtram acceptantis. Rationes. I. Quocunque abſoluimur à peccatis omnibus, & acceptamur ad vitam æternam;

æternam; eo tantùm iuſtificamur. Perfecta obedientia Chriſti nobis imputata abſoluimur à peccatis & ad vitam æternam acceptamur; interna ſanctitate non item. Hoc verò in exercitiis invocationis & reſipiſcentiæ conſtabit, nam in tentatione & lucta cum peccato & cum ſatana, fides non ita ſtatuit; iam habeo charitatem & inhærentem gratiam, & propter hanc me Deus recipiet: ſed fides rectè intuetur filium Dei factum victimam pro nobis, ſedentem ad dextram patris, interpellantem pro nobis: ad illum confugit, ſtatuit propter hunc Deum ignoſcere peccatis noſtris, & donare reconciliationem, iuſtoſque nos habere non inhærente qualitate, ſed Chriſti merito. Rom. 5. 19. II. Vt Chriſtus peccator, ita credentes reciprocè iuſti ſunt: at Chriſtus peccator pro nobis, imputatione. 2. Cor. 5. 21. Fuit enim ſponſor pro nobis, & ſacrificium pro peccatis. in quod & reatus iræ Dei pro nobis, & pæna omnis fuit transfundenda. Hinc etiam dicitur [κατάρα] execratio pro nobis: ergo nos viciſſim iuſti ſumus imputatione. III. Oppoſitum condemnationis abſolutio eſt; Iuſtificatio eſt appoſitum condemnationis. Rom. 8. 33. *Deus eſt qui iuſtificat, quis eſt qui condemnet.* Iuſtificatio proinde peccatoris abſolutio eſt: abſolutio verò non fit niſi imputatione meritorum Chriſti. IIII. Infuſa & inhærens iuſtitia licet ſuum habeat locum, ſuam laudem, ſua præmia: tamen & eſt opus ſpiritus ſancti in hac vita, incompletum eſt: & propter carnem, cum qua coniuncta eſt, & imperfecta & reliquiis peccati vitiata. Iſa. 64. ergo in iudicio Dei

non

non poteſt conſiſtere: vt quempiam abſoluat à ſententia damnationis.

Obiect. I. Imputatio eſt vana cogitatio. *Reſp. I.* Eſt relatio ſiue ordinatio diuina, qua applicatur relativum vnum ad ſuum correlativum, ſiue fundamentum ad ſuum terminum. II. Vt imputatio peccatorum noſtrorum in Chriſtum, verum aliquid fuit: ita imputatio iuſtitiæ Chriſti in nos figmentum dici non poteſt. III. Hanc etiam Eccleſia Romana tuetur, quando authoritate Eccleſiaſtica ſatisfactiones & merita quorundam, aliis eccleſiæ membris applicantur. Vnde apparet, Pontificis indulgentias eſſe imputativas.

Obiect. II. Iuſtitia imputata non eſt ſempiterna: Meſſias autem afferet iuſtitiam ſempiternam. *Reſp.* Vtcunque poſt hanc vitam nulla remiſſio peccatorum datur: tamen quæ in præſenti ſæculo data eſt, in æternum ad ſalutem durabit.

Obiect. III. Si iuſtificatio fit imputatione, apud Deum iuſtus erit, qui reuera eſt impius. *Reſp.* Nullo modo, quia iuſtificatus imputatione, eodem etiam actu ſanctificatur.

ERROR XII.

Secundam iuſtificationem eſſe: eamq; operibus fieri.

Antitheſis.

Secundæ iuſtificationis commentum ſatanica eſt illuſio. I. Verbum Dei non niſi vnam iuſtificationem agnoſcit, eamque per ſe abſolutam & completam

tam. Vna iuſtitia: Dei offenſi vna ſatisfactio: non ergo multiplex iuſtificatio. II. Si ex auctione iuſtitiæ inhærentis iuſtificato in ſpecies vel partes diſtinguenda eſt, perinde centum iuſtificationes faciendæ ſunt atque duæ. III. Quod naturæ ordine ſequitur plenam coram Deo iuſtificationem, non iuſtificat: bona opera naturæ ordine ſequuntur iuſtificationem ſiue abſolutionem noſtram à peccatis: quia nullum opus Deo placebit, niſi prius ipſa perſona placeat. Perſona verò ipſa non placet; niſi Deo reconciliata per Chriſti merita, cum eo pacem habeat. IIII. Opera quæ aberrant à legali iuſtitia, apud Dei tribunal non iuſtificant; ſed potiùs æternæ in ſe & per ſe maledictioni obnoxia ſunt. Sic enim vox eſt legis, *Execrabilis quiſquis non permanſerit in omnibus ſcriptis in libro legis vt faciat ea.* Opera regeneratorum aberrant à legali iuſtitia. Atque huius rei cogitatione perculſus Dauid, non audebat opera ſua vel optima opponere iudicio Dei, vt abſolueretur, vnde clamauit, *Ne intres in iudicium cum ſervo tuo, domine: non enim iuſtificabitur in conſpectu tuo vllus vivens.* Similiter Iob 9. 3. *Si volet* (iuſtus nimirum) *litigare cum eo, non poterit reſpondere ei ad vnum ex mille.* Et Dan. 9. 18. *Non propter iuſtitias noſtras nos procidentes deprecamur te, ſed propter miſerationes tuas ampliſſimas.* V. Iuſtificatio per opera qualiacumque euertit fundamentum fidei. Galat. 5. 2. *Si circumcidimini, Chriſtus nihil vobis profuturus eſt.* Et v. 4. *Inanes facti eſtis ſeparati à Chriſto, quicunque per legem iuſtificamini & à gratia excidiſtis.* De iis hic

hic agit Apoſtolus, non qui apertè Euangelio & Chriſto reluctabantur: ſed qui opera legis cum Chriſto connectebant; quaſi pars aliqua ſalutis in iis reſideret. *Excipient*, hîc tantùm excludi opera moralia carnis quæ fidem præcedunt, vel opera legis Moſaicæ. *Reſp.* Falſum. Nam de Abrahamo iam regenerato & de operibus eius in gratia factis ſic loquitur Paulus, *Non operanti ſed credenti fides imputatur.* Opera, quæ Deus præparauit vt renati in iis ambularent, ſunt opera moralia & opera gratiæ: hæc autem à ſalute & iuſtificatione excluduntur. Eph. 2. 10. Et Paulus renatus de ſe *nullius*, inquit, *rei mihi conſcius ſum, ſed in eo non ſum iuſtificatus.* VI. Cauſa cauſæ eſt cauſa cauſati: gratia verò abſque operibus eſt cauſa prædeſtinationis, quæ eſt cauſa iuſtificationis: ergò gratia ſine operibus multò magis iuſtificationis cauſa eſt.

Obiect. I. Leu. 18. 5. *Faciens leges meas viuet in iis. Reſp.* Sententia legalis eſt: & proinde non oſtendit quid homines facere poſſint, ſed quid debeant.

Obiect. II. Pſal. 119. 1. *Beati integri via qui ambulant in lege Iehoua. Reſp.* Non beatus quia ambulat, ſed quia perſona ambulantis iuſtificata eſt coram Deo per merita Chriſti.

Obiect. III. Iudica me ſecundum iuſtitiam meam. Pſal. 7. Et opus Phinees imputatum ei ad iuſtitiam. *Reſp.* Hi loci non loquuntur de iuſtitia perſonæ, qua illa eſt iuſta coram Deo: ſed de iuſtitia particularis cauſæ, vel operis. Nam vbi Dauid accuſatus erat affectati regni, innocentē ſe coram Deo eſſe teſtatur.

Obiect.

Obiect. IIII. Iudicamur operibus, ergo iuſtificamur. *Reſp.* Non par ratio: quia vltimum iudicium non eſt iuſtificatio hominis, ſed iuſtificationis ante factæ declaratio. Ergo iudicium, non è cauſis iuſtificationis, ſed ab effectis illius & ſignis faciendum.

Obiect. V. *Facite vobis amicos de mammona, &c. vt recipiant vos in æterna tabernacula.* *Reſp.* Recipiunt non vt authores, ſed vt teſtes.

Obiect. VI. *Redime peccata eleemoſynis.* Dan. 4. *Reſp.* Potiùs abrumpe; abrumpuntur peccata ceſſando ab iis, non ſatisfaciendo.

Obiect. VII. Bona opera iuſtificant quia mala condemnant. *Reſp.* Non ſequitur; quia bona opera non ſunt perfectè bona, vt mala opera ſunt perfectè mala.

Obiect. VIII. *Spe ſalvamur.* Rom. 8. *Reſp.* Diſtinguendum inter iuſtificationem & ſalutem: ſaluatio finis eſt, iuſtificatio gradus ad finem, plura verò requiruntur ad finem quàm ad gradum ſubordinatum: ergo ſaluamur & ſpe & fide, iuſtificamur fide tantùm.

Obiect. IX. *Afflictio operatur gloriam.* 2. Cor. 4. 17. *Reſp.* Non effectivè merito ſuo, ſed declarativè, vt iter & via.

Obiect. X. *Abraham ex operibus iuſtificatus.* Iac. 2. 21. *Reſp.* Declarativè etiam, non effectivè.

Obiect. XI. *Qui iuſtus eſt iuſtificetur adhuc.* *Reſp.* Loquitur de iuſtificatione coram hominibus, id eſt, de ſanctificatione; non iuſtificatione coram Deo.

Obiect. XII. Iuſtificamur fide, ergo opere. *Reſp.*

Iuſtificamur fide, non vt eſt virtus: ſed vt eſt inſtrumentum apprehendentis iuſtitiam Chriſti qua iuſtificamur. Et hoc reſpectu dicitur fides imputari ad iuſtitiam per metonymiam.

Obiect. XIII. Opera gratiæ, tincta ſunt Chriſti ſanguine. *Reſp.* Tincta ſunt vt placeant, non vt iuſtificent: imò quia opus habent vt tingantur Chriſti ſanguine, ideo hominem peccatorem non iuſtificant. Et ipſæ perſonæ ſunt etiam imbutæ Chriſti ſanguine; non tamen ideo iuſtificant.

Atque vt falſam eſſe oſtendi hanc papiſtarum doctrinam: ita etiam ridiculam eſſe dico; quia bono opere, id eſt fructu iuſtitiæ, iuſtitiam inhærentem augeri, perinde eſt ac ſi dicamus palmitem vegetiorem reddi vuas ferendo; vel ſolis internum lumen ex emiſſione radiorum acceſſionem facere. Rectiùs multò Lutherus, *Bona opera non faciunt iuſtum, ſed iuſtus facit bona opera.*

ERROR XIII.

Gratiam extingui vel penitus amitti quovis mortali peccato.

Antithesis.

Hoc longè aliter eſſe ex verbo Dei apertè conſtabit. Ioh. 6.37. *Quicquid dat mihi pater, ad me veniet, & eum qui ad me venit, non eijciam foras.* Matt. 16.16. *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam: & portæ inferorum non prævalebunt contra eam.*

1. Ioh.

1.Ioh.2.22.*Exierunt ex nobis, quia ex nobis non erant: ſi fuiſſent ex nobis permanſiſſent vtiq; nobiſcum.* Rom. 5.1. *Iuſtificati ergo pacem habemus erga Deum.* Hoc autem, quomodo verum eſſe poſſet ſi modò iuſtificatus à gratia poſſet prorſus excidere & perire. II. Electi poſt grauiores lapſus ſtatim reſipiſcunt, vt Dauid, Petrus, &c. quod argumentum eſt, haud eos penitus amiſiſſe gratiam & ſpiritum ſanctum. III. Gratiâ penitus amiſſa, tollitur inſitio in Chriſtum: requiritur ergo in reſipiſcentibus ſecunda inſitio in Chriſtum: & proinde baptiſmus iis iterandus eſt, quod abſurdum.

Interim fatemur nos, gratiam amitti ex parte & ad tempus; vt fideles agnoſcant imbecillitatem ſuam & humilientur: ſed amiſſionem aliquam vel totalem eſſe vel finalem, negamus.

ERROR XIIII.

Poſſibilem eſſe impletionem legis in hac vita.

Antithesis.

Impletur lex Euangelicè, credendo in Chriſtum: ſed non legaliter, operando. Ratio. Carnalis non implet legem: qui regeneratiſſimi ſunt, in hac vita ex parte carnales ſunt. Rom. 7. 14. *Ego carnalis ſum venditus vt ſubijcerer peccato.* Prov. 20. *Quis poteſt dicere, mundũ eſt cor meũ, purus ſum à peccato.* Eccl. 7. *Nõ eſt homo iuſtus in terra qui faciat bonum & non peccet.*

Pſal.13. *Si iniquitates obſervare velis, O Deus, Domine quis ſubſiſtet?* quotidiè docemur precari Deum; *Remitte nobis debita noſtra. Exceptio.* Iuſtitia fidelium abſolutè conſiderata eſt imperfecta; quatenus verò eam Deus à noſtra fragilitate exigit, perfecta eſt. *Reſp.* Hoc eſt delirium Ieſuiticum. Nam legis ſimplex, æterna, & immota eſt ſententia, *Execrabilem eſſe omnem qui non manſerit in omnibus quæ ſcripta ſunt in libro legis, vt faciat ea.* Neque eſt exiſtimandum, à nobis Deum legis δικαίωμα non exigere, quia ſumus fragiles. Sumus enim creaturæ; & debitum creditoris inopia non decreſcit.

Obiect. Fideles dicuntur eſſe perfecti in hac vita. *Reſp.* Duplex perfectio, vna incompleta, quæ eſt ſtudium obediendi Deo ſecundum omnia eius præcepta: altera eſt completa, quæ eſt iuſtitia quam lex requirit, perfecta nimirùm & integra ſecundum integræ humanæ naturæ gradum. Priore modo fideles perfecti ſunt, non poſteriore.

ERROR XV.

Opera in gratia facta ex condigno mereri vitam æternam.

Antitheſis.

Vita æterna, eſt donum Dei gratuitum: Rom. 6. 23. *Stipendia peccati mors: donum autem Dei eſt vita æterna in Chriſto Ieſu.* Ergo non habetur merito operum. II. Meritum condigni eſt actio θεανδρικὴ, non meræ creaturæ. Nam ipſi Angeli de Deo benè mereri

ri non poſſunt: Adamus etiam, ſi manſiſſet integer, nihil omninò apud Deum eſſet meritus, quoniam obedientia creaturæ creatori ex officio debita. Quocirca meritum condigni Chriſto θεανθρώπῳ tantum conuenit, vtraque natura in eo quod ſuum eſt præſtante. Nam humanitas operi meritorio materiem præſtat, patiendo & obediendo; Deitas autem, cui humana natura hypoſtaticῶs vnita eſt, plenam operi & ſufficientem dignitatem confert. Et hinc teſtimonium patris eſt de filio: *Hic filius meus in quo εὐδόκησα, benè placatus ſum vel acquieſco.* Mat. 3. 17. III. Deus in ſecundo legis mandato dicit, ſe mandatorum obſeruatoribus vitam æternam, non ex debito, perſoluturum, ſed *miſericordia in mille generationes in illis vſurum.* Exod. 20. 6. IIII. Vt opus aliquod ſit meritorium, primùm debet habere æqualitatem cum iuſtitia legali & vita æterna: Secundò ponit debitum iu Deo: debet enim ex debito acceptare deus, non ex gratia. Opera verò noſtra vel ſanctiſſima deficiunt à legali iuſtitia: nam quia renati omnes partim caro ſunt, & partim ſpiritus; ergo etiam opera illorum bona imperfectè bona ſunt: omnia enim effecta talia ſunt quales ſunt illorum cauſæ. Deinde opera bona ponunt debitum in nobis non in Deo. V. Orthodoxi Pattes meritum condigni non agnoſcunt. Auguſt. in manuali cap. 22. *Meritum meum commiſeratio Domini.* Bernard. Serm. 68. in Cant. *Sufficit ſcire quod non ſufficiant merita.* Gregor. moral. lib. 2. ca. 40. *Nudum me in prima fide gratia genuit: nudum eadem gratia in aſſumptione conſervauit.*

Bernard. Ser. 61. Cant. *Hominis iuſtitia indulgentia Dei.* Et Epiſt. 190. *Vt ſatisfactio vnius omnibus imputetur ſicut omnium peccata vnus portavit.* Et meritum vetuſtis doctoribus, nihil eſt aliud, quàm bonum opus Deo acceptum. Auguſt. Epiſt. 105. ad Sixtum. *Si gratia, vtiq; nullis meritis reddita ſed gratuita bonitate donata. Quæ merita ſua iactaturus eſt liberatus, cui ſi digna ſuis meritis redderentur non eſſet niſi damnatus. Opera bona fiunt ab homine, fides autem fit in homine, ſine qua illa non fiunt ab vllo homine.* Sic verbum *mereri* ſumitur pro *bene agere, gratum eſſe, placere*, ſicut vetus interpres εὐαρεστεῖται. Hebr. 13.16. quod ſignificat *placere Deo*, tranſtulit, *promereri.*

Obiect. I. Merces operibus tribuitur. *Reſp.* Merces non tam operi tribuitur quam operanti: & operanti non propter ſe, ſed propter merita Chriſti fide apprehenſa. Ergo non noſtrum & perſonale meritum, ſed Chriſti meritum, & merces noſtra correlativa ſunt.

Obiect. II. 2. Theſſ. 1. 6. *Iuſtum apud Deum vobis reddere relaxationem. Reſp.* Iuſtum, non quia debet, ſed quia promiſit Deus: promiſſionem verò præſtare iuſtitiæ pars eſt.

Obiect. III. Chriſtus eſt meritus vt opera mererentur. *Reſp.* I. Hoc tollit perpetuam interceſſionem Chriſti. II. Eſt contra naturam operis legalis ex condigno mereri: quia lege naturæ & creationis deo ex debito præſtandum. Deinde, omnia opera imperfecta ſunt & vitio admixta. III. Hæc de operibus doctrina

doctrina obſcurat meritum Chriſti; quia conſequutio vitæ æternæ adimitur eius morti & obedientiæ, & operibus attribuitur. Chriſtum enim dicunt ſua paſſione peccatori iuſtificationem mereri: iuſtificatum verò peccatorem ſibi ipſi operibus ſuis mereri, etiam ex condigno, vitam æternam.

Obiect. IIII. Renatorum opera ſunt opera Spiritus ſancti: ergo perfecta & pura. *Reſp.* I. Opera dei ſunt perfecta ſuo tempore & ſuis gradibus: ergo ſanctificatio, quæ Dei opus eſt, in hac vita incompleta manebit: & non erit completa niſi poſt hanc vitam. II. Pura quoque ſunt opera Dei, quatenus ſunt opera Dei tantum, non Dei ſimul & impuri hominis: iam autem bona opera immediatè à naturalibus animæ potentiis, nimirùm à mente & voluntate, in quibus ex parte tantum regeneratis adhuc hærent vitioſæ peccati qualitates oriuntur, neque à Spiritu ſancto immediatè vel ἁπλῶς promanant: vnde peccato vitiantur.

ERROR XVI.

Prædeſtinationem noſtram non ſciri niſi ex ſpeciali revelatione.

Antithesis.

Contrarium planè verum eſt. Ratio. I. Quod certò credendum, id certò ſciri poteſt ſine ſpeciali reuelatione: at cuique fideli credenda ſua ſpecialis electio. Mandatum Dei eſt, vt credamus in

Chriſtum. 1. Ioh. 3. 23. Et credere in Chriſtum eſt non ſolum credere nos per eum adoptatos, iuſtificatos, redemptos; ſed etiam in eo ab æterno electos. Vnde conſtat, eum qui hoc non credit, non credere toti Euangelio. II. Obſignatum nobis à Spiritu ſancto certum eſt: adoptio & proinde electio obſignatur nobis à ſpiritu ſancto. 1. Cor. 2. 12. *Nos verò non ſpiritum mundi accepimus, ſed ſpiritum qui eſt ex Deo: vt ſciamus quæ Deus nobis eſt gratificatus.* Ergo electio nobis certa eſt. Epheſ. 1. 13. *Per quod etiam poſtquam credidiſtis obſignati eſtis ſpiritu promiſſionis ſancto. Exceptio.* Spiritus ſanctus obſignat adoptionē *moraliter* per opera: & proinde probabilis tantū eſt adoptionis cognitio. *Reſp.* Obſignat, gignendo ſpecialem fiduciam. Nam cum audimus promiſſiones Dei & cogitamus: Spiritus ſanctus mentem & voluntatem mouet per eaſdem promiſſiones: & mouendo facit vt iis aſſentiamur, & in iis acquieſcamus. Vnde naſcitur ſpecialis certitudo de adoptione & gratia Dei. III. Luc. 10. 20. *Gaudete potiùs quòd nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlis.* Gaudere autem de bono aliquo nemo poteſt, niſi illud certò nouerit. IIII. 2. Pet. 1. 10. *Studete potiùs vocationem & electionem veſtram* βεβαίαν ποιεῖσθαι, *firmam facere.* Hoc autem non eſt quoad Deum, ſed quoad nos.

Obiect. Nemo debet aliquid credere fide catholica, niſi quod ſit reuelatum à Deo, vel per ſcriptum, vel per verbum traditū: at nulla talis extat ſcriptura vel traditio, quòd iſte particularis homo ſcilicet Petrus aut Henricus ſit prædeſtinatus à Deo. *Reſp.* Talis

propoſitio,

propoſitio, *ego ſum electus*, non exprimitur in Scripturis: in iis tamen implicitè continetur, vt ſpecies in ſuo genere: & proinde è verbo Dei iuſta conſequentia diducitur, facto tali ſyllogiſmo. *Verè credentes electi ſunt: ego verè credo; nam credens nouit ſe credere: ipſe ergo electus ſum.* Maiorem dat ſcriptura, minorem pura conſcientia. Et fluit ex vtriſque concluſio.

CAP. 52.

De decreto reprobationis.

HActenus de electione: ſequitur decretum reprobationis.

Decretum reprobationis eſt prædeſtinatio, qua Deus, ſecundum liberrimum iuſtiſſimumque voluntatis ſuæ propoſitum, certos homines conſtituit reiicere ad æternum exitium & miſeriam, ad laudem iuſtitiæ ſuæ. Rom. 9. 21. *Annon habet poteſtatem figulus in lutum, vt ex eadem maſſa faciat aliud quidem vas ad decus, aliud verò ad dedecus.* 1. Pet. 2. 8. *Nempe iis qui offendunt ad ſermonem, immorigeri, ad quod etiam* [ἐτέθησαν] *conditi ſunt.* Iud. 4. *Nam ſubrepſerunt quidam homines, prius iam olim* [προγεγραμμένοι] *deſcripti ad hanc damnationem.* 1. Theſſ. 5. 9. *Nam non conſtituit nos Deus ad iram, ſed ad ſalutem obtinendam per dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.* In ſcripturis Cain & Abel, Iſmael & Iſaac, Eſau & Iacob nobis, vt typi humani generis, partim electi partim reprobi proponuntur.

Neque hîc abſolutum aliquod damnationis decretum ponimus, quaſi ex mera & ſola Dei volunta-

te

te abſque cauſis in iis qui damnantur inhærentibus, vllos velimus damnari. Decreto enim ipſi exequutionis media quædam ſubſternuntur & ſubordinantur. Et proinde licet decretum & exequutionis media nunquam ſeperemus, tamen diſtinguimus, & Dei propoſitum aliquando per ſe, aliquando non per ſe, ſed cum ordinatis cauſis mediis conſideramus. Et hoc ſecundo reſpectu, Chriſtus dicitur prædeſtinatus: ſed priore, id quatenus decretum per ſe conſideratur, non prædeſtinatus eſt, ſed cum Patre & ſpiritu ſancto prædeſtinator.

Arcanum etiam decretum Dei eſt: I. Quòd è ſolo dei beneplacito ipſis Angelis inſcrutabili & adorando naſcitur. II. Quòd non niſi à poſteriore, id eſt, ab effectis cognoſcitur.

CAP. 53.

De Exequutione decreti reprobationis.

IN exequutione huius decreti conſiderantur fundamentum & gradus.

Fundamentum exequendæ reprobationis, eſt lapſus Adami, per quem & peccato & damnationi obnoxius eſt. Rom. 11. 32. *Concluſit enim Deus omnia ſub peccato, vt omnium miſereretur.* 1. Pet. 2. 8. Hic notandum eſt, ſic Deum aliquos decreuiſſe damnare, vt omnis damnationis & culpa & meritum in ipſis hominibus reſideret.

Porrò, quos Deus reiecit ad damnationem, eos

odio

odio habet: Hoc odium Dei eſt, quo Deus reprobos in peccatum lapſos ob id peccatum deteſtatur. Et hoc odium effectum eſt lapſus Adami; decreti verò reprobationis non antecedens eſt neque cauſa, ſed tantùm conſequens.

Reprobi ſunt vel Infantes, vel Adulti:

In reprobis infantibus exequutio decreti Dei ſic eſt: vbi primùm nati ſunt, ob primarij & natiui peccati reatum ſibi relicti, morientes reprobantur in æternum. Rom. 5. 14. *Regnavit autem mors ab Adam vſque ad Moſen, in eos quoque qui non peccaverunt, ad ſimilitudinem tranſgreſſionis Adam, qui eſt typus illius qui erat futurus.* Roman. 9. 11. *Nondum enim natis pueris, quum nihil feciſſent boni vel mali, vt propoſitum Dei, quod eſt ſecundum ipſius electionem, id eſt, non ex operibus, ſed ex vocante firmum maneret.*

Reprobi Adulti, ſunt duorum generum, vocati (vocatione nimirum inefficaci) & non vocati.

In reprobis qui vocantur, exequutio decreti reprobationis tres habet gradus, Agnitionem vocationis diuinæ, Relapſum, Damnationem.

Agnitio vocationis *Dei* eſt, qua reprobi ad tempus ſubiiciunt ſe Dei vocationi, per verbi prædicationem factæ. Matth. 22. 14. *Multi enim ſunt vocati, pauci verò electi.* Eiuſque alij quinque ſunt gradus.

Primus eſt illuminatio, qua inſtruuntur à ſpiritu ſancto ad intelligentiam & agnitionem verbi. Heb. 6. 4.

6.4. Nam fieri non poteſt, vt qui ſemel fuerint illuſtrati. 2.Pet. 2.20. *Itaq; ſi poſtquam iniquamenta mundi, per* agnitionem domini & ſeruatoris noſtri *Ieſu Chriſti effugerint, his rurſum implicati ſuperentur, facta eſt vltima eorum conditio deterior priore.*

Secundus eſt μεταμέλεια. id eſt, pœnitentia qua reprobus, I. Agnoſcit peccatum. II. Senſu iræ diuinæ ob peccatum compungitur. III. Dolet ob pœnam peccati. IIII. Confitetur peccatum. V. Deum in puniendo peccato iuſtum fatetur. VI. Salutem deſiderat. VII. Sub cruce reſipiſcentiam pollicetur, his verbis, *non peccabo amplius.* Mat. 27.3. *Tunc Iudas, qui eum prodiderat, videns eum damnatum eſſe,* pœnitens, *retulit triginta argenteos numos, ad principes ſacerdotes & ſeniores*, Heb.12.17. *Scitis enim eum etiam poſtea, quum vellet hæreditario iure benedictionem aſſequi, reprobatum fuiſſe. Non enim reperit locum pœnitentiæ, quamvis cum lacrymis benedictionem illam exquiſiſſet.* 1.Reg.21.27. *Fuit verò, cum audiſſet verba iſta Achab, vt laceratis veſtibus ſuis, & impoſito cilicio carni ſuæ ieiunaret, cubaret etiam cum cilicio & ambularet lentè.* Numer. 23. 14. Moriar ego mortem iuſtorum, *& ſit finis meus ſicut illius.* Pſal.78.32. *In omni hoc peccaverunt adhuc & non crediderunt mirabilibus eius, & conſumpſit in vanitate dies eorum, & annos eorum in terrore.* 33. *Si occidebat eos* quærebant eum & reuertebantur *& quærebant manè Deum, & recordati ſunt Deum petram eorum.*

Tertius gradus eſt, fides temporaria, qua Reprobus, promiſſionibus in Chriſto factis, *confuſè* credit.

dit. *Confusè* dico: quoniam is certos ſalvandos credit, ſe ſpeciatim ſaluandum non credit, quia generali fide contentus, nunquam ſibi promiſſiones dei applicat; nedùm concipit propoſitum, deſiderium, conatum applicationis, vel etiam luctam vllam cum ſecuritate & diffidentia. Iac. 2.19. *Tu credis Deum vnum eſſe, rectè facis: & dæmonia* credunt & horreſcunt. Mat, 13.20. *Qui verò in petroſa ſemen excipit, is eſt qui ſermonem audit, & eum ſtatim* cum gaudio accipit, *non autem habet radicem in ſeſe, ſed temporarius eſt.* Ioh. 2.23. *Quum autem eſſet Hieroſolymis in paſcha die feſto, multi* crediderunt *in nomen eius, conſpicientes ſigna quæ edebat: Ipſe autem Ieſus* non credebat iis ſemetipſum *eò quòd noſſet omnes.*

Quartus, eſt guſtus donorum cœleſtium (vt iuſtificationis, ſanctificationis) & virtutum futuri ſæculi. Hic guſtus, eſt quidem ſenſus in cordibus reproborum, quo percipiunt excellentiam beneficiorum dei, iis tamen perindè non fruuntur. Aliud eſt, guſtare dapes in convivio, aliud iiſdem veſci & nutriri. Heb. 6. 4. *Nam fieri non poteſt, vt qui ſemel fuerint illuſtrati,* guſtauerintque donum cœleſte, *& participes facti fuerint Spiritus ſancti.*

Quintus eſt, vitæ externa ſanctitas, ſub qua continetur zelus in profeſſione religionis, reuerentia & timor erga miniſtros Dei, vitæ in plurimis emendatio. Marc. 6.20. *Herodes enim metuebat Iohannem, ſciens eum eſſe virum iuſtum ac ſanctum, & obſeruabat eum, auditoq́; eo* multa faciebat, *&* libenter *eum audiebat.* Act. 8.13. *Simon verò ipſe credidit: & baptizatus*

genuit

perdurabat apud Philippum, & conſpiciens ſigna & virtutes magnas edi, obſtupeſiebat. Hoſ. 6. 4. *Quid faciam tibi Ephraim? quid faciam tibi Iuda?* ſanctitas veſtra *vt nubes matutina, & tanquam ros manè vadens.*

*S*ecundus gradus exequutionis decreti reprobationis in adultis vocatis, eſt Relapſus qui ſic plerumque efficitur; primò reprobus peccato aliquo decipitur. Secundò, Cor illius eodem peccato obduratur. Tertiò, Obduratum cor malum & peruerſum euadit. Quartò, Tum ſequitur eius incredulitas, qua audito & cognito Dei verbo non amplius aſſentitur. Quintò, Hanc immediatè, ſequitur Apoſtaſia à fide in Chriſtum. Hebr. 3. 12, 13. *Videte fratres, nequandò ſit in vllo veſtrum* cor malum & infidele, deficiendo *à Deo vivo. Sed exhortimini alij alios quotidiè, quoad appellatur dies hodiernus: ne quis ex vobis* induretur ſeductione *peccati.* 1. Tim. 1. 19.

Hæc Apoſtaſia quandoque eſt peccatum in Spiritum ſanctum.

De quo hæc ſigillatim conſideranda veniunt. I. Nomen. Dicitur peccatum in Spiritum ſanctum non quòd fiat contra perſonam vel deitatem Spiritus: hoc enim reſpectu qui peccat in Spiritum ſanctum, etiam in Patrem & filium peccat: ſed inde nomen habet quòd fit contrà immediatam actionem Spiritus ſancti, quæ eſt illuminatio. Hæc enim licet ſit opus commune totius Trinitatis: tamen Pater & filius eam immediatè per Spiritum ſanctum efficiunt. II. Cauſa efficiens. Deſtinata malitia in Deum ipſum & Chriſtum. Ergo abnegatio Chriſti quæ fit tempore perſe-

perſequutionis ex timore & præcipitatione mentis, non eſt peccatum in Spiritum, vt Petri exemplo conſtat. Matt. 26. 72, 74, 75. Neque perſequutio Chriſti & Eccleſiæ quæ fit ab ignorantia. Paulus Chriſti eccleſiam perſequutus eſt, & tamen illius miſertus eſt Deus, quòd ignorans fecerat. E Iudæis multi Chriſtum crucifixerunt: poſteà tamen, quia facinus admiſſum fuit ab ignorantia, ad Petri concionem reſipiſcentes, remiſſionem peccatorum conſequuti ſunt. Act. 3. 17. 37. III. Obiectum. Deus ipſe & Mediator Chriſtus. Nam malitia iſtius peccati ipſam Dei maieſtatem petit, & directè contra Chriſtum fertur. Heb. 10. 29. *Quanto (putatis) acerbiore ſupplicio dignus cenſebitur; qui filium Dei conculcauerit & ſanguinem fœderis per quem fuerit ſanctificatus profanum duxerit, & Spiritum gratiæ contumelia affecerit.* Ergo hoc peccatum directè reſpicit primam tabulam: neque eſt particularis lapſus aduerſus eam: cuiuſmodi ſunt dubitatio aliqua de Deo, de veritate Scripturæ, de Chriſto, &c. ſed eſt generalis defectio à Deo in vniuerſum. IIII. Subiectum. Solus homo illuminatus à Spiritu ſancto, qui etiam guſtauerit bonum Dei donum. Heb. 6. 5, 6. Neque in eo eſt tantùm mera cogitatio; ſed actio externa ſiue ex malitioſo & obſtinato corde proiecta in Deum blaſphemia. Mat. 12. 31. In electos non cadit: & proinde qui certum electionis teſtimonium in ſeſe ſentit, non eſt quòd vnquam deſperet: neq; etiam cadit hoc peccatum in omnes reprobos è quibus multi nondū illuminati moriuntur. VI. Peccatū eſt irremiſſibile, nō quòd maius ſit merito Chriſti, ſed quia reſipiſcentia

nunquam ſequetur hoc peccatum. Nam reſipiſcentia eſt à Spiritu ſancto,& Spiritus ſanctus eſt in nobis à Chriſto fide apprehenſo: & Chriſtum nemo apprehendit,qui eundem malitiosè fuerit aſpernatus. VII. Difficile eſt de hoc peccato iudicium, quia radix illius quæ eſt deſtinata malitia, intus in corde latet,neque facilè diſcernitur.

Definitio peccati ex his omnibus collecta ſic eſt. Peccatum in Spiritum ſanctum eſt voluntaria & obſtinata Chriſti ſiue veritatis agnitæ abnegatio & blaſphemia,& proinde vniuerſalis à Deo & vera Eccleſia defectio. Exemplum huius peccati cernitur partim in Diabolo, qui quidem, licet nouerat Ieſum eſſe Chriſtum, tamen ab initio mundi non deſtitit Dei maieſtatem & regnum Chriſti totis viribus, etiam ſciens & volens,oppugnare, & quantum potuit opprimere: partim in Phariſæis. Matth. 12.32. *I*oh. 3.2.

Poſt Apoſtaſiam ſequitur pollutio, quæ eſt ipſa plenitudo iniquitatis, ſanctificationi penitus contraria. Gen. 15. 16. *Progeniem autem quartam huc reuerſuram, eò quòd non ſit* completa iniquitas *Emoræi adhuc*

Tertius gradus eſt, damnatio, qua reprobi æterno ſupplicio addicuntur. Damnationis exequutio incipit in morte, perficitur in vltimo iudicio. Luc. 16.22, 23. *Factum eſt autem vt moreretur mendicus,& aſportaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ: mortuus eſt verò etiam dives, ac ſepultus eſt. Et apud inferos ſublatis oculis ſuis, cum eſſet in tormentis, vidit Abraham procul,*

&

Quorundam Germaniæ Theologorum Hypotheſis.

Æternum *decretum Dei*, quo ſtatuit

1. Creare genus humanum.

2. Creato dare legem cum conditione vitæ & mortis.

3. *Poſt* datam legem, lapſum permittere.

4. Totum genus humanum in Chriſto redimere. Hic eſt *univerſalis electio.*

5. Redemptum ſuo tempore vocare. *Hic univerſalis vocatio.*

Prædeſtinatio ſive *ſpecialis electio* qua Deus apud ſe propoſuit, certos ex Adami poſteris vocatos gratis ex miſericordia fide donare, & etiam gratis, non ex prævisa fide vel operibus juſtificare & glorificare.

Præſcita incredulitas & contumacia qua reliqui ex Adami poſteris oblatam Evangelij gratiam reſpuunt.

Decretum reprobationis qua Deus ex præſcita contumacia eoſdē ſtatuit ad damnationē rejicere.

Manifeſtatio gloriæ Dei.

& Lazarum in ſinu eius.

Exequutio decreti Reprobationis in infidelibus non vocatis, ſic eſt. Primùm, à natura habent ignorantiam & vanitatem mentis. Poſt eam ſequitur obduratio cordis, qua fiunt omnis doloris peccando expertes. Deinde exiſtit reprobus ſenſus, qui eſt quandò naturale rationis & iudicii lumen de rebus bonis & malis extinguitur. Poſtea vbi cor dedoluit, tum oritur perpetratio peccati ἐν πλεονεξίᾳ. His accedit pollutio quæ eſt plenitudo peccati. Poſtremò, his omnibus tribuitur iuſta merces, nimirum horrenda damnatio. Eph. 4. 18. *Cogitationem habentes obſcuratam & abalienatam à vita Dei propter ignorantiam quæ eſt in ipſis, ex obduratione cordis eorum.* 19. *Qui poſtquam dedoluerunt, ſeſe dediderunt proteruiæ ad certatim patrandam impuritatem omnem.* Rom. 1. 28. *Et ſicut non viſum eſt eis, Deum in notitia retinere: ita tradidit eos deus in mentem omnis iudicij expertem, vt facerent quæ minimè conueniebant.*

CHAP. 54.

De noua quorundam prædeſtinationis hypotheſi.

THeologi quidam noſtræ ætatis, Prædeſtinationis hypotheſim novam ſtruxerunt, in qua, verentes fortaſſe, ne deum iniuſtum & crudelem facerent, cauſas ſalutis & damnationis inuersè diſtribuunt, quemadmodum ex deſcriptione quæ ſequitur conſtabit.

Verùm iſta hypotheſis certos errores & defectus continet, quos ſingulos pro tenui mea parte attingam.

ERROR I.

Vniverſalem quandam electionem eſſe, qua deus, abſq; vlla perſonarum vel reſtrictione vel exceptione, totum genus humanum & naturam in Adamo lapſam, etiam ſingulos homines tam electos quàm reprobos, decreuit per Chriſtum redimere & ſibi reconciliare.

Antitheſis.

Ipſum vocabulum electionis hanc theſim falſam eſſe oſtendit. Nemo enim poteſt dici electus, ſi modò Deus velit omnes eligi in Chriſto. Nam is qui eligit, dici non poteſt omnes accipere: nec qui omnes accipit, aliquos tantùm ſeligere. *Obiect.* Eligere eſt diligere. Diligit autem Deus creaturas ſuas omnes. *Reſp.* I. Eligere non eſt diligere, ſed potius dilectioni deſtinare. Rom. 9. 13. II. Creaturas diligit, non æqualiter omnes, ſed ſingulas ſuo ordine.

Deinde, pugnat cum apertis Scripturis. Tit. 2. 14. *Qui dedit ſeipſum pro nobis, vt redimeret nos ab omni iniquitate, & purificaret ſibi ipſi* populum peculiarem

Ioh.

Ioh. 10. *Animam meam pono pro* ouibus meis. *Excep.* Omnes homines ſunt Chriſti oves. *Reſp.* Addit Iohannis; *Oves meæ vocem meam audiunt, & ego eas agnoſco & ſequuntur me, & ego vitam æternam do iis, nec peribunt in æternum.* Eph. 5. 23. *Chriſtus caput Eccleſiæ & is qui ſalutem* dat corpori. 25. *Chriſtus dilexit Eccleſiam & ſemetipſum* expoſuit pro ea. Redemptio & remiſſio peccatorum *ſors eſt ſanctorum* & eorum qui ſunt tranſlati in regnum filii dei. Coloſſ. 1. 13.

Pro quibus tantùm Chriſtus aduocatus eſt, pro illis tantùm redemptor eſt: nam redemptio & interceſſio, quæ ſunt partes Sacerdotii Chriſti, æquè latè patent, & ita firmo nexu copulantur, vt vna ſine altera non ſit. Chriſtus autem fidelium tantùm aduocatus. Ioh. 17. in ſolenni ſua precatione orat, primùm pro ſuis, id eſt, diſcipulis, electis non tantùm ad Apoſtolatum, ſed etiam ad vitã æternam: deinde v. 20. pro iis qui per ſermonem eorum crediturì ſunt in eum. His autem mundum opponit, & pro eo non orat, vt ſalutem conſequatur. Et, Rom. 8. *Quis accuſabit electos Dei, &c. Chriſtus ſedet ad dextram patris & interpellat pro nobis.*

Qui membra ſunt eccleſiæ vocantur *redempti domini.* Pſal. 87. hoc ergo priuilegium omnibus ſine diſcrimine non eſt datum.

Exceptio. Vniverſalis reconciliatio eſt, non quoad homines, ſed quoad ipſum deum, qui fecit eam pro omnibus, & omnibus offert. *Reſp.* Si Chriſtus

expiavit omnium peccata apud deum, & pro omnibus ſatisfecit, neceſſariò ſequitur illa omnia peccata eſſe deleta coram deo. Nam actualis deletio peccati ab expiatione inſeperabilitèr pendet, & ſatisfactio in deo ex neceſſitate omnem & reatus & pœnæ peccati realem abolitionem ponit.

Obiect. I. Chriſtus aſſumpſit naturam humanam; ergo eam totam redemit. *Reſp.* I. Non ſequitur, niſi velimus Chriſtum etiam humanitatem ſuam redimere, quod fieri non poteſt. II. Quævis fœmina participat viri cuiuſque naturam humanam, non tamen eſt vir quivis cuiuſque fœminæ maritus, ſed eius tantùm cum qua ex pacto coniugii facta eſt vna caro. Ita Chriſtus ſua ἐνσαρκώσει naturam humanam omnibus Adami poſteris communem aſſumpſit; maritus tamen eſt ſolius eccleſiæ, per coniunctionem aliam peculiarem, quæ fit interuentu ſpiritus & fidei. Et per eam fit Eccleſia caro de carne Chriſti & os de oſſibus eius, Eph. 5.30. & proinde illa ſola ius habet in morte Chriſti & omnibus meritis illius.

Obiect. II. Redemptio per Chriſtum æquè latè patet ac lapſus Adami: ergo pertinet ad omnes Adami poſteros. *Reſp.* Adamus typus Chriſti, & Chriſtus Adami Antitypus. Adamus autem radix omnium poſterorum vel totius mundi ab eo peccatum & mortem haurientis; Chriſtus viciſſim radix omnium electorum & credentium iuſtitiam & vitam ab eo deriuantium. Omnium & ſingulorum radix dici non poteſt, quia iuſtitiam omnes & vitam

non

non recipiunt, neque actu ab eo iuſti conſtituuntur. Rom. 12.17, 19. *Obiect.* Chriſti beneficium redundauit in omnes. *Reſp.* Omnes credentes. Vt enim Adamus omnes ex ſe natos perdit: ita Chriſtus omnes ex ſe renatos iuſtificat & ſeruat, non alios. *Obiect.* Si peccatum Adami perdat omnes, & Chriſti gratia non ſeruet omnes, gratia peccato debilior. *Reſp.* Gratia non æſtimanda ex numero hominum quibus gratia confertur (ſic enim vt Adami lapſus omnes iniuſtos fecit, ita etiam Chriſti gratia & redemptio omnes actu iuſtos faciet) ſed potiùs ex rei efficacia & dignitate metienda. Faciliùs autem eſt omnes perdere, quàm per gratiam vel vnum ſalvum facere. Omnes perdere meri hominis fuit: iam autem vel vnum ſeruare, eius tantùm eſt, qui ſimul eſt & deus & homo.

Obiect. III. Multi ſunt loci in quibus dicitur beneficium mortis Chriſti ad omnes pertinere. Rom. 11. *Deus omnia ſub incredulitate concluſit vt omnium miſereatur.* 1. Tim. 2. 4. *Deus vult* omnes *homines ſalvos fieri.* 2. Pet. 3. 9. *Deum nolle vllos perire, ſed omnes ad reſipiſcentiam tendere.* *Reſp.* I. Intellige omnes credentes. Vt eſt, Matth. 11. 28. *Omnes onerati.* Ioh. 3. 6. *Omnis qui credit.* Gal. 3. 22. *Concluſit Scriptura omnia ſub peccato vt promiſſio, &c. daretur credentibus.* Act. 10. 43. *Omnes qui credunt in eum.* Et quidem credentium ſua quædam eſt vniuerſalitas. II. Intellige per (*omnes*) omnia genera ſingulorum, non ſingula generum. Sic Apoc. 5. 9. *Chriſtus homines redemit ex omni tribu & lingua, & populo, & natione.*

ne. Gal. 3. 28. *Non eſt Iudæus neque Græcus, non eſt ſervus neque liber, non eſt maſculus ac fœmina: omnes enim vos vnum eſtis in Chriſto Ieſu.* Matth. 4. dicitur *Chriſtus omniem languorem ſanaſſe*, id eſt, quemvis languorem vel omne genus languoris. Et Auguſtini regula eſt *omnes pro multis ſæpius poni.* Vt, Rom. 5. 18, 19. Auguſt. in Enchirid. ad Laurenc. cap. 103. *Sic dictum eſt* (inquit) *qui omnes homines vult ſaluos fieri, non quòd nullus hominum eſſet quem ſalvum nollet, qui virtutes miraculorum facere noluit apud eos, quos dicit facturos fuiſſe pœnitentiam, ſi feciſſet: ſed vt omnes homines* omne genus hominum *intelligamus per quaſcunque differentias diſtributum; reges, privatos &c.* Et in libr. de corrupt. & gratia, cap. 14. *Ita dictum eſt, omnes vult ſalvos fieri, vt intelligantur omnes prædeſtinati, quia omne genus hominum in iis eſt, ſicut dictum eſt Phariſæis, decimatis omne olus.* III. *Velle ſeruari* & *ad veritatis cognitionem venire*, vt res coniunctiſſimæ, copulantur; 1. Tim. 2. 4. ſecundum verò omnibus & ſingulis non conuenit. Ergo nec primum.

Obiect. IIII. Multi ſunt loci in quibus dicitur Chriſtus eſſe redemptor mundi. Vt, 1. Ioh. 2. 2. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis totius mundi.* *Reſp.* Mundi vocabulum ſignificat. I. Syſtema cœli & terræ. II. Promiſcuam multitudinem bonorum & malorum. III. Cœtum incredulorum & malignantium. IIII. Cœtum electorum per totum mundum diſſeminatum & ex eo colligendum. Hac quarta ſignificatione tales loci intelligendi.

Abraham

Abraham dicitur *hæres mundi.* Roman. 4. 13. id eſt, *multarum gentium.* Gen. 17. 4, 5.

Obiect. V. *Deus non vult mortem peccatoris, ſed vt convertatur & vivat.* Ezech. 18. 23. *Reſp.* Reſpondet Auguſt. ad Simplicium Lib. 1. quæſt. 2. Hominem, quatenus homo eſt, ab homine, quatenus peccator eſt, diſcernas. Nec enim Deus hominis, quatenus homo eſt, ſed quatenus peccator eſt, damnatione delectatur: & præterea, ne damnationem quidem vllius, vt peccatoris, ſimpliciter vult, vel quatenus ruina eſt & interitus creaturæ: ſed quatenus ex peccati odio & vindicatione per æternam mortem illius gloria illuſtratur. Vult ergo mortem peccatoris quatenus pœna, id eſt, declarandæ iuſtitiæ diuinæ medium eſt: ac proinde Deum nolle vllum hominem damnari falſum eſt. Nam quum damnantur, vel invito Deo damnantur, vel eodem volente: Si primum, vis certè diuinæ voluntati afferetur; quod impium eſt dicere: ſin alterum, Deus ſententiam mutabit, quod non eſt dicendum.

Obiect. VI. *Deus pater omnium.* Malac. 2. 10. *Reſp.* Locus intelligendus de Eccleſia Dei: extra quam omnes in Adamo corrupti filij ſunt iræ & diaboli, Eph. 2. 2. Ioh. 8. 44.

Obiect. VII. Si Deus alios elegit alios reprobauit προσωπολήπτης eſt. *Reſp.* 1. Acceptatio perſonæ eſt, quando quis circumſtantiis in ipſa perſona hærentibus mouetur ad hoc vel illud: Deus alios elegit alios ad interitum deſtinauit mera vo-

 luntate,

luntate, nullis rebus extra ipſum poſitis, impulſus. II. Nemini debitor eſt; pro ſuo iure de creaturis ſuis poteſt facere quod vult. II. Aliud eſt acceptio perſonarum, aliud exceptio ſiue delectus hominum apud deum. Hoc niſi detur, incuſabitur deus quòd omnes ſuas creaturas non fecit gloriosiſſimos angelos.

Obiect. VIII. Si decreuit deus reiicere certos homines, tum odit creaturam ſuam deus. *Reſp.* Decreuit Deus ſuum opus reiicere non quod tum odio habuit, ſed quod odio deſtinauit. Aliud enim odiſſe, aliud odio deſtinare. Actu vero deus nihil odit niſi propter peccatum. Rectè Auguſt. ad Simplic. *Quum ex numero impiorum quos non iuſtificat, facit vaſa in contumeliam non hoc in ijs odiſſe quod facit: & in quantum vaſa fiunt, eos ad aliquem vſum facere, vt per eorum ordinatas pœnas vaſa, quæ in honorem fiunt, proficiant. Non itaq; odiſſe deum illos, neq; in quantum homines ſunt neq; in quantum vaſa ſunt, nec quod in iis fecit creando nec quod in iis fecit ordinando. Nihil enim eorum odit deus quæ fecit. Quod autem vaſa eos fecit perditionis, ad vſum correctionis aliorum fecit: odit autem in iis impietatem quam ipſe non fecit. Sicut ergo iudex in homine odit furtum, ſed non odit quod fur datur ad metallum: illud enim fur, hoc iudex facit: ita deus quòd ex conſperſione pereuntium facit vaſa perditionis, non odit quod facit, id eſt, opus perditionis ſuæ in pœna debita pereuntium.*

Obiect. IX. Multi ſunt loci in quibus reprobi dicuntur redempti per Chriſtũ. Vt, 2. Pet. 2. 1. *Reſp.* I. Hi loci intelligendi non de omnibus reprobis, ſed de

iis

iis qui ſunt in Eccleſia ad tempus. II. Dicuntur ii redempti,iuſtificati,ſanctificati,& ſuo & Eccleſiæ iudicio quatenus externè fidem profitentur. Verùm hoc iudicium charitatis eſt,non certitudinis.

Obiect. X. Deus crudelis videatur ſi maximam mundi partem exitio deſtinauit. *Reſp.* Deus potuit decreuiſſe,vt omnes omninò homines reiicerentur, etiam ſine iniuſtitia. Ratio, I. Malos ſpiritus,ſine exceptione omnes quotquot exciderunt, æternis ſuppliciis addixit. II. Decreuit, ſicut euentu videmus,vt homines viuerent laniena beſtiarum; neque tamen erga eas crudelis eſt: & quidem humano generi Deus non eſt magis aſtrictus, quàm brutis animantibus.

Exceptio. Deus decreuit omnes ſaluos facere cum hac condicione, ſi crediderint. *Reſp.* Abſurdum. Ratio: I. Decretum Dei ſuſpenditur ab hominis voluntate,quando è contra dei decretum omnes inferiores cauſas determinat. II. Tollitur hoc modo certum decretum dei, quia condicionalis propoſitio nihil ponit in eſſe ſeu nihil certi affirmat. *Obiect.* Si Chriſti meritum ſe non extendit eò quo Adami lapſus,Caput ſerpentis non eſt contritum, neq; regnum eius abolitum à Chriſto. *Reſp.* Contritio capitis ſerpentis in iis tantùm eſt, qui habent inimicitias cum ſerpente,id eſt,in vere fidelibus. Gen. 3. 15. cum Rom. 16. 20.

Poſtremò, haud illud verum eſt, hanc de vniuerſali & efficaci ſingulorum redemptione opinionem [illegible]landis conſcientiis remedium præbere. Ineptè e-

nim

nim, ex omnium iudicio, conſolationes dantur hoc modo; Chriſtus mortuus eſt pro omnibus hominibus : tu es homo : ergo Chriſtus mortuus eſt pro te.

ERROR II.

Præſciuiſſe Deum Adami lapſum, non autem æterno decreto præordinaſſe: ideoq́; lapſum eundem fuiſſe ſine dei permiſſione agente.

Antitheſis.

Falſum eſt. I. Nam ea quæ minima ſunt in natura ſine decreto & voluntate Dei non fiunt. Matth. 10.30. Quocirca qui dicunt deum præſciuiſſe tantùm hoc vel illud, vel prouidentiam euertunt, vel ſaltem otioſam eam fingunt. II. Herodis & Pilati facinus Chriſtum morti contra ſuam conſcientiam morti tradentiū, æq; nefandum fuit ac lapſus Adami. Dicuntur tamen ii feciſſe id quod ma nus dei prædefinierat vt fieret. Act. 4. 28. Euenit etiam lapſus Adami actiua ſiue operante dei permiſſione, etiam duplici reſpectu. I. Secundum materiale peccati, ſiue quatenus peccatum eſt actio, nam in deo ſolo viuimus mouemur & ſumus. II. Quatenus lapſus ille primus mera probatio fuit, qua Deus creaturæ potentiam & voluntatem explorare voluit.

ERROR III.

Deum ob præuiſam ἀπείθειαν, ſiue propter contemptum

tum

tum, Euangelij quorundam interitum & damnationem decreuiſſe.

Antitheſis.

Præuiſum contemptum gratiæ, decreti reprobationis cauſam προηγουμενικὴν fuiſſe, negandum. Ratio, I. Paulus, Rom. 1. communem gentium condemnationem inde petit, quòd veritatem detinent in iniuſtitia, id eſt, quòd naturalis notitiæ dei ſcintillas in ſe, ſcientes extinguant, neque conſcientiam intus monentem audiant. II. Si præuiſa fides non eſt cauſa decreti electionis, neque præuiſa priuatio fidei, eſt cauſa decreti reprobationis: ſed vt illa decretum electionis, ſic iſta etiam decretum reprobationis cauſarum ordine ſubſequitur. Nam eadem eſt contrariorum ratio ſiue proportio. III. Multi ſunt infantes, ante vllum rationis vſum, & extra Eccleſiam, morientes: multi etiam qui ſtulti & ſurdi naſcuntur & tota vita ſua nunquam rectum rationis vſum habent: in his autem nullus euangelii contemptus eſſe potuit. IIII. Eſauus exoſus à deo, idque non alia ratione, quàm quia deus voluit. Rom. 9. 18. V. Ex hac opinione efficitur, ob ſolam incredulitatem homines damnari: quod falſum. Ioh. 3. 36. Chriſtus de incredulitate loquens, non dixit ira Dei venit, ſed *ira dei manet ſuper eum.* Et quare quotidianis precibus remiſſionem petimus, ſi ſola incredulitas condemnat? Imò quamvis nullus acceſſerit Euangelii contemptus, tamen originalis

originalis illa peccati labes hominibus damnandis ſuffecerit. VI. Porro illa admiratio Pauli, Rom. 9.20. *O homo! tu quis es, qui ex aduerſo reſponſas deo?* apertè oſtendit decretum Dei de quibuſdam reiiciendis cauſam habere inſcrutabilem: neque illud omninò ab aliqua præuiſa ad oblatam Euangelii gratiam, contumacia pendere. Nam ita decreti divini fuiſſet in promptu ratio. Rectè Auguſt. Epiſt. 105. *Quis*, inquit, *reprobos creauit, niſi Deus? & cur, niſi quia voluit? cur voluerit? O homo, tu quis eſt, qui reſpondeas deo?*

Nonnulli theologi duriorem hanc ſententiam videntes, eandem ſubinde molliunt hoc modo. *Materia inquiunt ſiue obiectū prædeſtinationis, eſt creatura rationalis, eaque non ſimplicitèr & abſolutè ſed partim vt lapſa, partim vt lapſui per ſe adhuc obnoxia, conſiderata: & proinde deus homines ab æterno præordinans, conſiderauit non ſimplicitèr vt homines à ſe condendos, ſed vt homines in peccatum lapſuros & per Chriſtum iterum redimendos & Euangelio vocandos. Cauſa efficiens ſiue impulſiua, non præſcita hæc vel illa res, ſed mera dei voluntas. Non enim ex præſcientia ſed ſecundum eam omnia diſponit.* Hæc quidem acutè dici videantur, ſed tamen per omnia non conueniunt. Ratio. I. Figulus quando proponit vas aliquod formare, mentem non attendit ad lutum, reſpiciens in eo inhærens aliquid ſecundùm quod vas idem faciat: ſed hac vel illa forma, ad hunc vel alium vſum fingit ex ſolo arbitrio. II. Rom. 9. 21. *An non habet poteſtatem figulus in lutum, vt ex eadē maſſa* fa-

faciat aliud quidem vas ad decus, aliud verò ad dedecus? Hîc verò maſſæ nomine, non ſignificatur humanum genus corruptum & lapſum & Chriſto redimendum. Tum enim Paulus non dixiſſet deum vaſa iræ facere, ſed vaſa iræ iam facta deſerere. III. Præpoſterum eſt illud, primùm præſcire deum, humanũ genus creatum, lapſum, & in Chriſto redemptum; eum deinde homines ita præſcitos ordinare vel ad vitam vel ad mortem. Finis enim eſt primus in agentis intentione: imò etiam inſcientiſſimus artifex non ante parabit media quibus adiutus faciet quidpiam, quàm fines & proximos & remotos in mente definitos habeat. Iam autem, creatio generis humani, lapſus in Adamo, & redemptio generis humani, media ſunt exequendæ prædeſtinationis, & proinde ei ſubordinantur: *F*inis autem decreti diuini eſt, gloriam ſuam manifeſtare, aliis hominibus ad gloriam & fœlicitatem provehendis, & aliis iuſto iudicio perdendis. Ergo non eſt exiſtimandum, deum prius cogitaſſe de mediis exequendi conſilium ſuum, quàm conſilium vllum de ipſa electione vel reprobatione hominum capiat.

ERROR IIII.

Vocationem ad Euangelium de omnibus & ſingulis ſine exceptione hominibus vniuerſalem eſſe.

Antitheſis.

Antithesis.

Hoc item à ratione alienum eſt. Ratio. I. Deus non vult omnes ad Chriſtum vocari. Matth. 20. 16. *Multi vocati, pauci electi*: non dicit omnes vocari. Chriſtus diſcipulos ſuos in priore legatione prohibuit, ne gentibus aduentum ſuum prædicarent: & mulieri Cananææ reſpondet, puerorum panem canibus non abiiciendum Matth. 13. 11. *Non eſt ſingulis hominibus datum vt myſteria Dei nouerint. Myſterium Euangelij* (ſiue de Chriſto ſiue de vocatione gentium) *à temporibus ſecularibus tacitum fuit*. Ro. 16. 25. II. Multæ ſunt hominum myriades qui de Chriſto ne minimum quidem audiendo perceperunt. Act. 14. 16. *Præteritis temporibus ſinit Deus gentes omnes ſuis ipſarum viis incedere*. III. Maxima pars mundi ſemper fuit extra gratuitum fœdus. Eph. 2. 12. *Propterea mementote, &c. vos illo tempore fuiſſe abſq; Chriſto, alienos à repub. Iſraëlis &* extraneos à fœderibus *promiſſionis, ſpem non habentes & dei expertes in mundo*. v. 19. *Nempe igitur non amplius eſtis hoſpites & inquilini*. *Obiect.* Dicuntur hîc ἀπηλλοτριωμένοι, id eſt, non ſimpliciter alieni, ſed abalienati: & quomodo potuerunt abalienari, niſi vel per ſe vel per maiores ſuos fuiſſent in fœdere. *Reſp.* Gentes non dicuntur abalienari à fœdere, ſed à republica Iudæorum: quia Deus populum Iudaicum à cæteris omnibus populis legibus quibuſdam & ceremoniis penitus ſeperauit & diſtinxit.

Obiect. Vocatio vniuerſalis non ſimpliciter intelligenda de miniſterio verbi, ſed de voluntate Dei,

poſt

poſt lapſum ſtatim in verbo, primùm nō ſcripto, deinde ſcripto, expoſita, de qua omnibus conſtare debet, etſi multis, ipſorum culpa, non conſtat. *Reſp.* At Scripturarum cuſtodia eccleſiæ Dei commiſſa fuit, non autem omnibus conceſſa. Rom. 3. 2. *Primarium enim illud eſt quod eis credita q́ſũt eloquia Dei.* 1. Tim. 3. 15. *Eccleſia columna & ſtabilimentum veritatis.* Pſal. 147. 19. *Indicat verba ſua Iacobo, ſtatuta ſua & iura ſua Iſraeli.* 20. *Non fecit ita vlli nationi, ideoq; iura illa non nouerunt.* Pſal. 76. 1. *Nobilis eſt in Iudæa Deus & in Iſraele magnum nomen eius.*

Obiect. Fœdus gratiæ factum eſt cum Adamo & Eua, atque in iis totum humanum genus in Eccleſiam & fœdus aſſumptum & vocatum. *Reſp.* I. A ratione communi alienum eſt, Deum vocaſſe omnes omnino homines ex Adamo naſcendos, ad gratiam & ſalutem, ipſis Adami & Nohæ temporibus. II. Adamus ante lapſum gratiam dei recepit pro ſe & pro omnibus: in lapſu gratiā amiſit pro ſe & pro omnibus: poſt lapſum promiſſionem pro ſe recepit; ſed pro omnibus ſiue pro toto mundo recepiſſe, negandum eſt. Tum enim prior Adamus eſſet non tantùm animal viuens ſed etiā animal vivificum. 1. Cor. 15. 45.

Concluſio.

EX hac hypotheſi ſequuntur abſurda quædam. I. Deum velle omnes & ſingulos homines ſaluos fieri: & ex iis velle etiam certos odio & exitio deſtinare: vel, quoad Deum omnes electos & redemptos eſſe, ſed quoad euentum, multos perire.

II. Reatum

1. Reatum lapſus Adami ne vni quidem è poſteris illius imputari, quia Deus vniuerſaliter omnium in Chriſto miſertus, aſſumpſit humanũ genus in reconciliationis fœdus. Dempto autem reatu vel vnius peccati, pœna quoq́ue deſinit eſſe pœna, & ipſa etiam corruptio paulatim aboletur in omnibus.

CHAP. 55.

De ſtatu Reproborum quando ſunt mortui.

MOrs Reprobi, eſt ſeparatio corporis & animæ: corporis quidem, vt ad tempus in humo intereat: animæ, vt horrorem ſentiat in abyſſo vſque ad tempus vltimi iudicii: quo tempore horrendiſſimum in ignem abyſſi proiicietur. 1. Pet. 3. 19. *Per quem etiam ſpiritibus, qui ſunt* in carcere *profectus prædicauit*. Luc. 8. 2. Pet. 2. 4. *Nam ſi deus Angelis qui peccauerunt non pepercit, ſed in* tartarum detruſos *catenis caliginis tradidit damnationi ſeruatos.*

Reprobi, quando moriuntur, vel inſenſati & ſtupidi fiunt inſtar lapidum: vel terribili horrore conſcientiæ & deſperatione de ſalute, velut gurgite, abſorbentur. 1. Sam. 25. 36. *Sed fuit manè, cum abiiſſet crapula à Nabale, & indicaret ei vxor eius res iſtas, vt* obſtupuerit

obſtupuerit *animus eius in ipſo, & ipſe fuerit* veluti lapis, *cumq́; fuiſſent quaſi decem dies, quibus plaga affecerat Iehova Nabalem, mortuus eſt.* Mat. 27.5. *Et ipſe abiectis illis numis argenteis in templum ſeceſſit, & abiens ſtrangulauit ſe.*

CAP. 56. *De damnatione Reproborum in vltimo iudicio.*

IN vltimo iudicio, ad auditam tubam, viui, horrore percuſſi, in momento mutabuntur, mortui reſurgent ad damnationem. Vtriq; erunt corporibus, immortalibus quidē, ſed tamen ingloriis: & ad ſiniſtrā Chriſti Iudicis ſuper terram ſtantes ſententiam damnationis audient: Abite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & Angelis eius. Ioh. 5.29. *Et prodibunt qui bona fecerunt, in reſurrectionē vitæ: qui verò mala egerunt in reſurrectionē condēnationis.* Mat. 25.41. 1. Th. 4.16, 17. *Nam ipſe dominus cum hortationis clamore & voce Archangeli ac Dei tuba, deſcendet è cœlo: & qui mortui fuerint in Chriſto, reſurgent primū: deinde nos viui, qui reliqui erimus, rapiemur in occurſum Domini in aëra, & ita ſemper cum domino erimus.*

CAP. 57. *De ſtatu Reproborum in Inferno.*

POſt ſententiam damnationis enunciatam, ſequitur mors æterna, cuius hic ſtatus erit.

I. *S*eparantur Reprobi à præſentia & gloria Dei.

II. Summa confuſione atque acerbiſſima ignominia afficiuntur: quia reuelantur omnia eorum occulta ſcelera & peccata. 1. Theſ. 1.9. *Qui pœnam pen-*

dent æterni exitij, damnati à præſente domino, & potentia ipſius gloria. Matth. 5, 8. *Beati mundi corde: quia ipſi Deum videbunt.* 1. Ioh. 2, 28. *Nunc igitur, filioli, manete in eo: vt cum patefactus fuerit, habeamus fiduciam, neq́ pudefiamus coram eo in ipſius aduentu.*

III. Societatem habent cum diabolo & angelis eius. Mat. 25. 41.

IV. Incredibili horrore & ſumma anxietate toti cruciantur ex ſenſu iræ diuinæ in eos effuſæ in æternum. Iſa. 66. 24. *Et egreſſi videbunt cadavera hominum illorum, qui defecerunt à me: nam vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur, eruntq́ nauſeæ omni carni.*

Hinc pœna damnatorum appellatur ignis inferni, vermis, fletus, & ſtridor dentium, tenebræ exteriores, &c. Apoc. 22. 8. *Timidis autem & incredulis, & execrabilibus, & homicidis, & ſcortatoribus, & veneficis, & idololatris, & omnibus mēdacibus pars aſſignata eſt in ſtagno ardenti igne, & ſulphure, quod eſt mors ſecunda.* Mat. 13. 42. *Proijcientq́ eos in fornacem ignis: illic erit fletus, ſtridorq́ dentium.* Eſa. 66. 24.

Corollarium.

Atque ita eſt plena exequutio decreti reprobationis; vnde elucet ſumma Dei iuſtitia in puniendo peccato: ex qua præterea exiſtit gloria Dei, quam ſibi vt vltimum finem in his omnibus propoſuit. Eundem ergo tibi finem Chriſtianus proponito. Roman. 9. 14, 15, 16, 17. *Quid igitur dicemus? num iniuſtitia eſt apud Deum? Abſit. Nam Moſi dicit, miſerebor*

cuius

cuius miſertus fuero, & commiſerabor, quem commiſeratus fuero. Nempe igitur electio eſt non eius qui venit, neque eius qui currit, ſed miſerentis Dei: dicit enim Scriptura Pharaoni, ad hoc ipſum excitaui te, vt oſtendam in te poteſtatem meam, *& ut annuntietur nomen meum in tota terra.* 1. Cor. 10. 21. *Siue igitur editis, ſiue bibitis, omnia in Dei gloriam facite.*

CAP. 58. *De Prædeſtinationis Applicatione.*

PRædeſtinationis applicatio ad certas & ſingulares perſonas neceſſaria eſt: & duas ea partes continet: iudicium Dei de particulari prædeſtinatione, & eius vſum.

Iudicium de noſtra prædeſtinatione faciendum eſt iuxta regulas quæ ſequuntur.

I. Electi, & ſoli & omnes, non ſolum verè poſſunt fieri, ſed etiam ſuo tempore in hoc mundo fiunt reipſa certi de ſui ad æternam vitam in Chriſto electione. 1. Cor. 2. 12. 2. Cor. 13. 5.

II. Iſta cognitio haurienda eſt, non è primis cauſis electionis, ſed potiùs ex vltimis illius effectis: quæ præſertim duo ſunt, internum teſtimonium ſpiritus, & effecta ſanctificationis. 2. Pet. 1. 10. Rom. 8. 16.

III. Teſtimonium iſtud à Spiritu ſancto eſſe, ac proinde non eſſe carnalem præſumptionem conſtabit. I. Ex perſuaſione, quia ſpiritus ſanctus non modò ait, ſed omninò perſuadet, nos eſſe filios Dei; quod caro non poteſt facere. II. Deinde ex ratione perſuadendi, quia perſuadet ſpiritus, non rationibus

ductis ex operibus vel ab vlla dignitate noſtra, ſed è gratia & amore Dei petitis: quo modo nunquam perſuadebit Diabolus. 3. Ex effectis eiuſdem teſtimonij. Nam præſumptio quiddam mortuum eſt: perſuaſio Spiritus Sancti efficaciſſima. Quibus enim perſuaſum eſt ſe eſſe electos, & adoptatos filios Dei: iidem illi Deum amabunt; in eo fiduciam ponent, eumque ex corde inuocabunt.

IV. Iſtud teſtimonium, ſi fortè languidum fuerit, ex altero ſpiritus ſancti effecto, id eſt, è ſanctificatione, electionis iudicium faciendum eſt: quemadmodum ſi abeſt flamma, è calore ignem eſſe coniicimus.

V. Inter effecta ſanctificationis inprimis excellunt hæc quæ ſequuntur. I. Sentire defectus, & amaro corde offenſionem Dei lugere. II. Luctari contra carnem; id eſt, carnis motiones impias nolle, & odiſſe, & ex iis tœdio, & moleſtia languere. III. Gratiã, Dei Chriſtiq; meritum ad ſalutem vehementer expetere. IV. Adeptam maximi æſtimare. Phil. 3.8. V. Amare Prophetam quatenus Propheta, & Chriſtianum quatenus Chriſtianus: eóque nomine velle pro iis vitam profundere. Mat. 10.42. 1. Ioh. 3.16. VI. Ardenter cum gemitu inuocare Deum. VII. Amare aduentum Chriſti ad vltimum iudicium. VIII. Fugere occaſiones peccati, & ſeriò ſtudere nouæ legis obedientiæ. IX. In his omnibus ad finem vſque perſeuerare. Rectè Lutherus. *Qui vult Deo ſeruire, eum oportet credere inviſibilia, ſperare dilata, & Deum diligere oſtendentem ſe contrarium, atq; ita in finem vſq; perſeuerare.*

perſeuerare.

VI. Quod ſi omnia ſpiritus effecta in nobis languida fuerint, ſciendum nos probari, ita tamen, vt minimè deſpondeantur animi, quia certum eſt fidem eam, quæ parua eſt inſtar grani ſynapis, & imbecilla, inſtar infantis, ad veram inſitionem in Chriſtum ſufficere: ideoq; ex imbecilla fide, & languidis Spiritus ſancti effectis de electione non eſſe dubitandum.

VII. Si verò quis eiuſmodi Spiritus effecta in ſe nunquam ſenſerit: non proinde debet ſtatuere ſe eſſe ex reproborum numero: ſed potius eum verbo & ſacramentis vti oportebit, vt Chriſtum intus trahentem ſentiat & ſalutis fiduciam conſequatur.

VIII. Iudicium de cuiuſquam reprobatione nullum faciendum eſt. Quia Deus peccatores ſæpiſſimè ab ipſius regno quam longiſſimè diſtantes iis ipſis præfert, qui videbantur eſſe filij regni. Hinc illud Chriſti eſt: Publicani & meretrices antecedent vos: præterea etiã vocantur aliqui hora vndecima, quod celebre latronis pendentis exemplum indicat.

Vſus doctrinæ prædeſtinationis multiplex eſt. Primò, ex ea docemur.

I. Non eſſe iuſtificationem vllam ex operibus; vel etiam vllum omnino meritum operum. Nam electio eſt ex mera gratia: ideoq; etiam iuſtificatio, quia (vt dictum eſt) cauſa cauſæ, eſt cauſa cauſati. Hinc eſt quòd in negotio ſalutis, gratia in totum ſibi omnia vendicat. Rom. 11.5. *Reſeruatio ſecundum electionem* gratuitam *facta eſt*. 2. Tim. 1.9. *Qui ſeruauit nos & vocauit vocatione ſancta; non ex operibus noſtris,*

ex propoſito & gratia. Phil. 1. 29. *Quia* datum eſt *vobis in Chriſto non ſolùm in eum credere, ſed etiam pro eo affligi.* Rom. 3. 29. *Iuſtificamur* gratis, *id eſt, eius gratia.* Tit. 3. 5. *Non ex operibus iuſtis, quæ fecerimus nos, ſed* ex miſericordia, *ſua ſervavit nos per lavacrum regenerationis.* Ezech. 36. 27. Faciam *vt in ſtatutis meis ambuletis.* Rom. 6. 23. Donum autem *Dei vita æterna.*

II. Aſtrologiam Genethliacam ridiculam & impiam eſſe. Quia ſimiles eos vita & moribus eſſe ſtatuit, quos è diuina prædeſtinatione diſſimiles eſſe conſtat. Iacob & Eſau ex iiſdem parentibus concepti, & abſque omni ferè temporis interuallo (Iacob enim Eſaui pedem inter naſcendum tenebat) ex vtero prodeuntes & moribus diſſimillimi fuerunt, & diuerſos vitæ caſus conſequuti ſunt. Hoc ipſum in omnibus ferè gemellis, & in aliis plurimis accidere ſolet, qui eodem momento naſcuntur.

III. Deum ſapientiſſimum, omnipotentem, iuſtiſſimum, miſericordiæ pleniſſimum eſſe. *O profundas diuitias tum ſapientiæ, tum cognitionis Dei! quàm inſcrutabilia ſunt eius iudicia, & eius viæ imperveſtigabiles.* Eph. 1. 5. *Qui prædeſtinauit nos, &c. pro beneuolo affectu voluntatis ſuæ ad laudem glorioſæ ſuæ gratiæ.*

Secundò monemur.

I. Deponendam eſſe dubitationem & diffidentiam de ſalute; quia pendet ea non ex operibus vel fide noſtra, ſed ex decreto electionis, quod eſt immutabile. Mat. 24. 24. *Surgent pſeudochriſti & pſeudoprophetæ, & edent ſigna magna & miracula: ita vt*

ſeducant

ſeducant (ſi fieri poſſit) *etiam electos*. Luc. 10. 20. Gaudete *quòd nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlis*. Ro. 8. 33. *Quis tentabit crimina aduerſus* electos Dei? *Deus eſt qui iuſtificat*. 2. Tim. 2. 19. *Solidum tamen* fundamentum *Dei ſtat, habens hoc* ſigillum, *novit dominus, qui ſunt ſui: & diſcedat ab iniuſtitia omnis qui nominat nomen domini*. Ex his apparet, defigendam eſſe anchorã ſpei in illa veritate & firmitate immutabilis εὐδοκίας Dei, vt, quamvis fluctuet fides & naufragio proxima ſit, nunquam tamen (in medio naufragio arrepta reſipiſcentiæ tabula) penitus demerſa iaceat.

II. Humiliandos eſſe animos noſtros ſub potenti Dei manu. Sumus enim vt lutum in manu figuli. Rom. 9. 11. *Per infidelitatem defracti ſunt, tu verò per fidem ſtas. Ne effertor animo, ſed time*. Rom. 11. 20.

III. Gloriam Deo dandam eſſe. 2. Theſſ. 2. 13. *Nos autem debemus gratias agere deo ſemper de vobis, fratres dilecti à Domino, quòd elegerit vos Deus ab initio ad ſalutem, &c.*

IIII. Crucem patienter ferendam. Rom. 8. 29. *Nam quos præſcivit, eoſdem & prædeſtinavit* vt conformes fiant *imagini filij Dei*. Iſta verò cum Chriſto conformitas, eſt in afflictionibus ferendis. Phil. 3. 10. *Ut cognoſcam eum & vim reſurrectionis ipſius, & communionem perpeſſionum ipſius, dum* conformis fio ipſius morti.

V. Bonis operibus ſtudendum eſſe. Epheſ. 2. 10. *Nam ipſius ſumus opus, conditi in Chriſto Ieſu ad bona opera*, quæ præparauit Deus *vt in iis verſaremur*.

EXIMIA TRACTATIO DE conſolandis iis qui circa Prædeſtinationem tentantur.

DESVMPTA E SECVNDA REſponſione D. Theodori Bezæ *ad Acta Colloquij Mompelgart. Tubingæ edita.*

NIſi (inquit D. Andreas) *regeneratio cum Baptiſmo ſemper, & in ſingulis baptizatis cohæreat, nullus conſolationis locus relinquitur erigendis eorum conſcientiis, qui quòd nullos Sp. S. in ſe motus tunc ſentiant, non habent quò refugiant, niſi ad verbum & Sacramenta, & inprimis ad Baptiſmum. Hoc autem remedium nullius fuerit momenti, niſi neceſſariò cogitationibus illis à Diabolo inſpiratis opponatur, quòd Deus ſit maior corde noſtro, qui in Baptiſmo adoptionem non modò nobis obtulit, ſed etiam revera contulit, ſicut dixit, Qui crediderit & & baptizatus fuerit, ſalvus erit: & Paulus, Quicunque baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis qua conſolatione circumciſionis armatus David Goliath aggreditur: Alioqui enim conſequitur Baptiſmum eſſe otioſam cæremoniã, & totam Trinitatẽ mendacij argui. Proinde depellendus potiùs eſt Satan his verbis, Recede à me Satan, nullam partem in me habes, quia in nomine ſanctæ Trinitatis ſum baptizatus, & verè in filium Dei ſum adoptatus.* Hæccinè igitur illa ſunt, quibus tam ſæpè & tam verboſè inculcatis D. Andreas me penitus poſtrauit? quod tamen argumentũ quum ſit valde involutum, ego ſic evolvo. Primùm quod ad locos

Scripturæ citatos attinet iſtud, *Maior eſt Deus corde noſtro* deſperationem auxerit, non conſolationem attulerit. Nec enim Iohannes 1.Ioh. 3. 20. illud commemorat, vt deſperabundis ſuccurrat, propoſita miſericordiæ Dei magnitudine, ſed vt ſuperbos maieſtatis diuinæ immẽſitate contundat. Deinde homini de ſua electione dubitanti, & nulla fidei teſtimonia in ſeſe ſentienti (qualis iſte eſt de quo hîc agitur) quodnam ſolatium afferrent iſta, Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit? Nã è contrario ſic colligeret, ego verò non credidi, itaq; licet baptizatus, ſalvus nõ ero. Nam rectè Auguſt. tractat. in Ioha. 6. de Simone Mago loquẽs, *Baptiſma*, inquit, *illi quid proderat? Noli ergo gloriari de Baptiſmate, quaſi ex ipſo ſalus tibi ſufficiat*. Illum verò Pauli locũ ex Gal. 3. quàm apertè detorqueat D. Andreas paulò ante oſtendi. Neq; firmiores ſunt rationes ab abſurdo petitę quibus D. Andreas ſuum hoc argumentum conatur fulcire. Num enim propterea verax non eſt Deus, quoniam veritas ipſius à contemptoribus negligitur aut etiam deridetur? Num propterea inanis eſt in ſeſe Baptiſmi cæremonia, propterea quòd alij gratiam in eo promiſſam reſpuunt, alij, ſi D. Andreæ creditur, illam receptam excutiunt? An idcirco Euangelium non eſt potentia Dei ad ſalutem, quoniã incredulis eſt odor mortis ad mortem? An ideò Cœna Domini non eſt fœderis Domini pignus, quòd tam multi ſacris ſignis, vel etiã, vt D. Andreas contendit, ipſo Chriſti corpore manducato abutuntur? Et, vt à notiſſimis quoq; ſumam argumentum, An ſeparatur Lux à ſole, quoniam neq;

cæcis

cæcis lucet neque dormientibus, neque oculos, quo minus illa luce fruantur, vltrò claudentibus? Sed illud eſt omnium ineptiſſimum, quod pro fundamento huius argumenti ſubſternit *D.* Andreas, nempe inane eſſe præfugium ad Baptiſmum in eiuſmodi tentationibus, niſi cum ipſo ſtatuamus omnes baptizatos neceſſariò in Baptiſmo adoptari. Primùm enim ſi valet hæc conſecutio in Baptiſmo, fruſtraneum quoque fuerit tentatum quempiam ad verbi & Cœnæ Domini teſtimonium relegare, niſi neceſſariò quoque regenerari & adoptari dicamus quibuſcunque verbum Dei prædicatur, & quicunque ad Domini menſam accedunt: quorum neutrum niſi cum impudente mendacio D. Andreas affirmarit. *S*ed hoc etiam omiſſo, & conceſſo quod in Baptiſmo poſtulat D. Andreas, tentatus quiſpiam, auctore *S*atana, annon egregium iſtum conſolatorem ſuo ipſius argumento repulerint? Eſto, D. Andrea quod tu dicis, Fuerim baptizatus & tunc adoptatus: quum tamen dicas firmam hanc non eſſe gratiam, ſed ab ea excidere me potuiſſe, vti ſanè excidiſſe me ſentio, annon quod vna manu mihi videris tribuere, altera mihi tutemet eripis? Quorſum igitur hæc tu mihi ſuggeris, quæ me non modò non ſublevent, verùm è contrario deteſtandum meum ingratum animum mihi magis ac magis ſpectandum proponant? En quam firmam conſolationem laborantibus periculoſiſſima tentatione conſcientiis iſtud D. Andreæ dogma ſuppeditet.

Quòd ſi quis roget, quomodo ſit igitur iſti tentationi

tioni occurrendum, dicam quod certiſſimo fundamento nititur, & ſæpiſſimè ſum in multis expertus, & quod copioſè explicare conſtituti, in Chriſtiani lectoris gratiam. Primùm igitur illud docemus contra quàm D.Andreas falſiſſimè nobis impingit, æternam illam πρόθεσιν, vt loquitur Paulus, quæ eſt ſalutis electorum baſis, nunquam eſſe à nobis in ipſius Dei abyſſo quærendam, ſed in ipſius patefactione, id eſt, in vocatione per verbum & Sacramenta. De adultis loquor, quales eſſe neceſſe eſt de quibus conſolandis hic à nobis quæritur. Et quoniam externa illa vocatio, non eſt ſolis electis propria, (Multi enim vocati, pauci electi,) ſed ea demum quæ eſt efficax, id eſt, per quam non tantùm illuſtratur intellectus ſalutari veri Dei cognitione, verùm etiam in voluntate creatur, quamuis non perfectè tamen verè odium mali, vnde peccati fuga & amor boni oritur, ſiue rectè volendi & faciendi ſtudium: idcirco in illa periculoſiſſima tentatione ex hac veluti pyxide, verum illud nepenthe depromptum laboranti conſcientiæ applicamus.

Si mihi ſit igitur negotium cum eo, qui vel nunquam fuerit Evangelico miniſterio vocatus, vel vt vocatus fuerit, nunquam tamen vocantem audiviſſe ſibi vel aliis ſit viſus: & qui inde colligat ſe non eſſe ex eorum numero quorum Dominus conſtituerit miſereri: ſuggero illi Sophiſtam eſſe Satanam, qui ſic illum doceat concludere: non minus falſò quàm ſi quis in media nocte poſitus, affirmaret Solem, quia nondum ſit exortus, nunquam exoriturum.

Et hoc eſt, quod quum D. Andreæ obieciſſem p. 482. Impudentiſſimè corruptum edidit, his verbis, *Tentato homini negendum eſt, Solem ortum eſſe etiamſi nondum ortus ſit*. Quaſi verò mentiri doceam, ſiue hæc dicti mei deprauatio tam impudens amanuenſibus ipſius D. Andreæ, ſiue ab ipſomet profecta ſit. Et quum ad hoc excepiſſet D. Andreas, inutilem fore hanc conſolationem, quoniam miſer ille dubitare etiam poſſit, an ſit illi Sol deinceps exoriturus, ſubjeci paucis quod hic penitus ab ipſius amanuenſibus præteritum fuit, & quod pleniùs propterea nunc repetam. Miſero igitur illi ab illa falſa & Satanica concluſione depulſo ſuggerere mox conſueui, quãuis externa per ſe vocatio penitùs pacandæ conſcientiæ non ſufficiat, maximum tamen eſſe illius aduerſus Satanam pręiudicium & pondus. Eos enim qui nunquam vel intus vel foris vocentur, (loquimur autem hîc de ordinaria vocatione) neceſſariò perire: quicunque verò vocatur, in primo ſalutis limine pedem iam habere, vnde, niſi per ipſos ſteterit, certus in atrium ac tandem etiam in ipſam ſalutis regiam pateat aditus: & hanc adhortationem multis modis confirmo. Cur enim, inquam ego, dubites de eius voluntate qui me ad te vocandum miſit, nullam cauſam habes, niſi fortè peccatorum tuorum multitudinem. Huic oppone diuinæ quæ tibi à Deo per me præbetur miſericordiæ immẽſitatem. Introducit te Deus in Electorum viam: cur illum ſequi recuſaueris? Si te nondum ſentis intus permoueri, pete vt permouearis. Hoc deſiderium ſcito pignus eſſe paternæ erga te beneuolentiæ. Huic

nec

nec poteſt, nec vult deeſſe quod ipſe vnus in te excitauit. Iſtis deni que exhortationibus adiicio locum de vocatis hora vndecima, de vocatione gentium poſt tot ſecula, de pendente in cruce latrone, & alia eiuſmodi, quibus remediis nunquam me fruſtra vſum fuiſſe memini.

*S*in verò mihi negotium eſt cum iis qui Deum vocantem aliquando audierint, ſed quòd in aliquod graue peccatum ſint prolapſi, vel quòd emanſores fuerint ex Eccleſia, vel quòd diu contemptis publicis priuatiſq; monitis fuerint Eccleſiæ offendiculo, vel, vt non ſemel animaduerti optimis etiam & religioſiſſimis nonnullis eueniſſe, quòd dum ſibi non ſatisfaciunt, toti ſunt adeò in ſeipſis aſſiduè redarguendis, vt clementiæ diuinæ ad tempus obliviſcantur: vt eos prætermittam qui naturæ imbecillioris vitio, grauiſſimis interdum huiuſmodi tentationibus periculoſiſſimè, niſi medicum idoneum nacti fuerint, exerceantur: cum illis, inquam, ſic agere ſum ſolitus.

Primùm flagitò, vt quid potiſſimùm illos tantopere exagitet in ſinum meum effundant, & prout ex ipſis quid & quantum iſtud ſit, intellexi, caueo quidem in primis ne iam plus ſatis conſternatos, propoſita Legis ſeueritate penitùs deiiciam: ſed ita vt à condemnatione ſuorum peccatorum & iudicij diuini meditatione non prorſus illos abſtraham: ſic videlicet pro viribus temperato conſolationis ſermone, vt Deum tamen illis meritò infenſum eſſe minimè diſſimulem.

Sic præparatos denique percontor, an ſemper ſic

affecti fuerint. Immò, reſpondere ſolent, tempus fuit quo pacatiſſima conſcientia Deum hilaris invocabam, beatus & fidei ac ſpei plenus, quam gratiam miſer ego nunc effudi, nec aliud eſt quod me nunc magis excruciet, quàm ſuperioris illius temporis recordatio. At enim, inquam ego, vtra grauiùs te premit cogitatio, iudicii-ne diuini apprehenſio, an diſplicentia, quòd tam benignum patrem offenderis? Vtrumque, inquiunt, & quidem iſtud poſterius in primis. Ergo tibi (inquam) diſplicet etiam peccatum, quatenus peccatum, id eſt quoniam turpe eſt & illo Deus vt ſummè bonus offenditur? Ita, eſt inquiunt, & pudet me tam ſceleratum apud illum tam bonum me ipſum ſiſtere. At nemo, inquam offenditur, ſed gaudet potiùs eius quem ipſe oderit læſione. Ita eſt aiunt, & abſit vt Deum ipſum quamuis me odio proſequentem oderim, cui potiùs vtinam fieri poſſet vt reconciliarer. Tum ego. Bono animo eſto, mi frater, ſalua res eſt. Quis enim Deum præſertim ferientem amare, quis eius quam amiſſam putat beneuolentiam deplorare, quis optare poſſit in gratiam cum ipſo redire, niſi quem ille quantumvis iratus amare non deſierit? niſi fortaſſis non didiciſti cognitionem noſtræ in Chriſto ſalutis, non à carne & ſanguine, ſed ab ipſo Deo, qui prior nos cognitione ſui dignatur, & ab ipſo Chriſto nobis patrem patefaciente, oriri: & Deum à nobis non prioribus amari ſed redamari, eius beneficio qui nos prior dilexit quum ipſius inimici eſſemus. Habes igitur, mi frater, cur tibi de anteactis multis diſpliceas,

ceas, non cur animum deſpondeas. Habes denique intus & apud te certa illius ipſius erga te quam experis reconciliationis ſequuturæ teſtimonia, modò illum qui veræ in te reſipiſcentiæ fundamentum iecit, diſplicentiæ nimirum peccati, & reconciliationis deſiderium, precibus aſſiduis interpellare non deſiſtas. Ouis eſt etiã quæ extra gregem ad tempus aberrauit: & tu ipſe illa es ouis, quam relictis illis nonaginta nouem, fidus ille ſingularum ſibi à patre creditarum ouium cuſtos, non tam per meum miniſterium tibi nunciat ſe quærere, quàm quæſitam, licet non ſe quærentem, inueniſſe. Pulſate enim, inquit ille, & aperietur vobis: & an illas promiſſiones oblitus es reſipiſcentibus toties inculcatas: immò etiam tam multis eorum etiam exemplis confirmatas qui videri poterant prorſus deplorati? At ego, inquit rurſum ille, nullos illius paracleti motus, nullum fidei vel ſpei ſenſum nunc habeo: ſed contraria experior omnia. Immò, inquam, te ipſum fallis, vt te paulò antè monui. Peccatum enim non tantùm propter pœnam, ſed quoniam turpe eſt, & propter Deum odiſſe, nullus alius quàm ille paracletus docet, quamuis ſeſe nondum totum prodens: vtpote quem tam multis motis offenderis, vt te quaſi penitus deſeruiſſe aliquantiſper videatur. Sed illum à te non prorſus exiuiſſe, verùm in intimum duntaxat quempiam tuæ mentis angulum receſſiſſe, vnde rurſus precibus tuis exoratus ſeſe ſit demonſtraturus, illud ipſum euincit de quo te ſecundò iam commonefacio. Sed vt illud ipſũ tibi demus quod ais, letharg

hic fuerit fidei non interitus. Vixiſti in matris vtero, & vitam ipſe tuam ignorabas. Ebrius certè non rationem, ſed rationis, & interdum corporis etiam vſum ad tempus amittit. Hyeme dixeris emortuas arbores quæ vere revireſcunt; Hodie Sol occidet, ſed cras rurſum oriturus. Et quoties in duellis qui proſtratus fuit, tamen victor euaſit? Idem ſcito quibuſvis in illa Spirituali carnis & Spiritus, noſtra partim imbecillitate, partim ſocordia, partim etiam culpa euenire. [Sed] hæc ille, vt eiuſmodi pertinaciſſimæ ſunt in nonnullis tentationes, vtinam verò, inquiet, ſtatuere poſſem hæc ad me pertinere. Nam dubitare me an ſim eorum numero quorum miſereri Deus conſtituit, præſens mea cogit conditio.

FINIS.

ERRATA.

Pag. 169. lin. 10. *redimendum*. p. 177. l. 1. *ſervari*. p. 184. l. 6. *Socrates Tripartita hiſtoria*, dele *eſt*. p. 185. l. 9. *celando*. p. 188. l. 4. *contractus*. Cætera quæ occurrunt ſenſum non mutant.

[UNI]VERSITY [L]IBRARY [C]AMBRIDGE